COLLECTION OF

CATHOLIC CREEDS

COLLECTION OF

CATHOLIC CREEDS

COLLECTION OF PROFESSION OF FAITH

OF THE CATHOLIC CHURCH

2025

to

Our Most Blessed Virgin Mother,
Haereticae Exterminatrix,

and

Her Most Chaste Spouse,
Protector Sanctae Ecclesiae,

I present this collection,

may their prayer and protection
guide all nations to the one true faith.

Haec est fides catholica,
quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit,
salvus esse non poterit.

(Symbolum Athanasianum)

INTRODUCTION

Common Catholics know at least two kinds of profession of faith, i.e. Apostles Creed which recited in the Rosary and Nicene Creed which recited in the holy mass. Traditional one will know at least two more kind of profession of the faith, i.e. Athanasian Creed and Tridentine Creed. These four creeds became some kind of foundation of catholic faith for the traditionalists.

What almost unknown to common Catholics is that there are more than two or four of profession of faith. Through the ages the Catholic Church has made or approve professions of faith to safeguard the true faith especially when new kind of heresy is in emerge. This fact is a common practice along Church history and perhaps new professions of faith will be written in the future according to the need of the age.

This collection presents the Latin version of the creeds. English version is presented if there is no Latin version, this case is applicable especially for the recent creeds. If the original creed is written in Greek, one or more Latin translation is presented. The alphabet only contains 24 traditional Latin letters. Exclude J and W which start to appear in the Middle Ages, include K and Z to accommodate Greek names, and include U to avoid misreading with

V. The vocabulary will render to the classical Latin, e.g. caeli instead of coeli, eundem instead of eumdem, in primis instead of imprimis.

This compendium is not intended as a reference nor a textbook nor a history book per se, not to compete nor complete the Enchiridion Symbolorum, but only as a simple book for everyone attracted to the richness of the creeds of the Catholic Church. Seminarian, clergy, and religious can use this book to give a more satisfied answer if some lay folks asking question to them about the creeds. And for common lay believer, hopefully this compendium somehow may enrich and firm the faith. Besides that, in the forgotten creeds we may found the treasure of faith which maybe not preached by priests anymore in these days.

Main inspiration and main sources of this compendium is indeed from Enchiridion Symbolorum and Patrologia Latina which can be freely accessed from internet sites, especially Google Book and Internet Archive. Some other internet webs also become source of this collection, especially Benedictus Levita (http://www.benedictus.mgh.de), Corpus Corporum (http://www.mlat.uzh.ch), and Carolingian Canon Law (http://ccl.rch.uky.edu). My great respect to Fr. Jacques Paul Migne, Fr. Heinrich Joseph Dominicus Denzinger, Fr. Adolf Schönmetzer, and Fr. Peter Hünermann whom their hard work became one precious opus of the faith. Apologized if this collection contain

infringement due to copyright or any other legal material. Hopefully this compendium does not make even a single legal infringement.

Thanks to my parents and my grandparents which introduce me the one true faith. Special thanks to the personnel of Google Books, Internet Archive, and many other internet sites which provide classical literature for modern world. May the Lord give them a happy and healthy days with their family.

This collection subject to the judgement of the Catholic Church authority. If there is err or typo in this collection, then the text should be revised.

Fest of Assumption of Blessed Virgin Mary Mother of God,
Anno Domini Bis Millesimo Vicesimo Quinto.

Your humble servant,
B. A. T. E.

PART 1

1 - 500 AD

Symbolum Apostolorum

…

circa 200 - 500

…

Roman Creed

Credo in Deum Patrem omnipotentem, et in Christum Iesum, Filium eius unicum, Dominum nostrum, qui natus est de Spiritu Sancto et Maria virgine, qui sub Pontio Pilato crucifixus est et sepultus, tertia die resurrexit a mortuis, ascendit in caelos, sedet ad dexteram Patris, unde venturus est indicare vivos et mortuos, et in Spiritum Sanctum, sanctam ecclesiam, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem.

Aquileian Creed from Rufinus

Credo in Deo Patre omnipotente, invisibili et impassibili, et in Christo Iesu, unico Filio eius, Domino nostro, qui natus est de Spiritu sancto ex Maria virgine, crucifixus sub Pontio Pilato et sepultus, descendit ad inferna, tertia die resurrexit a mortuis, ascendit ad caelos, sedet ad dexteram Patris, inde venturus est iudicare vivos et mortuos, et in Spiritu sancto, sanctam ecclesiam, remissionem peccatorum, huius carnis resurrectionem.

Milanian Creed from Augustinus

Credo in Deum Patrem omnipotentem, et in Iesum Christum, Filium eius unicum, Dominum nostrum, qui natus est de Spiritu sancto et Maria virgine, passus est sub Pontio Pilato, crucifixus et sepultus, tertia die resurexit a mortuis, ascendit in caelum, sedet ad dexteram Patris, inde venturus est iudicare vivos et mortuos, et in Spiritum sanctum, sanctam ecclesiam, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem.

Milanian Creed from Ambroisius

Credo in Deum Patrem omnipotentem, et in Iesum Christum, Filium eius unicum, Dominum nostrum, qui natus est de Spiritu sancto ex Maria virgine, sub Pontio Pilato passus, et sepultus, tertia die resurexit a mortuis, ascendit in caelum, sedet ad dexteram Patris, inde venturus est iudicare vivos et mortuos, et in Spiritum sanctum, sanctam ecclesiam, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem.

Milanian Creed

Credo in Deum Patrem omnipotentem, et in Iesum Christum, Filium eius unicum, Dominum nostrum, qui natus est de Spiritu Sancto et virgine Maria, passus est sub Pontio Pilato, crucifixus et sepultus, tertia die resurrexit a mortuis, ascendit in caelum, sedet ad

dexteram Patris, inde venturus est iudicare vivos et mortuos, et in Spiritum Sanctum, sanctam ecclesiam, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem.

Regium Creed from Faustus

Credo in Deum Patrem omnipotentem, et in Filium eius Dominum nostrum Iesum Christum, qui conceptus est de Spirirtu sancto, natus ex Maria virgine, crucifixus et sepultus, tertia die resurrexit, adscendit ad caelos, sedet ad dexteram dei patris omnipotentis, inde venturus iudicare vivos et mortuos. Credo et in Spiritum sanctum, sanctam ecclesiam, sanctorum communionem, abremissam peccatorum, carnis resurrectionem, vitam aeternam.

Arletian Creed from Caesarius

Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem caeli et terrae. Credo et in Iesum Christum filium eius unigenitum sempiternum, qui conceptus est de Spiritu sancto, natus est de Maria virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus, descendit ad inferna, tertia die reurrexit a mortuis, ascendit ad caelos, sedit ad dexteram dei patris omnipotentis, inde venturus iudicare vivos et mortuos. Credo in sanctum Spiritum, sanctam ecclesiam catholicam, sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam aeternam. Amen.

Ravennan Creed from Petrus 430 - 450

Credo in Deum Patrem omnipotentem, et in Christum Iesum, Filium eius unicum, Dominum nostrum, qui natus est de Spiritu sancto ex Maria virgine, qui sub Pontio Pilato crucifixus est et sepultus, tertia die resurrexit, ascendit in caelos, sedet ad dexteram patris, inde venturus est iudicare vivos et mortuos. Credo in Spiritum sanctum, sanctam ecclesiam, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam aeternam.

Turinian Creed from Maximus

Credo in Deum Patrem omnipotentem, et in Iesum Christum filium eius unicum, Dominum nostrum, qui natus est de Spiritu sancto ex Maria virgine, qui sub Pontio Pilato crucifixus est et sepultus, tertia die resurrexit a mortuis, ascendit in caelum, sedet ad dexteram patris inde venturus iudicare vivos et mortuos, et in Spiritum sanctum, sanctam ecclesiam, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem.

Remesianan Creed from Nicetas

Credo in Deum Patrem omnipotentem, caeli et terrae creatorem, et in Filium eius Iesum Christum Dominum nostrum, natum ex Spiritu sancto et ex virgine Maria, passum sub Pontio Pilato, crucifixum,

mortuum, tertia die resurrexit vivus a mortuis, ascendit in caelos, sedet ad dexteram patris, inde venturus iudicare vivos et mortuos, et in Spiritum sanctum, sanctam ecclesiam catholicam, communionem sanctorum, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem et vitam aeternam.

Hipponian Creed from Augustinus

Credimus in Deum Patrem omnipotentem, universorum creatorem, regem saeculorum, immortalem et invisibilem. Credimus et in Filium eius Iesum Christum Dominum nostrum, natum de Spiritu sancto ex virgine Maria, crucifixum sub Pontio Pilato, mortuum, et sepultum, qui tertia die resurrexit a mortuis, ascendit ad caelos, sedet ad dexteram dei patris, inde venturus est iudicare vivos et mortuos. Credimus et in Spiritum sanctum, remissionem peccatorum, resurrectionem carnis, vitam aeternam per sanctam ecclesiam.

Carthaginian Creed from Augustinus

Credo in Deum Patrem omnipotentem, universorum creatorem, regem saeculorum, immortalem et invisibilem. Credo et in Filium eius Iesum Christum, qui natus est de Spiritu sancto ex virgine Maria, crucifixus est sub Pontio Pilato et sepultus, tertia die a mortuis resurrexit, assumptus est in caelos, et ad dexteram patris sedet, inde venturus est iudicare vivos et mortuos. Credo et in

Spiritum sanctum, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, in vitam aeternam per sanctam ecclesiam.

Ruspian Creed from Fulgentius

Credo in Deum Patrem omnipotentem, universorum creatorem, regem saeculorum, immortalem et invisibilem. Credo in Iesum Christum, Filium eius unicum, Dominum nostrum, qui natus est de Spiritu sancto ex virgine Maria, crucifixus est sub Pontio Pilato et sepultus, tertia die resurrexit a mortuis, in caelum ascendit, et in dextera dei sedit, inde venturus est iudicare vivos et mortuos. Credo et in Spiritum sanctum, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, in vitam aeternam per sanctam ecclesiam.

Braganian Creed from Martinus 550

Credo in Deum Patrem omnipotentem, et in Iesum Christum, Filium eius unicum, Deum et Dominum nostrum, qui natus est de Spiritu sancto et Maria virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus et sepultus, descendit ad inferna, tertia die resurrexit vivus a mortuis, ascendit in caelos, sedet ad dexteram dei patris omnipotentis, inde venturus iudicare vivos et mortuos. Credo in sanctum Spiritum, sanctam ecclesiam catholicam, remissionem omnium peccatorum, carnis resurrectionem et vitam aeternam.

Mozarabic Liturgical Creed

Credo in Deum Patrem omnipotentem, et in Iesum Christum, Filium eius unicum, Dominum nostrum, natum de Spiritu sancto ex utero Mariae virginis, passus sub Pontio Pilato, crucifixus et sepultus, tertia die resurrexit vivus a mortuis, ascendit in celum, sedet ad dexteram dei patris omnipotentis, inde venturus iudicaturus vivos et mortuos. Credo in sanctum Spiritum, sanctam ecclesiam catholicam, sanctorum communionem, remissionem omnium peccatorum, carnis huius resurrectionem et vitam eternam. Amen.

Creed from De Symbolo ad Catechumenos

Credimus in Deum Patrem omnipotentem, et in Iesum Christum Filium eius unicum, Dominum nostrum, natus de Spiritu Sancto et virgine Maria, passus sub Pontio Pilato, crucifixus et sepultus, ascendit in caelum, sedet ad dexteram Patris, inde venturus iudicare vivos et mortuos, et in Spiritum Sanctum, sanctam ecclesiam, remissionem peccatorum, resurrectionem carnis, in vitam aeternam.

Symbolum Apostolorum

…

circa 200

…

Credo in Deum, Patrem omnipotentem, creatorem caeli et terrae. Et in Iesum Christum, Filium eius unicum, Dominum nostrum, qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, et sepultus, descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis, ascendit ad caelos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis, inde venturus est iudicare vivos et mortuos. Credo in Spiritum Sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam, sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam aeternam. Amen.

Symbolum Hierosolymitanum

…

circa 325

…

Greek Text

Πιστεύομεν εἰς ἕνα Θεόν Πατέρα παντοκράτορα, ποιητὴν οὐρανοῦ καὶ γῆς, ὁρατῶν τε πάντων καὶ ἀοράτων·. Καὶ εἰς ἕνα κύριον Ἰησοῦν Χριστόν, τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ τὸν μονογενῆ, τὸν ἐκ υἱὸν τοῦ πατρὸς γεννηθέντα, πρὸ πάντων αἰώνων, θεὸν ἀληθινὸν, δἰ οὗ τὰ πάντα ἐγένετο· ἐν σαρκὶ παραγενόμενον, καὶ ἐνανθρωπήσαντα ἐκ παρθένου καὶ πνεύματος ἁγίου, σταυρωθέντα καὶ ταφέντα, ἀναστάντα τῇ τρίτῇ ἡμέρᾳ, καὶ ἀνελθόντα εἰς τοὺς οὐρανοὺς αἰ καθίσαντα ἐκ δεξιῶν τοῦ πατρὸς, καὶ ἐρχόμενον ἐν δόξῃ, κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς· οὗ τῆς βασλείας οὐκ ἔσαι τέλος. Καὶ εἰς ἓν ἅγιον πνεῦμα, τὸν παράκλητον, τὸ λαλῆσαν ἐν τοῖς προφήταις. Καὶ εἰς ἓν βάπτισμα μετανοίας εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, καὶ εἰς μίαν ἁγίαν καθολικὴν ἐκκλησίαν, καὶ εἰς σαρκὸς ἀνάστασιν, καὶ εἰς ζωὴν αἰώνιον.

Translation

Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem caeli et terrae, visibiliumque omnium et invisibilium. Et in unum Dominum

Iesum Christum, Filium Dei unigenitum, qui ex Patre genitus est, Deus verus ante omnia saecula, per quem omnia facta sunt. Qui in carne advenit, et inhumanatus est ex Virgine et Spiritu sancto, crucifixus et sepultus, resurrexit tertia die, et ascendit in caelos, et consedit a dextris Patris, et venturus est in gloria, iudicare vivos et mortuos, cuius regni non erit finis. Et in unum sanctum Spiritum, Paracletum videlicet, qui locutus est in prophetis. Et in unum baptisma poenitentiae, in remissionem peccatorum. Et in unam sanctam catholicam Ecclesiam, et in carnis resurrectionem, et in vitam aeternam.

Symbolum Fidei Eusebii Pamphili Caesareae Episcopi

Eusebius Pamphilius, Bishop of Caesarea

325

Silvester PP I

Greek Text

Πιστεύομεν εἰς ἕνα θεόν, πατέρα, παντοκράτορα, τὸν τῶν ἁπάντων ὁρατῶν τε καὶ ἀοράτων ποιητήν, καὶ εἰς ἕνα κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν τοῦ θεοῦ λόγον, θεὸν ἐκ θεοῦ, φῶς ἐκ φωτός, ζωὴν ἐκ ζωῆς, υἱὸν μονογενῆ, πρωτότοκον πάσης κτίσεως, πρὸ πάντων τῶν αἰώνων ἐκ τοῦ πατρὸς γεγεννημένον, δι' οὗ καὶ ἐγένετο τὰ πάντα· τὸν διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν σαρκωθέντα καὶ ἐν ἀνθρώποις πολιτευσάμενον καὶ παθόντα καὶ ἀναστάντα τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ καὶ ἀνελθόντα πρὸς τὸν πατέρα καὶ ἥξοντα πάλιν ἐν δόξῃ κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς. πιστεύομεν δὲ καὶ εἰς ἓν πνεῦμα ἅγιον. τούτων ἕκαστον εἶναι καὶ ὑπάρχειν πιστεύοντες πατέρα ἀληθῶς πατέρα καὶ υἱὸν ἀληθῶς υἱὸν καὶ πνεῦμα ἅγιον ἀληθῶς ἅγιον πνεῦμα, καθὼς καὶ ὁ κύριος ἡμῶν ἀποστέλλων εἰς τὸ κήρυγμα τοὺς ἑαυτοῦ μαθητὰς εἶπεν· «πορευθέντες μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη βαπτίζοντες αὐτοὺς εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος». περὶ ὧν καὶ διαβεβαιούμεθα οὕτως ἔχειν καὶ οὕτως φρονεῖν καὶ πάλαι οὕτως ἐσχηκέναι καὶ μέχρι θανάτου ὑπὲρ ταύτης ἐνίστασθαι τῆς πίστεως ἀναθεματίζοντες πᾶσαν ἄθεον

αἵρεσιν. ταῦτα ἀπὸ καρδίας καὶ ψυχῆς πάντοτε πεφρονηκέναι, ἐξ οὗπερ ἴσμεν ἑαυτούς, καὶ νῦν φρονεῖν τε καὶ λέγειν ἐξ ἀληθείας ἐπὶ τοῦ θεοῦ τοῦ παντοκράτορος καὶ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ μαρτυρόμεθα, δεικνύναι ἔχοντες δι' ἀποδείξεων καὶ πείθειν ὑμᾶς, ὅτι καὶ τοὺς παρεληλυθότας χρόνους οὕτως ἐπιστεύομέν τε καὶ ἐκηρύσσομεν.

First Text

Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, omnium visibilium et invisibilium effectorem, et in unum Dominum Iesum Christum, Dei Verbum, Deum ex Deo, lumen ex lumine, vitam ex vita, Filium unigenitum, primogenitum omnis creaturae, ante omnia saecula ex Patre genitum, per quem et omnia facta sunt, qui propter nostram salutem incarnatus est et inter homines vixit, qui passus est et resurrexit tertia die et ascendit ad Patrem, iterumque cum gloria venturus est, ut iudicet vivos et mortuos. Credimus quoque in unum Spiritum sanctum, horumque quemlibet esse et existere credimus Patrem vere Patrem, et Filium vere Filium, et Spiritum sanctum vere Spiritum sanctum, ut et Dominus noster, cum suos discipulos ad praedicandum mitteret, ait, Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. De quibus etiam asseveramus nos ita sentire ac antea sensisse et usque ad mortem fidem istam esse propugnaturos. Anathemate insuper

percutimus omnem impiam haeresim. Haec ex corde et animo semper sensisse, ex quo nosmetipsos cognoscimus, atque nunc ex veritate sentire et dicere, coram Deo omnipotente et Domino nostro Iesu Christo testamur, possumusque argumentis vobis ostendere et persuadere, nos etiam praeteritis temporibus ita credidisse et docuisse.

Second Text

Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, omnium visibilium atque invisibilium authorem, et in unum Dominum Iesum Christum, Dei Verbum, Deum de Deo, lumen de lumine, vitam de vita, Filium unigenitum, primogenitum omnis creaturae, ante omnia saecula de Patre natum, per quem facta sunt omnia, qui propter nostram salutem corpus mortale assumpsit, et cum hominibus versatus est, qui et passus est, et resurrexit tertia die, qui ascendit ad Patrem, et iterum venturus est cum gloria, ad iudicandos vivos et mortuos. Credimus et in unum Spiritum sanctum, et horum unumquodque, esse atque consistere credentes affirmamus, Patrem vere Patrem, et Filium vere Filium, et Spiritum sanctum vere Spiritum sanctum, quemadmodum et Dominus noster mittens ad praedicandum suos discipulos, dixit, Ite docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Quae ita se habere affirmamus, ac de iisdem nos ita sentire, et rursus eadem ita se

habuisse, et usque ad mortem pro hac fide consistere, execrabilem enunciantes omnem a Deo alienam opinionem. Haec corde, animoque sensisse, ex quo novimus nos ipsos, et nunc et sentire, et dicere in conspectu Dei omnipotentis, et Domini nostri Iesu Christi testificamur, qui et probatione certa ostendere possumus, et vobis persuadere, quod et omni ante hac tempore sic et credidimus et praedicavimus.

Third Text

Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, visibilium omnium et invisibilium creatorem, et in unum Dominum Iesum Christum, Dei Verbum, Deum de Deo, lumen de lumine, vitam ex vita, Filium unigenitum, primogenitum omnis creaturae, ante omnia saecula ex Deo Patre genitum, per quem omnia facta sunt, qui propter nostram salutem incarnatus est, et inter homines versatus, qui passus est, et resurrexit tertia die, ascendit ad Patrem, et iterum venturus est cum gloria ut vivos iudicet vivos ac mortuos. Credimus etiam in unum Spiritum sanctum. Horum unumquemque esse ac subsistere credentes, Patrem vere Patrem, Filium vere Filium, et Spiritum sanctum vere Spiritum sanctum, sicut et Dominus noster, cum suos discipulos ad praedicandum mitteret, dixit, Ite ac docete omnes gentes, baptisantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. De quibus etiam affirmamus, nos ita tenere atque ita sentire, et olim ita

tenuisse, et usque ad mortem retenturos, atque in hac fide constanter permansuros esse, omnem impiam haeresim anathemate damnantes. Haec nos omnia sincere atque ex animo sensisse, ex quo nosmetipsi nosse potuimus, atque etiamnum sentire et loqui verissime, coram omnipotente Deo et coram Domino nostro Iesu Christo testificamur, parati cerissimis probationibus ostendere, et vobis persuadere, nos praeteritis etiam temporibus ita credidisse, atque ita praedicasse.

Symbolum Nicaenum

First Council of Nicaea

325

Silvester PP I

First Text

Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, omnium visibilium et invisibilium factorem, et in unum Dominum nostrum Iesum Christum Filium Dei de Patre natum unigenitum, hoc est, de substantia Patris. Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum de Deo vero. Natum, non factum. Omousion Patri, hoc est, eiusdem cum Patre substantiae, per quem omnia facta sunt in caelo et in terra. Qui propter nos, et propter nostram salutem descendit et carnem assumpsit, et homo factus est. Passus est, et resurrexit tertia die. Ascendit ad caelos, sedet in dexteram Dei Patris omnipotentis. Inde venturus iudicare vivos et mortuos. Et in Spiritum sanctum. Eos autem, qui dicunt, aliquando erat tempus, quando non erat, et priusquam nasceretur, non erat, et quia ex nullis subsistentibus factus est, aut ex alia substantia vel essentia, aut mutabilem dicunt esse, vel convertibilem Filium Dei, anathematizat catholica et apostolica ecclesia.

Second Text

Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, omnium et visibilium et invisibilium authorem, et in unum Dominum Iesum Christum Filium Dei, natum de Patre unigenitum, hoc est, de substantia Patris. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt in caelo et in terra. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit et mortali corpore assumpto, homo factus est. Qui passus est, et resurrexit tertia die. Qui ascendit in caelum. Et venturus est ad iudicandos vivos et mortuos. Et in Spiritum sanctum. Eos vero qui dicunt, fuisse aliquando quum haud fuerit, et priusquae nasceretur non fuisse, et ex nihilo esse factum, aut ex alia substantia vel essentia, qui etiam dicunt et mutabilem et variabilem esse Filium Dei, execratur et publicat sancta catholica et apostolica ecclesia.

Third Text

Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, omnium tam visibilium et invisibilium factorem, et in unum Dominum Iesum Christum Filium Dei unigenitum, ex Patre unigenitum, hoc est, ex substantia Patris. Deum ex Deo, lumen de lumine, Deum verum ex Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt, cum quae in caelo tum quae in terra. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit, et incarnatus,

homo factus, et passus est, et resurrexit tertia die, et ascendit ad caelos, venturus ad iudicandum vivos ac mortuos. Et in Spiritum sanctum. Eos vero qui dicunt, erat aliquando quando non erat, et antequam nasceretur non erat, et quoniam ex non existentibus factus est, aut ex alia hypostasi aut substantia esse dicunt, vel mutabilem aut alterabilem Filium Dei, tales anathemate percutit catholica et apostolica ecclesia.

Athanasii Archiepiscopi Alexandriae Expositio Fidei

Athanasius, Patriarch of Alexandria

circa 350

…

Credimus in unum non genitum Deum, Patrem omnipotentem, omnium effectorem visibilium et invisibilium, qui a se ipso habet ut sit, et in unum unigenitum Verbum, Sapientiam, Filium, ex Patre sine initio et ab aeternitate genitum, Verbum vero non prolatum vel internum, non aliquid ex perfecto effluens, aut ex impatibili natura sectum vel proiectum, sed Filium per se perfectum, viventem et agentem, veram Patris imaginem, honore et gloria parem, haec est enim, inquit, voluntas Patris, Ut quemadmodum Patrem honorant, ita et Filium honorent, Deum verum ex Deo vero, uti dicit Ioannes in catholicis Epistolis, Et simus in vero, in Filio eius Iesu Christo. Hic est verus Deus et vita aeterna, omnipotentem ex omnipotente, omnibus enim, quibus imperat et dominatur Pater, imperat et dominatur similiter Filius, qui totus ex toto et similis Patri exsistit, ut ipse ait Dominus, Qui me videt, videt Patrem. Genitus autem est modo inexplicabili et qui comprehendi nequeat. Nam generationem eius quis enarrabit? Quod idem est ac si diceretur, nullus. Qui idem cum in fine saeculorum ex Patris sinu descendisset, ex inviolata Virgine Maria nostrum assumpsit hominem, Iesum Christum, cuius

propriae voluntati reliquit, ut pro nobis pateretur, quemadmodum ipse ait Dominus, Nemo tollit animam meam a me, potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterum sumendi eam. In quo homine crucifixtis et mortuus pro nobis, resurrexit a mortuis, et in cœlos assumptus est. Idem principium viarum nobis creatus, cum in terra versaretur, nobis ex tenebris lumen exhibuit, salutem ex errore, vitam ex mortuis, nec non ingressum in paradisum, ex quo Adam eiectus fuerat, et in quem idem rursus per latronem ingressus est, quomadmodum ait Dominus, Hodie mecum eris in paradiso, in quem etiam introivit ipse Paulus. Ascensum quoque in cœlum nobis paravit, quo praecursor pro nobis intravit Dominicus homo, in quo vivos et mortuos est iudicaturus.

Credimus similiter in Spiritum sanctum, qui omnia scrutatur etiam profunda Dei. Dogmatis autem omnibus quae his contraria fuerint, anathema dicimus. Neque enim Filio Patrem agnoscimus, qui unius sit substantiae, non vero consubstantialis, ut volunt Sabelliani, qui hoc pacto Filium penitus tollunt. Neque etiam patibile corpus, quod propter totius mundi salutem gestavit, attribuimus Patri, neque tres hypostases per seipsas divisas, ut in hominibus pro natura corporum accidit, fas est in Deo cogitare, ne, ut gentes, deorum multitudinem inducamus, sed sicut fluvius, qui ex fonte genitus, ab eodem non separatur, quamvis duae sint illorum figurae duove nomina.

Siquidem neque Pater est Filius, neque Filius est Pater, nam Pater, Filii Pater est, et Filius, Patris est Filius. Ut enim fons non est fluvius, neque fluvius est fons, sed uterque una et eadem est aqua, quae ex fonte permanat in fluvium, sic divinitas ex Patre in Filium absque fluxione et divisione diffunditur. Hinc dicit Dominus, Ex Patre exivi et venio. Apud Patrem autem semper is est, qui est in sinu Patris, nec unquam sinus Patris Filii divinitate est exinanitus, namque ait, Ego eram apud eum componens. Nec vero sentimus creatum ut factum, aut ex nihilo esse rerum omnium creatorem Deum, Dei Filium, ex exsistente exsistentem, ex solo solum, cui ab aeternitate ex Patre par gloria et virtus simul ingenita est, nam qui videt Filium, videt et Patrem. Nempe omnia per Filium creata sunt, at non ipse res est creata, uti his verbis docet Paulus, Quia in ipso creata sunt omnia, et ipse est ante omnia. Non autem dicit eum ante omnia creatum esse, sed esse ante omnia. Hoc igitur verbum, creatum esse, de omnibus quidem dicitur, sed esse ante omnia soli utique Filio congruit.

Ille itaque fetus est natura perfectus ex perfecto, ante omnes colles genitus, hoc est, ante omnem naturam ratione et intelligentia praeditam, quemadmodum alibi Paulus eum vocat primogenitum omnis creaturae. Verum cum primogenitum dixit, illum non creatum esse, sed fetum esse Patris significavit. Siquidem alienum est ab eius divinitate, rem creatam ipsum dici. Omnia enim a Patre per Filium

creata sunt, solus autem Filius ab aeternitate ex Patre genitus est, unde Deus Verbum primogenitus est omnis creaturae, immutabilis ex immutabili. Itaque corpus quod quidem propter nos assumpsit, res creata est, de quo dicit Ieremias iuxta Septuaginta interpretum editionem, Dominus creavit nobis in plantationem salutem novam, in qua salute homines circumibunt. Interprete autem Aquila, Creavit Dominus novum in femina. Creata porro nobis in plantationem salus nova et non antiqua, nobis et non ante nos, Iesus est, qui quatenus Salvator, factus est homo, quae quidem vox, Iesus, aliquando salus, aliquando Salvator redditur. Est autem ex Salvatore salus, ut ex lumine illuminatio. Itaque nova ex Salvatore creata salus, ut loquitur Ieremias, nobis salutem novam creavit, vel, ut vertit Aquila, Creavit Dominus novum in femina, id est in Maria. Nihil enim novum in femina creatum est, nisi Dominicum corpus, quod Maria virgo absque concubitu peperit, ut ex persona Iesu in Proverbiis legitur, Dominus creavit me initium viarum suarum in opera sua. Non dicit, ante opera creavit me, ne quis id ad divinitatem Filii referret.

Utrumque ergo illud de re creata dictum, de Iesu secundum corpus scriptum est. Siquidem principium viarum creatus est Dominicus homo, quem nobis nostrae salutis procurandae causa exhibuit. Nam per ipsum habemus accessum ad Patrem, ipse enim est via quae nos ad Patrem ducit. Via autem corporeum quiddam est quod oculis

cernitur, estque ipse Dominicus homo. Omnia ergo creavit Verbum Dei, quod ipsum non creatum est, sed genitum. Namque nulla res creata aliquid aequale vel simile sibi ipsi potest creare, sed Patris est generare, et artificis creare. Itaque res facta et creata est corpus, quod propter nos gestavit Dominus, Quod gentium nobis est, ut ait Paulus, a Deo sapientia et sanctificatio et iustitia et redemptio, quamvis ante nos atque rem quamlibet creatam et fuerit et sit Verbum, Patris sapientia. Sanctus autem Spiritus qui a Patre procedit, semper est in manibus Patris mittentis, et ferentis Filii, per quem scilicet omnia replevit. Pater igitur qui ex seipso esse, ut ita loquar, continet, Filium, uti diximus, genuit, non creavit, non secus ac fluvium ex fonte, germen ex radice, et splendorem ex luce, quae individua esse, natura ipsa agnoscit. Per ipsum autem sit Patri gloria, potestas et maiestas ante omnia saecula, et in omnia saecula saeculorum. Amen.

Professio Fidei Sirmiense

Second Council of Sirmium

351

Liberius PP

First Text from Saint Hilary, de Synodis 38

Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, creatorem et conditorem, ex quo omnis paternitas in caelo et in terris nominatur. Et in unicum eius Filium Dominum nostrum Iesum Christum, qui ante omnia saecula ex Patre natus est, Deum ex Deo, lumen ex lumine, per quem facta sunt omnia in caelis et in terra, visibilia et invisibilia. Qui est verbum, et sapientia, et virtus, et vita, et lumen verum, qui in novissimis diebus propter nos incorporatus est, et natus de sancta Virgine, et crucifixus, et mortuus est, et sepultus, qui et surrexit ex mortuis tertia die, et adscendit in caelum, et sedet in dextera Patris, et venturus est in consummatione saeculi iudicare vivos et mortuos, et reddere unicuique secundum opera sua, cuius regnum sine fine perseverans, permanet in perpetua saecula. Erit enim sedens in dextera Patris, non solum in hoc saeculo, verum etiam et in futuro. Et in Spiritum sanctum, id est paracletum, quem promittens Apostolis, postea quam caelum adscendit, misit docere eos, et commonere omnia, per quem et sanctificantur credentium in eum sinceriter animae.

1. Eos autem qui dicunt, De nullis exstantibus Filius, vel de altera substantia, et non ex Deo, et quod erat tempus vel saeculum quando non erat, alienos scit sancta et catholica Ecclesia.
2. Si quis autem Patrem et Filium duos dicit deos, anathema sit.
3. Et si quis, unum dicens Deum, Christum autem Deum ante saecula Filium Dei obsecutum Patri in creatione omnium non confitetur, anathema sit.
4. Et si quis innascibilem Deum, vel partem eius, de Maria natum esse audet dicere, anathema sit.
5. Et si quis secundum praescientiam vel praedestinationem a Maria dicit Filium esse, et non ante saecula ex Patre natum apud Deum esse, et per eum facta esse omnia, anathema sit.
6. Si quis substantiam Dei dilatari et contrahi dicit, anathema sit.
7. Si quis dilatatam substantiam Dei Filium dicat facere, aut latitudinem substantiae eius, sicuti sibi videtur, Filium nominet, anathema sit.
8. Si quis insitum vel prolativum verbum Dei Filium dicat, anathema sit.
9. Si quis hominem solum dicit de Maria Filium, anathema sit.

10. Si quis Deum et hominem de Maria natum dicens, Deum innascibilem sic intelligit, anathema sit.
11. Si quis Verbum caro factum est, audiens, Verbum in carnem translatum putet, vel demutationem sustinentem accepisse carnem dicit, anathema sit.
12. Si quis unicum Filium Dei crucifixum audiens, dealitatem eius corruptionem vel passibilitatem aut demutationem aut deminutionem vel interfectionem sustinuisse dicat, anathema sit.
13. Si quis, faciamus hominem, non Patrem ad Filium dixisse, sed ipsum ad semetipsum dicat Deum locutum, anathema sit.
14. Si quis Filium non dicat Abrahae visum, sed Deum innascibilem, vel partem eius, anathema sit.
15. Si quis cum Iacob non Filium quasi hominem colluctatum, sed Deum innascibilem, vel partem eius dicat, anathema sit.
16. Si quis, Pluit Dominus a Domino, non de Filio et Patre intelligat, sed ipsum a se dicat pluisse, anathema sit. Pluit enim Dominus Filius a Domino Patre.
17. Si quis Dominum et Dominum Patrem et Filium, quia Dominus a Domino, duos dicat deos, anathema sit. Non enim exaequamus vel comparamus Filium Patri, sed subiectum intelligimus. Neque enim descendit in Sodomam sine Patris voluntate, neque pluit ex se, sed a Domino, auctoritate

scilicet Patris, nec sedet in dextera a semetipso, sed audit dicentem Patrem, Sede ad dexteram meam.

18. Si quis Patrem et Filium et Spiritum sanctum unam personam dicat, anathema sit.

19. Si quis Spiritum sanctum paracletum dicens, innascibilem Deum dicat, anathema sit.

20. Si quis, sicuti docuit nos Dominus, non alium dicat Paracletum a Filio, dixit enim, Et alterum paracletum mittet vobis Pater, quem rogabo ego, anathema sit.

21. Si quis Spiritum sanctum partem dicat Patris vel Filii, anathema sit.

22. Si quis Patrem et Filium et Spiritum sanctum tres dicat deos, anathema sit.

23. Si quis, quod dictum est, Ego Deus primus, et ego Deus novissimus, et praeter me non est Deus, ad destructionem idolorum dictum et eorum qui non sunt dii, in destructionem unigeniti ante saecula Dei Iudaice intelligat, anathema sit.

24. Si quis voluntate Dei, tamquam unum aliquid de creatura, factum dicat Filium, anathema sit.

25. Si quis nolente Patre natum dicat Filium, anathema sit. Non enim nolente Patre coactus Pater, vel naturali necessitate ductus, cum nollet genuit Filium, sed mox

voluit, sine tempore et impassibiliter ex se eum genitum demonstravit.

26. Si quis innascibilem et sine initio dicat Filium, tamquam duo sine principio et duo innascibilia et duo innata dicens, duos faciat deos, anathema sit. Caput enim, quod est principium omnium, Filius, caput autem, quod est principium Christi, Deus, ita enim ad unum qui est sine principio omnium principium, per Filium universa referimus.

27. Et iterum confirmantes Christianismi intellectum, dicimus, quoniam si quis Christum Deum Filium Dei ante saecula subsistentem et ministrantem Patri ad omnium perfectionem non dicat, sed ex quo de Maria natus est, ex eo et Christum et Filium nominatum esse, et initium accepisse ut sit Deus, dicat, anathema sit.

Second Text from Saint Athanasius, de Synodis 27

Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, creatorem et factorem omnium, ex quo omnis paternitas in caelo et in terra nominatur. Et in unigenitum eius Filium, Dominum nostrum Iesum Christum, ex Patre natum ante omnia saecula, Deum ex Deo, lumen ex lumine, per quem omnia facta sunt, quae in caelis et quae in terra, visibilia et invisibilia. Qui Verbum est et sapientia, lux vera, et

vita, qui in novissimis diebus propter nos homo factus est, natusque ex sancta Virgine, crucifixus, mortuus et sepultus, qui resurrexit ex mortuis tertia die, et assumptus est in caelum, sedetque ad dexteram Patris. Et venturus est in consummatione saeculi iudicare vivos et mortuos, et reddere unicuique secundum opera sua, cuius regnum perpetuum permanet in infinita saecula. Erit enim sedens ad dexteram Patris, non solum in hoc saeculo, sed etiam in futuro. Et in Spiritum sanctum, hoc est Paracletum, quem apostolis pollicitus, se, post ascensum suum in caelos, missurum, misit, ut doceret eos et suggereret eis omnia, per quem omnes animae quae in eum sincere credunt, sanctificantur.

1. Eos porro qui dicunt, Filium ex non exstantibus, aut ex alia substantia, et non ex Deo esse, aut tempus vel saeculum fuisse cum exsisteret, alienos a se agnoscit sancta et catholica ecclesia.
2. lterum ergo dicimus, si quis Patrem et Filium duos Deos dicit, anathema esto.
3. Et si quis cum dicat Deum Christum, et ante saecula Dei Filium esse, eundem non confiteatur ad creationem universorum Patri ministrasse, anathema esto.
4. Si quis ingenitum illum, aut partem eius ex Maria natum dicere ausit, anathema esto.

5. Si quis secundum praescientiam ante Mariam Filium esse dicit, et non ante saecula ex Patre genitum apud Deum esse, ac per eum non omnia fuisse facta, anathema sit.
6. Si quis Dei substantiam dilatari, aut contrahi dixerit, anathema sit.
7. Si quis dilatatam Dei substantiam Filium facere dixerit, aut dilatationem substantiae eius Filium nominet, anathema esto.
8. Si quis internum aut prolatitium esse Dei Filium dixerit, anathema sit.
9. Si quis Filium ex Maria natum, hominem tantum esse dicat, anathema sit.
10. Si quis Deum et hominem ex Maria natum, Deum ingenitum ipsum intelligat, anathema sit.
11. Si quis illud, Ego Deus primus, et ego postea et paeter me non est Deus, quod ad idolorum, falsorumque deorum subversionem dictum est, subversionem Unigeniti, ante saecula Dei, Iudaico more accipiat, anathema sit.
12. Si quis illud, Verbum caro factum est, audiens, Verbum in carnem mutatum esse existimet, aut mutationem quandam, in assumendo carnem, passum esse dicat, anathema sit.

13. Si quis unigenitum Filium Dei crucifixum audiens, divinitatem eius corruptionem, passionem, mutationem, diminutionem aut destructionem subiisse dicat, anathema sit.
14. Si quis illud, Faciamus hominem, non Patrem Filio, sed sibi ipsi Deum dixisse affirmaverit, anathema sit.
15. Si quis dixerit Abraham non vidisse Filium, sed ingenitum Deum aut partem eius, anathema sit.
16. Si quis cum Iacobo non Filium ut hominem colluctatum esse dicat, sed ingenitum Deum, aut partem eius, anathema sit.
17. Si quis illud, Pluit Dominus a Domino, non de Patre ac Filio accipiat, sed ipsum a seipso pluisse dicat, anathema sit, pluit enim Filius Dominus, a Domino Patre.
18. Si quis audiens Dominum Patrem et Dominum Filium, aut Dominum Patrem et Filium, quod Dominus ex Domino sit, duos dicat Deos, anathema esto. Non enim Filium exaequamus Patri, sed subditum illi esse intelligimus. Neque enim sine voluntate Patris descendit Sodomam, neque pluit a semetipso, sed a Domino, id est per auctoritatem Patris, neque sedet ad dexteram Patris a semetipso, sed audit Patrem dicentem, Sede a dextris meis.
19. Si quis Patrem et Filium et Spiritum sanctum, unam personam dicat, anathema sit.

20. Si quis Spiritum sanctum Paracletum dicens, ingenitum Deum dixerit, anathema sit.

21. Si quis, ut nos docuit Dominus, non alium Paracletum dicat praeter Filium, dixit enim, Et alium Paracletum mittet vobis Pater, quem ego rogabo, anathema sit.

22. Si quis Spiritum sanctum partem Patris aut Filii dixerit, anathema sit.

23. Si quis Patrem et Filium et Spiritum sanctum tres Deos dixerit, anathema sit.

24. Si quis voluntate Dei, ut unam ex rebus factis Filium Dei factum esse dixerit, anathema sit.

25. Si quis Filium non volente Patre genitum esse dicat, anathema sit. Non enim coactus Pater, vel naturali necessitate ductus, cum nollet genuit Filium, sed simul ac voluit, sine tempore, et sine passione ex se genitum illum edidit.

26. Si quis ingenitum et principio carentem dixerit Filium, ita ut duo principio carentia, et duo ingenita dicat, duosque Deos faciat, anathema sit. Caput enim quod est principium omnium Filius est, caput vero quod est principium Christi, Deus est, ita enim ad unum, qui est sine principio omnium principium, omnia per Filium pie referimus.

27. Et iterum Christianismi sententiam accurate exponentes dicimus, Si quis negaverit Christum Deum, Filium Dei esse ante saecula, et Patri ad universorum creationem ministrasse, sed ex quo tempore ex Maria genitus est, Christum ac Filium appellatum fuisse, et tunc incepisse Deum esse, anathema sit.

Third Text from Socrates, Historia Ecclesiae II 30

Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, creatorem et conditorem omnium, ex quo omnis paternitas in caelo et in terries nominatur. Et in Filium eius unigenitum, Dominum nostrum Iesum Christum, qui ante omnia saecula ex patre natus est, Deus ex Deo, lumen ex lumine, per quem facta sunt omnia quae in caelis sunt et quae in terra, visibilia et invisibilia. Qui et verbum est et sapientia, lux vera et vita. Qui in novissimis diebus propter nos homo factus est, natusque ex sancta virgine, crucifixus etiam mortuus ac sepultus, qui surrexit ex mortuis tertia die, et ascendit in caelum sedetque ad dexteram Patris, et in extrema saeculi clausula venturus est, ut iudicet vivos ac mortuos, et unicuique reddat mercedem operum suorum. Cuius regnum perpetuum, nec unquam desiturum, in infinita permanet saecula. Erit enim sedens ad dexteram Patris, non solum in hoc saeculo, verum etiam in futuro. Et in Spiritum sanctum, id est Paracletum, quem pollicitus Apostolis

suis Dominus, post ascensum in caelum misit, ut doceret illos et moneret omnia, per quem etiam sanctificantur animae eorum qui in ipsum sincere crediderint.

1. Eos autem qui dicunt Filium Dei ex iis quae non erant, aut ex alia esse substantia, non autem ex Deo, et fuisse tempus aut saeculum cum non existeret, alienos a se censet sancta et catholica ecclesia.
2. Iterum ergo dicimus, si quis Patrem et Filium duos dixerit Deos, anathema sit.
3. Et si quis Christum Deum Deique Filium ante saecula esse dicens, eundem non confiteatur in creatione omnium rerum Patri ministrasse, anathema sit.
4. Si quis ingenitum, aut partem eius, ex Maria natum esse audeat dicere, anathema sit.
5. Si quis secundum praescientiam ex Maria dicat Filium esse, non autem ante saecula ex patre natum apud Deum esse, et per eum facta fuisse omnia, anathema sit.
6. Si quis substantiam Dei dilatari aut contrahi dicat, anathema sit.
7. Si quis dilatatam substantiam Dei Filium facere dicat, aut dilatationem substantiae eius nominet Filium, anathema sit.

8. Si quis internum aut prolativum verbum dixerit Dei filium, anathema sit.

9. Si quis Filium ex Maria natum, hominem tantum esse dicat, anathema sit.

10. Si quis Deum et hominem ex Maria natum esse dicens, ingenitum ipsum intelligat, anathema sit.

11. Si quis illud quod scriptum est, ego Deus primus, et ego postea, nec est alius Deus praeter me, quod quidem dictum est ad simulacrorum et falsorum numinum eversionem, Iudaico more intelligat, quasi dictum sit ad subversionem unigeniti Filii Dei qui est ante saecula, anathema sit.

12. Si quis audiens haec verba, verbum caro factum est, verbum in carnem mutatum esse existimet, aut conversionem aliquam patiendo assumpsisse carnem, anathema sit.

13. Si quis unigenitum Filium Dei audiens esse crucifixum, divinitatem eius corruptioni aut passioni aut mutationi obnoxiam fuisse dicat, et diminutionem aliquam vel interitum sustinuisse, anathema sit.

14 Si quis illud, faciamus hominem, non Patrem dixisse ad Filium, sed ad semetipsum locutum esse Deum asserat, anathema sit.

15. Si quis non Filium Abrahamo visum esse dicat, sed ingenitum Deum aut partem eius, anathema sit.

16. Si quis non Filium tanquam hominem cum Iacobo colluctatum esse dicat, sed ingenitum Deum aut partem illius, anathema sit.

17. Si quis illud, Pluit Dominus a Domino, non de Patre ac Filio intelligat, sed ipsum a semetipso pluisse dicat, anathema sit. Pluit enim Dominus Filius a Domino Patre.

18. Si quis audiens Dominum Patrem et Dominum Filium, aut Dominum Patrem et Filium, aut Dominus ex Domino dicens, duos dixerit Deos, anathema sit. Non enim Filium exaequamus Patri, sed subiectum illi esse intelligimus. Neque enim sine voluntate Patris descendit Sodomam, neque pluit a semetipso, sed a Domino, hoc est a Patre, penes quem est auctoritas. Nec sedet in dextera Patris a semetipso, sed Patrem audit dicentem, sede a dextris meis.

19. Si quis Patrem, Filium et Spiritum sanctum unam personam esse dicat, anathema sit.

20. Si quis Spiritum sanctum Paracletum dicens, ingenitum Deum dixerit, anathema sit.

21. Si quis non alium quam Filium dicat esse Paracletum, sicut ipse Filius nos docuit, cum diceret, Alium paracletum mittet vobis Pater quem ego rogabo, anathema sit.

22. Si quis Spiritum partem Patris et Filii esse dixerit, anathema sit.

23. Si quis Patrem et Filium et Spiritum sanctum tres dixerit Deos, anathema sit.

24. Si quis Filium Dei voluntate Patris tanquam unam ex creaturis extitisse dicat, anathema sit.

25. Si quis Filium non volente Patre genitum esse dicat, anathema sit. Non enim coactus Pater, vel naturali necessitate ductus, cum nollet genuit Filium, sed simul ac voluit, sine tempore et sine passione ex se genitum illum ostendit.

26. Si quis Filium ingenitum et principii expertem dixerit, tanquam duo ingenita et duo principii expertia dicens, ac duos faciens Deos, anathema sit. Caput enim et principium omnium est Filius. Caput autem Christi Deus. Ita enim ad unum qui est sine principio, omnium principium, universa referimus.

27. Praeterea Christianae religionis sententiam accurate exponentes dicimus, si quis Christum Iesum negat ante omnia saecula fuisse Filium Dei, et ministrasse Patri ad omnium rerum creationem, sed ab eo solum tempore quo natus est ex Maria filium et Christum eum appellatum esse dicit, et initium tunc accedisse deitatis, anathema sit.

Professio Fidei Basilii ex Epistola ad Iulianum Apostatam

Basil, Bishop of Caesarea

363

Liberius PP

First Text

Secundum immaculatam fidem Christianorum, quam divinitus sumus sortiti, confiteor et polliceor credere in unum Deum Patrem omnipotentem, Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum, unum Deum, tria adoro et glorifico. Confiteor autem incarnatam Filii dispensationem, et Dei genitricem sanctam Mariam, quae illum secundum carnem peperit. Suscipio autem et sanctos apostolos, prophetas et martyres, et ad supplicationem, quae est ad Deum, hos invoco, ut per eos, id est interventionem eorum, propitius mihi sit misericors Deus, et culparum mihi redemptio fiat, et detur. Unde et characteres imaginum eorum honoro et adoro, praecipue cum hoc traditum a sanctis apostolis, et non prohibitum sit, quin et in omnibus ecclesiis nostris ostendatur depictum.

Second Text

Secundum immaculatam fidem Christianorum, quam divinitus sumus sortiti, confiteor et testor me credere in unum Deum Patrem omnipotentem, Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum

sanctum, unum Deum, tria adoro et glorifico. Confiteor autem et Filii in carne dispensationem, et Dei genitricem sanctam Mariam, quae illum secundum carnem peperit. Suscipio autem et sanctos apostolos, prophetas et martyres, et ad supplicationem, quae sit Deo, hos invoco, ut per eos, id est interventionem eorum, propitius mihi sit misericors Deus, et delictorum mihi redemptio fiat, et condonetur. Unde et characteres imaginum eorum honoro et osculor eximie, cum hae traditae sint a sanctis apostolis, nec sint prohibitae, imo in omnibus ecclesiis nostris depictae sint.

Professio Fidei Eusebius Episcopus Vercellensis

Eusebius, Bishop of Vercelli

before 371

…

Confitemur et credimus sanctam atque individuam Trinitatem Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum unum Dominum naturaliter esse unius substantiae, unius naturae, unius quoque maiestatis, atque virtutis, et Patrem quidem non factum, non creatum, non genitum profitemur. Ipse enim a nullo originem duxit, ex quo et Filius nativitatem, et Spiritus sanctus processionem accepit. Fons ergo, et origo ipse est totius Divinitatis, ipse quoque Pater essentiae suae, qui de ineffabili substantia filium ineffabiliter genuit, nec tamen aliud, quam quod ipse est, genuit, Deus Deum, lux lucem.

Ab ipso ergo est omnis paternitas in caelo, et in terra. Filium quoque de substantia Patris sine initio ante saecula natum, nec tamen factum esse fatemur. Quia nec Pater sine Filio, nec Filius aliquando exstitit sine Patre, et tamen non sicut Filius de Patre, ita Pater de Filio, quia non Pater a Filio, sed Filius a Patre generationem accepit. Filius ergo Deus de Patre. Pater autem Deus, sed non de Filio. Pater quidem Filii, non Deus de Filio. Ille autem Filius Patris, et Deus de Patre, aequalis tamen per omnia Filius Deo Patri, quia non esse

coepit aliquando, nec desiit. Filius unius cum Patre substantiae creditur, sic quod et homousion Patri dicitur, hoc est eiusdem cum Patre substantiae, homo enim Graece unum, ousia vero substantia dicitur, quod utrumque coniunctum sonat unam substantiam. Non enim de nihilo, neque de alia substantia, sed de Patris utero, id est, de Substantia eiusdem Filius genitus, vel naturae credendus est.

Sempiternus ergo Pater, sempiternus et Filius, quod si Pater semper fuit, semper habuit Filium, cui Pater esset, et ob hoc Filium de Patre natum sine initio confitemur. Nec eundem Filium Dei pro eo, quod de Patre sit genitus dissectae naturae portiunculam nominamus. Sed perfectum Patrem, perfectum Filium sine diminutione, sine dissectione genuisse asserimus, quia solius divinitatis est inaequalem Filium non habere. Hic etiam Filius Dei natura est Filius, non adoptione, quem Deus Pater nec voluntate, nec necessitate genuisse credendus est, quia nulla in Deo necessitas capit, nec voluntas sapientiam praevenit.

Sanctum quoque Spiritum, quem tertiam in Trinitate personam unum, atque aequalem cum Deo Patre, et Filio credimus esse Deum unius substantiae, unius naturae, non tamen genitum, vel creatum, sed ab utroque procedentem amborum esse Spiritum. Hic etiam Spiritus sanctus, nec ingenitus, nec genitus creditur. Ne si ingenitum

dixerimus, duos patres dicamus, aut si genitum, duos filios praedicare monstremus. Quod tamen nec Patris tantum, nec Filii tantum, sed simul Patris, et Filii Spiritus dicitur. Nec enim de Patre procedit in Filium, vel de Filio procedit ad sanctificandam creaturam, sed simul ab utrisque processisse monstratur, quia charitas, sive sanctitas amborum esse agnoscitur. Hic igitur Spiritus sanctus missus ab utrisque, sicut Filius a Patre creditur, sed minor Patre, et Filio non habetur, sicut, et Filium propter assumptam carnem minorem Patre et Spiritu sancto esse testamur.

Haec est sancta Trinitas, ut fert credi relata narratio, quae non triplex, sed aeternitas et dici, et credi potest. Nec recte dici debet ut in uno Deo sit Trinitas, sed unus Deus Trinitas in relativis personarum nominibus, Pater ad Filium, Filius ad Patrem, Spiritus sanctus ad utrosque refertur, quae cum relative tres personae dicantur, una tamen natura, id est substantia creditur. Nec sicut tres personas, ita tres substantias praedicamus, sed unam substantiam, tres autem personas.

Quod enim Pater est non a se, sed ad Patrem est. Similiter, et Spiritus sanctus non a se, sed ad Patrem et Filium relative refertur in eo, quod Patris et Filii Spiritus praedicatur. Item cum dicimus Deus non ad aliquid dicitur, sicut Pater ad Filium, vel Filius ad Patrem, vel

Spiritus sanctus ad Patrem, et Filium, sed ad se specialiter dicitur Deus. Nam etsi de singulis personis interrogaremur, Deum necesse est, fateamur. Deus ergo Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus, singulariter dicitur, non tamen tres Dei, sed unus est Deus.

Item, et Pater omnipotens, et Filius omnipotens, et Spiritus sanctus omnipotens singulariter dicuntur, nec tamen tres omnipotentes, sed unus omnipotens. Sicut, et unum lumen unumque principium praedicatur. Singulariter ergo ut unaquaeqne persona plenus Deus, et totae tres personae unus Deus confitetur, et creditur una illis non divisa, atque aequalis maiestas, deitas, atque potestas, nec minoratur in singulis, nec augetur in tribus.

Quia nec aliquid abest cum unaquaeque persona Deus singulariter dicitur, nec amplius cum totae tres personae unus Deus enuntiatur. Haec ergo sancta Trinitas, quae unus est, et verus Deus non recedit a numero, nec capitur numero. In relatione enim personarum numerus cernitur. In divinitatis vero substantia quid innumeratum sit, non comprehenditur. Ergo hoc solum numerum insinuat, quod ab invicem sunt, et in hoc solum numero carent, quod ad se sunt. Nam ita huic sanctae Trinitati unum naturale convenit nomen, ut in tribus personis non possit esse plurale. Ob hoc secundum illud in sacris litteris dicitur Dominus, Dominus noster, et magna virtus eius,

et sapientiae eius non est numerus. Nec quia tres has personas esse dicimus unum Deum, eundem esse Filium, quem Patrem, aut eundem, quod Spiritus sanctus est, Patrem, vel Filium dicere poterimus.

Non enim ipse est Pater, qui Filius, nec Filius ipse, qui Pater, nec Spiritus sanctus ipse, qui est vel Pater, vel Filius, cum tamen ipse sit Pater, quod Filius, ipse sit Filius, quod Pater, ipse Spiritus sanctus, quod est Pater, et Filius, id est natura unus Deus. Cum enim dicimus non ipsum esse Patrem quem Filium, ad personarum distinctionem refertur.

Cum autem dicimus ipsum esse Patrem, quod Filium, ipsum Filium, quod Patrem, ipsum Spiritum sanctum, quod Patrem et Filium, ad naturam, qua Deus est, vel substantiam pertinere monstratur. Quoad substantiam unum sunt, personas enim distinguimus, non Deitatem separamus. Trinitatem igitur in personarum distinctione agnoscimus, unitatem propter naturam vel substantiam profitemur. Tria ergo ista unum sunt natura scilicet, non persona, nec tamen tres istae personae separabiles existimandae sunt, cum nulla ante aliam, nulla post aliam, nulla sine alia vel exstitisse, vel quidpiam operasse aliquando credatur. Inseparabiles enim inveniuntur et in eo, quod sunt, et in eo quod faciunt, ita inter generantem Patrem,

et generatum Filium vel procedentem Spiritum sanctum nullum fuisse credimus temporis intervallum, quo aut genitor genitum aliquando praecederet, aut genitus genitori deesset, aut procedens Spiritus Patri, vel Filio posterior appareret. Ob hoc ergo inseparabilis et inconfusa haec Trinitas a nobis et praedicatur, et creditur. Tres igitur istae personae dicuntur iuxta quod maiores definiunt, ut cognoscantur, non ut separentur. Nam si attendamus illud, quod Scriptura sacra dicit de sapientia, splendor est lucis aeternae, sicut splendorem luci videmus inseparabiliter inhaerere, sic confitemur Filium a Patre separari non posse. Tres ergo illas unius, atque inseparabilis naturae personas sicut non confundimus, ita separabiles nullatenus praedicamus. Quandoquidem ita nobis hoc dignata est ipsa Trinitas evidenter ostendere, cum etiam in his nominibus quibus voluit singillatim personas agnosci, unam sine alia non permittat intelligi, nec Pater absque Filio agnoscitur, nec sine Patre Filius invenitur. Relatio quippe ipsa vocabuli personas separari vetat, quas etiam dum non simul nominat, simul insinuat. Nemo autem audire potest unumquodque istorum nominum, in quo non intelligere cogatur, et alterum.

Cum igitur haec tria sint unum, et unum tria, est tamen unicuique personae manens sua proprietas. Pater enim aeternitatem habet sine nativitate, Filius nativitatem cum aeternitate, Spiritus vero

Sanctus processionem sine nativitate cum aeternitate. De his tribus personis solam Filii personam pro liberatione humani generis hominem verum sine peccato de sancta et immaculata Maria Virgine credimus assumpsisse, de qua novo ordine, novaque nativitate est genitus, quia intacta Virginitas virilem coitum nescivit, et fecunda per Spiritum sanctum carnis materiam ministravit. Qui partus Virginis nec ratione colligitur, nec exemplo monstratur. Quod si ratione colligitur, non est mirabile. Si exemplo monstratur, non est singulare. Nec tamen Spiritus sanctus Pater esse credendus est Filii pro eo, quod Maria eodem Spiritu sancto obumbrata concepit, ne Patres Filii videamur asserere, quod nefas est dici. In quo mirabili conceptu aedificante sibi Sapientia domum, Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Nec tamen verbum ipsum in carne conversum, atque mutatum est, ut desisteret esse Deus, quod homo esse voluisset. Sed ita Verbum caro factum est, ut non tantum ibi sit verbum Dei, et hominis caro, sed etiam rationalis hominis anima, atque hoc totum, et Deus dicatur propter Deum, et homo propter hominem. In quo Dei Filio duas credimus esse naturas, unam Divinitatis, alteram humanitatis.

Quas ita in se una Christi persona univit, ut nec Divinitas ab humanitate, nec humanitas a Divinitate possit aliquando seiungi. Unde perfectus Deus, perfectus Homo in unitate personae, unus est

Christus. Nec tamen quia duas diximus in Filio Dei esse naturas, duas causabimus in eo esse personas, ne Trinitati, quod absit, accedere videatur quaternitas.

Deus enim verbum non accepit personam hominis, sed naturam, et in aeternam personam Divinitatis temporalem accepit substantiam carnis. Item cum unius substantiae credimus esse Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, non tamen dicimus, ut huius Trinitatis unitatem Maria Virgo genuerit, sed tantummodo Filium, qui solus naturam nostram in unitate suae personae assumpsit. Incarnationem quoque huius Filii Dei tota Trinitas operasse credenda est, quia inseparabilia sunt opera Trinitatis. Solus tamen Filius formam accepit in singularitate personae, non in unitate Divinae naturae. In id quod est proprium Filii, non quod commune Trinitati, quae forma illa ad unitatem personae quidem allata est, adeo ut Filius Dei, et Filius hominis unus sit Christus, id est Christus in his duabus naturis tribus exstat substantiis verbi, quod ad solius Dei essentiam referendum est, corporis et animae, quod ad verum hominem pertinet. Habet igitur in se geminam substantiam divinitatis suae et humanitatis nostrae. Hic etiam per hoc, quod de Deo Patre sine vitio prodiit natus tantum. Nam neque factus, neque praedestinatus accipitur.

Per hoc tamen, quod de Maria Virgine natus est, et praedestinatus esse credendus est. Ambae tamen in illo generationes mirabiles, quia, et de Patre ante saecula sine matre genitus, et in fine saeculorum de matre sine patre est generatus. Quod tamen secundum quod est Deus creavit Mariam, secundum quod homo est creatus ex Maria, ipse Pater Mariae matris suae, et Filius.

Item per hoc quod Deus est, aequalis est Patri, per hoc quod homo, minor est Patre. Item et maior, et minor esse credendus est. In forma enim Dei etiam ipse Filius se ipso maior est propter humanitatem assumptam. Quia Divinitas maior est. In forma autem hominis etiam ipse Filius se ipso maior est ad humanitatem, quae minor divinitate accipitur. Ita secundum divinitatem, quae aequalis est Patri, ipse, et Pater maior est homine, quem sola Filii persona assumpsit. Item in eo, quod quaeri potest, Filius sic aequalis, et minor esse creditur. Respondeamus secundum formam Dei servi minor et Patre et Spiritu sancto. Quia nec Spiritus Sanctus dicitur Pater. Sed sola Filii persona suscepit carnem, per quam minor esse creditur illis personis duabus. Item hic Filius a Deo Patre et Spiritu sancto inseparabiliter discretus creditur esse persona ab homine assumpto ex Maria. Item cum in homine una exstat persona, cum Patre vero, et Spiritu sancto natura Divinitatis suae substantia, missus tamen Filius non solum a Patre, sed a Spiritu Sancto missus

esse credendus est. In eo, quod ipse per Prophetam dicit, Et nunc Dominus misit me, et spiritus eius. A se ipso quoque missus accipitur pro eo, quod sine parabolis, non solum voluntas, sed et operatio totius trinitatis agnoscitur. Hic enim qui ante saecula unigenitus est vocatus spiritualiter, primogenitus est factus. Unigenitus propter Divinitatis substantiam. Primogenitus propter assumptae carnis naturam, in qua suscepti hominis forma iuxta evangelicam veritatem sine peccato conceptus, sine peccato natus, sine peccato mortuus creditur, qui solus pro nobis peccator est factus, id est sacrificium pro peccatis nostris. Et tamen passionem ipsam, salva Divinitate sua pro delictis nostris sustinuit, mortique iudicatus, et cruci veram carnis mortem excepit. Tertia quoque die virtute propria suscitatus de sepulcro surrexit.

Hoc ergo exemplo capitis nostri confitemur veram fieri resurrectionem carnis omnium mortuorum. Nec in aeria, vel qualibet alia carne, ut quidam delirant resurrecturos vos credimus, sed in ista, qua vivimus, consistimus et movemus. Peracto huius sanctae resurrectionis exemplo idem Dominus noster, atque Salvator paternam ascendendo sedem repetivit, de qua numquam per divinitatem discessit. Illuc ad dexteram Patris sedens exspectatus in finem saeculorum iudex omnium vivorum et mortuorum.

Inde cum sanctis omnibus veniet ad faciendum iudicium, reddere unicuique mercedem proprie debitam, prout quisque gesserit in corpore positus, sive bonum, sive malum.

Ecclesiam sanctam catholicam pretio sui sanguinis comparatam cum eo credimus in perpetuum regnaturam. Intra cuius gremium constituti unum baptisma credimus, et confitemur in remissione omnium peccatorum. Sub qua fide, et resurrectione mortuorum veraciter credimus, et futuri saeculi gaudia exspectamus.

Hoc tantum nobis orandum est, et petendum ut cum peracto, finitoque iudicio tradiderit Filius regnum Deo et Patri, participes nos efficiat regni sui, ut qui per hanc fidem illi inhaeremus cum illo sine fine regnemus.

Haec est confessionis nostrae fides exposita, per quam haereticorum dogma perimitur, per quam fidelium corda mundantur, per quam etiam ad Deum gloriose acceditur, cuius sacrosancto sapore sub triduano dierum ieiunio continua relationum collatione ructantes ad ea, quae subnixa sunt sequenti die exponenda transivimus.

Fides Damasi

Damasus PP I

circa 375

Damasus PP I

Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, et in unum Dominum nostrum Iesum Christum, Filium Dei, et in Spiritum Sanctum Deum. Non tres Deos, sed Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum, unum Deum colimus et confitemur, non sic unum Deum quasi solitarium, nec eundem qui ipse sibi pater sit, ipse et filius, sed Patrem esse, qui genuit, et Filium esse, qui genitus sit, Spiritum vero sanctum non genitum, neque ingenitum, non creatum neque factum, sed de Patre Filioque procedentem, Patri et Filio coaeternum, et coaequalem, et cooperatorem. Quia scriptum est, Verbo Domini caeli firmati sunt, id est, a Filio Dei et Spiritu oris eius omnis virtus eorum. Et alibi, Emitte Spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terrae. Ideoque in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti unum confitemur Deum, quia Deus nomen est potestatis, non proprietatis. Proprium nomen est Patri, Pater, et proprium nomen est Filio, Filius, et proprium nomen est Spiritui Sancto, Spiritus Sanctus. In hac trinitate unum Deum credimus, quia ex uno Patre quod est, unius cum Patre naturae est, unius substantiae et unius

potestatis. Pater Filium genuit, non voluntate, nec necessitate, sed natura.

Filius ultimo tempore ad nos salvandos et ad implendas Scripturas descendit a Patri, qui nunquam desiit esse cum Patre. Et conceptus est de Spiritu Sancto, et natus ex Virgine. Carnem, et animam, et sensum, hoc est perfectum suscepit hominem, nec amisit, quod erat, sed coepit esse quod non erat, ita tamen ut perfectus in suis sit, et verus in nostris. Nam qui Deus erat, homo natus est, et qui homo natus est, operatur ut Deus, et qui operatur ut Deus, ut homo moritur, et qui ut homo moritur, ut Deus resurgit. Qui devicto mortis imperio, cum ea carne, qua natus et passus et mortuus fuerat, et resurrexit, ascendit ad Patrem, sedetque ad dexteram eius in gloriam, quam semper habuit et habet. In huius morte et sanguine credimus emundatos nos, et ab eo resuscitandos die novissimo, in hac carne, qua nunc vivimus. Et habemus spem nos consequturos ab ipso aut vitam aeternam, praemium boni meriti, aut poenam pro peccatis aeterni supplicii. Haec lege, haec retine, huic fidei animam tuam subiuga, a Christo Domino et vitam consequeris praemia.

Symbolum Fidei Epiphanii Episcopi Constantiae

Epiphanius, Bishop of Constantia

circa 375

…

First Text

Credimus in unum Deum patrem omnipotentem, omnium visibilium et invisibilium creatorem et in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei, genitum ex Deo Patre unigenitum, hoc est ex essentia Patris, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, coessentialem Patri, per quem omnia facta sunt, quae in caelis sunt et in terra, visibilia et invisibilia. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit, et incarnatus est, hoc est, genitus est perfecte ex sancta Maria semper virgine, per Spiritum sanctum, et homo factus est, hoc est perfectum hominem suscepit, animam et corpus ac mentem, et omnia quicquid est homo, praeter peccatum, non ex semine viri, neque in homine, sed in seipsum carnem efformavit, in unam sanctam unitatem, non quemadmodum in prophetis inspiravit et loquutus est ac operatus, sed perfecte homo factus. Verbum enim caro factum est, non mutationem passum, neque transmutata deitate in humanitatem, sed ita ut counierit suam sanctam perfectionem ac deitatem in unam. Unus enim est Dominus Iesus Christus, et non

duo, idem Deus, idem Dominus, idem rex. Idem passus est in carne, et refurrexit, et ascendit in caelos in ipso corpore, gloriose sedens in dextera Patris, venturus in ipso corpore in gloria ad iudicandum vivos et mortuos. Cuius regni non erit finis.

Et in Spiritum sanctum credimus, qui loquutus est in lege, et praedicavit in prophetis, et descendit in Iordanem, et loquitur in Apostolis, atque habitat in sanctis. Sic autem credimus in ipsum, quod Spiritus sanctus, spiritus Dei, spiritus perfectus, spiritus paracletus, increatus, ex Patre procedens, et a Filio accipiens, ac fidem reperiens. Credimus in unam catholicam et apostolicam Ecclesiam. Et in unum baptisma poenitentiae, et in resurrectionem mortuorum, et iudicium iustum animarum ac corporum. Et in regnum caelorum, et in vitam aeternam. At vero eos qui dicunt, quod erat aliquando quando non erat Filius, aut Spiritus sanctus, Aut quod ex nihilo factus est, aut ex alia substantia sive essentia, mutabilem aut alterabilem Filium Dei, aut Spiritum sanctum asserentes, eos execratur Catholica et Apostolica Ecclesia, mater vestra et nostra. Et rursus execramur eos qui refurrectionem mortuorum non confitentur, et omnes haereses qui non sunt ex hac recta fide.

Quum autem vestri et nostri filii, o vos beatissimi, sic credant, et mandata ex hac fide perficiant, speramus ut semper pro nobis precentur, ut habeamus partem et sortem in eadem fide ac mandatorum ipsius sorte. Et rogo ut oretis pro nobis vos et omnis, qui sic credit, et mandata Domini servat, in Christo Iesu Domino nostro, per quem, et cum quo gloria Patri cum sancto Spiritu, in secula seculorum. Amen.

Second Text

Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, omnium invisibilium visibiliumque factorem. Et in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei, genitum a Deo Patre, unigenitum, hoc est e Patris substantia, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt, tam quae caelis quam quae terra continentur, visibilia et invisibilia. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit, et incarnatus est, hoc est, ex Maria semper virgine per Spiritum sanctum perfecte genitus, homo factus est, id est perfectum assumpsit hominem, animam et corpus et mentem et omne quicquid homo est, excepto peccato, non e virili satu, nec ita ut in homine duntaxat inesset, sed in seipsum effictam illam carnem transtulit, et in unam ac sanctum singularitarem coniunxit, non ad eum modum quo Prophetis aspiravit, et in illis locutus est,

effecitque quidpiam, sed homo perfectus esse voluit, Verbum quippe caro factum est, neque aut mutationem ullam est expertum, aut Divinitatem suam in naturam convertit hominis, sed in unam sanctam perfectionem Divinitatemque copulavit, unus est enim Dominus Iesus Christus, non duo, idem Deus, idem Dominus, idemque rex qui passus est in carne, et resurrexit, et caelum cum eodem corpore conscendit, et ad dexteram Patris gloriose consedit, et cum eodem corpore venturus est cum gloria iudicare vivos et mortuos, cuius regni non erit finis.

Credimus et in Spiritum sanctum, qui locutus est in Lege, et per Prophetas praedicavit, et ad Iordanem descendit, in Apostolis loquutus est, et in Sanctis habitat. Ita porro nos in ipsum credimus, Spiritum esse sanctum, Spiritum Dei, Spiritum perfectum, Spiritum Paracletum, increatum, a Patre procedentem, accipientem a Filio, in quem credimus. Praeterea credimus in unam Catholicam et Apostolicam Ecclesiam, et in unum poenitentiae baptismum, et in resurrectionem mortuorum, ac iustum animarum corporumque iudicium, et in regnum caelorum, et in vitam aeternam. Eos vero qui dicunt fuisse aliquando cum non esset Filius aut Spiritus sanctus, aut e nihilo esse factum, vel ex altera hypostasi aut substantia, quique conversioni aut mutationi obnoxium esse dicunt Dei Filium aut Spiritum sanctum, hos omnes anathemate damnat Catholica et

Apostolica Ecclesia, mater vestra ac nostra. Condemnamus etiam illos, qui mortuorum resurrectionem minime confitentur, necnon et haereses omnes, quae huic sanctae fidei minime consentaneae sunt.

Postremo vos omnes ac caeteros filios nostros eiusmodi fide praeditos, fideique mandata servantes, pro nobis perpetuo Deum precaturos confidimus, ut in eadem fide et in mandatorum illius sorte partem habeamus aliquam. Pro me itaque Dominum orate tam vos quam quisquis ita credit ac Domini praeceptis obsequitur, in Christo Iesu Domino nostro, per quem et cum quo Patri gloria cum Spiritu Sancto in saecula. Amen.

Fides Romanorum

Phoebadius, Bishop of Agen

circa380

…

First Text

Credimus unum Deum, Patrem omnipotentem, et unum unigenitum Filium eius Deum et Dominum Salvatorem nostrum, et Spiritum sanctum Deum, non tres Deos Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, sed unum Deum esse confitemur. Non sic unum Deum, quasi solitarium, nec eundem, qui ipse sibi Pater sit, ipse et Filius, sed Patrem verum, qui genuit Filium verum, ut est Deus de Deo, lumen de lumine, vita ex vita, perfectum de perfecto, totum a toto, plenum a pleno, non creatum, sed genitum, non ex nihilo, sed ex Patre, unius substantiae cum Patre, Spiritum vero sanctum Deum, non ingenitum, neque genitum, non creatum, nec factum, sed Patris et Filii, semper in Patre, et Filio coaeternum. Veneramur tamen unum Deum, quia ex uno Patre totum quod Patris est, natus est, Filius Deus, et in Patre totum quod inest, totum genuit Filium. Pater Filium generans non minuit, nec amisit plenitudinis suae deitatem, totum autem quod Deus Pater est, id esse et Filium ab eo natum, certissime tenentes. Cum Spiritu sancto unum Deum piissime confitemur Iesum Christum Dominum nostrum, Dei Filium, per

quem omnia facta sunt quae in caelis et quae in terra, visibilia et invisibilia, propter nostram salutem descendit de caelo, qui nunquam desierit esse in caelo, natus de Spiritu sancto ex Virgine Maria. Verbum caro factum, non amisit quod fuerat, sed coepit esse quod non erat. Non demutatum, sed permanentem etiam hominem natum, non putative, sed vere, non aerium, sed corporeum, non phantasticum, sed carneum, ossa, sanguinem, sensum, et animam habentem, ita verum Deum et verum hominem intelligimus, ita verum hominem verum Deum fuisse nullo modo ambigimus. Confitendum est hunc eundem Dominum nostrum Iesum Christum adimplesse legem et prophetas, passum sub Pontio Pilato, crucifixum secundum Scripturas, mortuum et sepultum secundum Scripturas, tertia die a mortuis resurrexisse, assumptum in caelos, sedere ad dexteram Patris, inde venturum iudicare vivos et mortuos exspectamus. In huius morte et sanguine mundatos remissionem peccatorum consecutos, resuscitandos nos ab eo in his corporibus et in eadem carne qua nunc sumus, sicut et ipse in eadem carne qua natus est, et passus, et mortuus, resurrexit, et animas cum hac carne vel corpora nostra ab eo, aut vitam aeternam, praemium boni meriti, aut sententiam pro peccatis aeterni supplicii recepturos.

Second Text

Credimus unum Deum, Patrem omnipotentem, et unum unigenitum Filium eius Deum et Dominum Salvatorem nostrum, et Spiritum sanctum Deum, non tres Deos Patrem et Filium et Spiritum sanctum, sed unum Deum esse confitemur. Non sic unum Deum, quasi solitarium, nec eundem, qui ipse sibi Pater sit, ipse et Filius, sed Patrem verum, qui genuit Filium verum, ut est Deus de Deo, lumen de lumine, vita ex vita, perfectum de perfecto, totum a toto, plenum a pleno, non creatum, sed genitum, non ex nihilo, sed ex Patre, unius substantiae cum Patre, Spiritum vero sanctum Deum, non ingenitum, neque genitum, non creatum, nec factum, sed Patris et Filii, semper in Patre, et Filio coaeternum. Veneramur tamen unum Deum, quia ex uno Patre totum quod Patris est, natus est Filius Deus, et in Patre totum quod inest, totum genuit Filium. Pater Filium generans non minuit, nec amisit plenitudinis suae deitatem, totum autem quod Deus Pater est, id esse et Filium ab eo natum, certissime tenentes. Cum Spiritu sancto unum Deum piissime confitemur Iesum Christum Dominum nostrum, Dei Filium, per quem omnia facta sunt, quae in caelis et quae in terra, visibilia et invisibilia, propter nostram salutem descendit de caelo, qui numquam desierit esse in caelo, natus de Spiritu sancto ex virgine Maria. Verbum caro factum non amisit quod fuerat, sed coepit esse quod non erat. Non demutatum sed permanentem etiam hominem natum, non putative, sed vere, non aerium, sed corporeum, non

phantasticum, sed carneum, ossa, sanguinem, sensum et animam habentem, ita verum Deum et verum hominem intelligimus, ita verum hominem verum Deum fuisse nullo modo ambigimus. Confitendum est hunc eundem Dominum nostrum Iesum Christum adimplesse legem et prophetas, passum sub Pontio Pilato, crucifixum secundum Scripturas, mortuum et sepultum secundum Scripturas, tertia die a mortuis surrexisse, assumptum in caelos, sedere ad dexteram Patris, inde venturum iudicare vivos et mortuos exspectamus. In huius morte et sanguine mundatos remissionem peccatorum consecutos, resuscitandos nos ab eo in his corporibus et in eadem carne qua nunc sumus, sicut et ipse in eadem carne qua natus est et passus et mortuus, resurrexit, et animas cum hac carne vel corpora nostra ab eo, aut vitam aeternam, praemium boni meriti, aut sententiam pro peccatis aeterni supplicii recepturos.

Third Text

Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem et in unum unigenitum Filium eius Iesum Christum, Deum et Dominum salvatorem nostrum, et Spiritum sanctum Deum. Non tres Deos, sed Patrem et Filium et Spiritum sanctum unum Deum esse confitemur. Non sic Deum quasi solitarium, nec eundem, qui ipse sibi Pater sit, ipse et Filius, sed Patrem verum, qui genuit Filium verum, id est Deus de Deo, lumen de lumine, vita ex vita, perfectum ex perfecto,

totum a toto, plenum a pleno, non creatum sed genitum, non ex nihilo, sed ex Patre, unius substantiae cum Patre. Spiritum vero sanctum Deum, non ingenitum neque genitum, non creatum nec factum, sed Patris et Filii, semper in Patre et Filio coaeternum veneramur. Unum tamen Deum, quia ex uno Patre totum quod Patris est, Deus natus est Filius, et in Patre totum quod inest, totum genuit Filium. Pater Filium generans non minuit, nec amisit plenitudinis suae deitatem. Totum autem quod est Deus Pater id esse et Filium ab eo natum certissime tenentes cum Spiritu sancto unum Deum piissime confitemur. Credimus Iesum Christum Dominum nostrum, Dei Filium, per quem omnia facta sunt, quae in caelis et quae in terra, visibilia et invisibilia, propter nostram salutem descendit de caelo, qui nunquam desierit esse in caelo, et natum de Spiritu sancto ex virgine Maria. Verbum caro factum non amisit quod erat, sed caepit esse quod non erat, non demutatum sed Deum permanentem etiam hominem natum, non putative sed vere, non aerium sed corporeum, non phantasium sed carneum, ossa, sanguinem, sensum et animam habentem. Ita verum hominem ut verum Deum unum eundemque vero hominem et verum Deum intelligimus, ita ut verum Deum verum hominem fuisse nullo modo ambigimus confitendum. Hunc eundem Iesum Christum adimplevisse legem et prophetas, passum sub Pontio Pilato, crucifixum secundum scripturas, mortuum et sepultum secundum

scripturas, tertia die a mortuis resurrexissae, adsumptum in caelum, sedere ad dexteram Patris, inde venturum iudicare vivos et mortuos. Exspectamus in huius morte et sanguine mundatos remissionem peccatorum consecutos resuscitandos nos in his corporibus et in eadem carne, qua nunc sumus, sicut et ipse in eadem carne, qua natus passus et mortuus est et resurrexit, et animas cum hac carne vel corpora nostra accepturos ab eo aut vitam aeternam praemium boni meriti, aut sententiam pro peccatis aeterni supplicii.

Symbolum Nicaeno Constantinopolitanum

First Council of Constantinople

381

Damasus PP I

Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem caeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia saecula. Deum de Deo, Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de caelis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est, et resurrexit tertia die, secundum Scripturas, et ascendit in caelum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria, iudicare vivos et mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum, Dominum et vivificantem, qui ex Patre procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur, qui locutus est per prophetas. Et unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum, et vitam venturi saeculi. Amen.

Professio Fidei Concilio Toletano Primo

First Council of Toledo

1 September 400

Anastasius PP I

First Text

Credimus in unum verum Deum Patrem et Filium et Spiritum Sanctum visibilium et invisibilium factorem, per quem creata sunt omnia in caelo et in terra, unum Deum et unam esse divinae substantiae Trinitatem. Patrem autem non esse Filium ipsum, sed habere Filium qui Pater non sit. Filium non esse Patrem, sed Filium Dei de Patris esse natura. Spiritum quoque esse Paraclitum, qui nec Pater sit ipse, nec Filius, sed a Patre Filioque procedens. Est ergo ingenitus Pater, genitus Filius, non genitus Paraclitus, sed a Patre Filioque procedens. Pater est cuius vox haec est audita de caelis, Hic est Filius meus dilectus in quo bene complacuit, ipsum audite. Filius est qui ait, Ego a Patre exivi, et a Deo veni in hunc mundum. Paraclitus Spiritus est, de quo Filius ait, Nisi abiero ego ad Patrem, Paraclitus non veniet ad vos. Hanc Trinitatem personis distinctam, substantia unitam virtute et potestate et maiestate indivisibilem indifferentem, praeter hanc nullam credimus divinam esse naturam vel angeli vel spiritus vel virtutis alicuius quae Deus esse credatur.

Hunc igitur Filium Dei Deum natum a Patre ante omne omnino principium sanctificasse uterum Mariae virginis atque ex ea verum hominem sine virili generatum semine suscepisse duabus dumtaxat naturis, id est deitatis et carnis in unam convenientibus omnino personam, id est Dominum nostrum Iesum Christum. Nec imaginarium corpus aut fantasmatis alicuius in eo fuisse, sed solidum atque verum. Hunc et esurisse, et sitisse, et doluisse, et flevisse, et omnis corporis iniurias pertulisse. Postremo a Iudeis crucifixum et sepultum, et tertia die resurrexisse. Conversatum postmodum cum discipulis suis, et quadragesima post resurrectionem die ad caelum ascendisse. Hunc filium hominis etiam Dei Filium, et Filium Dei hominis filium appellamus. Resurrectionem vero futuram humanae credimus carnis. Animam autem hominis, non divinae esse substantiae aut Dei Patris, sed creaturam Dei voluntate creatam.

1. Si quis autem dixerit aut crediderit a deo omnipotente mundum hunc factum non fuisse atque eius omnia instrumenta, anathema sit.
2. Si quis dixerit atque crediderit deum patrem eundem esse filium vel paraclytum, anathema sit.
3. Si quis dixerit vel crediderit filium eundem esse patrem vel paraclytum, anathema sit.

4. Si quis dixerit vel crediderit paraclytum vel patrem esse vel filium, anathema sit.
5. Si quis dixerit vel crediderit carnem tantum sine anima a filio dei fuisse susceptam, anathema sit.
6. Si quis dixerit vel crediderit Christum innascibilem esse, anathema sit.
7. Si quis dixerit vel crediderit deitatem nascibilem esse, anathema sit.
8. Si quis dixerit vel crediderit deitatem Christi convertibilem fuisse vel passibilem, anathema sit.
9. Si quis dixerit vel crediderit alterum deum esse priscae legis alterum evangeliorum, anathema sit.
10. Si quis dixerit vel crediderit ab altero deo mundum factum fuisse, et non ab eodem quo scriptum est, in principio fecit deus caelum et terram, anathema sit.
11. Si quis dixerit vel crediderit corpora humana non resurgere post mortem, anathema sit.
12. Si quis dixerit vel crediderit animam humanam dei portionem vel dei esse substantiam, anathema sit.
13. Si quis dixerit vel crediderit, alias scripturas praeter quas ecclesia catholica recipit in auctoritate habendas vel esse venerandas, anathema sit.

14. Si quis dixerit vel crediderit deitatis et carnis unam in Christo esse naturam, anathema sit.
15. Si quis dixerit vel crediderit esse aliquid quod se extra divinam trinitatem possit extendere, anathema sit.
16. Si quis astrologię vel mathesi existimat esse credendum, anathema sit.
17. Si quis dixerit vel crediderit coniugia hominum quae secundum legem divinam licet habere execrabilia esse, anathema sit.
18. Si quis dixerit vel crediderit carnes avium seu pecudum quae ad escam dandae sunt, non tantum pro castigatione hominum abstinendas, sed execrandas esse, anathema sit.
19. Si quis in his erroribus Priscilliani sectam sequitur vel profitetur, ut aliud in salutari baptismo contra sedem sancti Petri faciat, anathema sit.

Second Text

Credimus in unum verum Deum Patrem omnipotentem, et Filium, et Spiritum sanctum, visibilium factorem, per quem omnia facta sunt in caelo et in terra, unum Deum, et unam esse divinae substantiae Trinitatem. Patrem autem non esse Filium ipsum, sed habere Filium qui Pater non sit, Filium non esse Patrem, sed Filium Dei de Patris esse natura, Spiritum quoque esse Paracletum, qui nec Pater sit

ipse, nec Filius, sed a Patre Filioque procedens. Est ergo ingenitus Pater, genitus Filius, non genitus Paracletus sed a Patre Filioque procedens. Pater est cuius vox haec audita est de caelis, Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite. Filius est qui ait, Ego a Patre exivi, et a Deo veni in hunc mundum. Paracletus est Spiritus de quo Filius ait, Nisi ego abiero ad Patrem, Paracletus non veniet. Hanc Trinitatem personis distinctam substantia unica, virtute et potestate et maiestate indivisibilem, indifferentem, praeter hanc nullam credimus divinam esse naturam, vel angeli, vel spiritus, vel virtutis alicuius quae Deus credatur.

Hunc ergo Filium Dei Deum natum a Patre, ante omne omnino principium sanctificasse uterum virginis Mariae, atque ex ea verum hominem sine virili generatum semine suscepisse, duabus duntaxat naturis, id est deitatis et carnis, in unam convenientibus omnino personam, id est Dominum nostrum Iesum Christum. Nec imaginarium corpus, aut phantasmatis alicuius in eo fuisse, sed solidum atque verum hunc et esurisse, et sitisse, et doluisse, et flevisse, et omnes corporis iniurias pertulisse. Postremo a Iudaeis crucifixum, et sepultum, et tertia die resurrexisse, conversatum postmodum cum discipulis suis, et quadragesima post resurrectionem die ad caelum ascendisse. Hunc filium hominis etiam Filium Dei, et Filium Dei et hominis filium appellamus.

Resurrectionem vero futuram humanae credimus carnis, animam autem hominis non divinae esse substantiae, aut Dei Patris, sed creaturam Dei voluntate creatam.

1. Si quis autem dixerit, aut crediderit a Deo omnipotente mundum hunc factum non fuisse, atque omnia eius instrumenta, anathema sit.
2. Si quis dixerit vel crediderit Filium eundem esse Patrem, vel Paracletum, anathema sit.
3. Si quis dixerit atque crediderit Deum Patrem eundem esse Filium, vel Paracletum, anathema sit.
4. Si quis dixerit vel crediderit Paracletum esse, vel Patrem, vel Filium, anathema sit.
5. Si quis crediderit vel dixerit carnem tantum sine anima a Filio Dei fuisse susceptam, anathema sit.
6. Si quis dixerit vel crediderit Christum innascibilem esse, anathema sit.
7. Si quis dixerit vel crediderit deitatem nascibilem esse, anathema sit.
8. Si quis dixerit vel crediderit deitatem Christi convertibilem fuisse, vel passibilem, anathema sit.
9. Si quis dixerit vel crediderit alterum Deum esse priscae legis, alterum Evangeliorum, anathema sit.

10. Si quis dixerit vel crediderit ab altero Deo mundum factum fuisse, et non ab eo de quo scriptum est, in principio fecit Deus caelum et terram, anathema sit.
11. Si quis dixerit, vel crediderit corpora humana non resurgere post mortem, anathema sit.
12. Si quis dixerit, vel crediderit animam humanam Dei portionem, vel Dei esse substantiam, anathema sit.
13. Si quis dixerit vel crediderit alias scripturas praeter quas Ecclesia catholica recipit in auctoritate habendas vel esse venerandas, anathema sit.
14. Si quis dixerit vel crediderit deitatis et carnis unam in Christo esse naturam, anathema sit.
15. Si quis dixerit, vel crediderit esse aliquid quod se extra divinam Trinitatem possit ostendere, anathema sit.
16. Si quis astrologiae vel mathesi existimat esse credendum, anathema sit.
17. Si quis dixerit vel crediderit coniugia hominum quae secundum legem divinam licet habere exsecrabilia esse, anathema sit.
18. Si quis dixerit, vel crediderit carnes avium seu pecudum quae ad escam datae sunt, non tantum pro castigatione hominum abstinendas, seu exsecrandas esse, anathema sit.

19. Si quis in errore Priscilliani sectam sequitur, vel profitetur, ut aliud in salubri baptismo contra sedem sancti Petri faciat, anathema sit.

Third Text

Credimus in unum Deum, Patrem et Filium et Spiritum sanctum, visibilium et invisibilium factorem, per quem creata sunt omnia in caelo et in terra. Hunc unum Deum, et hanc unam esse divini nominis Trinitatem, Patrem non esse filium, sed habere filium qui pater non sit, Filium non esse patrem, sed Filium Dei esse natum, sanctum quoque Paracletum esse, qui nec pater sit ipse, nec filius, sed a patre filioque procedat. Est ergo ingenitus Pater, genitus Filius, non genitus Paracletus, sed a Patre et Filio procedens. Pater est cuius vox haec est audita de caelis, Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Hic Filius est qui ait, Ego a Patre exivi, et veni in hunc mundum. Paracletus est ipse de quo Filius ait, Nisi abiero ad Patrem, Paracletus non veniet ad vos. Hanc esse Trinitatem personis distinctam, indifferentem, praeter illam nullam divinam esse naturam vel angeli, vel spiritus, vel virtutis alicuius, quae Deus esse credatur.

Hunc igitur Filium Dei Deum, natum a Patre, et esse principium, patremque illum sanctificasse in utero Mariae virginis, atque ex ea

verum hominem sine viri semine generatum, id est, suscepisse Dominum nostrum Iesum Christum non imaginarium corpus, aut forma sola compositum, sed solidum. Atque hunc esurisse, et sitisse, et doluisse, et flevisse, et omnia corporis exercitia sensisse. Postremo crucifixum, mortuum et sepultum, tertia die resurrexisse, conversatum postmodum cum discipulis, quibus sanctum Paracletum misit dum ad caelos ascendisset, hunc filium hominis nunc vocari. Resurrectionem veram humanae credimus carnis. Animam hominis non divinam esse substantiam vel Dei partem, sed creaturam divina voluntate prolapsam.

1. Si quis ergo dixerit atque crediderit, a Deo omnipotente mundum hunc factum non fuisse atque eius omnia instrumenta, anathema sit.
2. Si quis dixerit atque crediderit Deum Patrem eundem Filium esse vel Paracletum, anathema sit.
3. Si quis dixerit atque crediderit Deum Filium eundem esse Patrem vel Paracletum, anathema sit.
4. Sit quis dixerit atque crediderit Paracletum spiritum esse Patrem vel Filium, anathema sit.
5. Si quis dixerit atque crediderit hominem Iesum Christum a Filio Dei assumptum non fuisse, anathema sit.

6. Si quis dixerit atque crediderit Filium Dei Deum passum fuisse, anathema sit.
7. Si quis dixerit atque crediderit hominem Iesum Christum hominem impassibilem fuisse, anathema sit.
8. Si quis dixerit atque crediderit alterum Deum esse priscae Legis, alterum Evangeliorum, anathema sit.
9. Si quis dixerit atque crediderit ab altero Deo mundum fuisse factum, quam ab illo de quo scriptum est, In principio fecit Deus caelum et terram, qui solus verus Deus est, anathema sit.
10. Si quis dixerit atque crediderit corpora humana non resurrectura post mortem, anathema sit.
11. Si quis dixerit atque crediderit animam humanam Dei portionem vel Dei esse substantiam, anathema sit. Si quis aliquas Scripturas praeter eas quas catholica Ecclesia recepit, vel in auctoritate habendas esse crediderit, vel fuerit veneratus, anathema sit.
12. Si quis non dixerit, semper Patrem, semper Filium, et semper Spiritum sanctum esse, anathema sit.
13. Si quis non dixerit Filium natum esse de Patre, id est, de substantia paterna, anathema sit.

14. Si quis non dixerit Verbum Dei Filium Dei esse, et Deum Patrem eius, et omnia posse, et omnia nosse, et Patri aequalem, anathema sit.
15. Si quis dixerit quod in carne constitutus Filius Dei cum esset in terra, in caelis cum Patre non erat, anathema sit.
16. Si quis dixerit, quod in passione crucis dolorem sentiebat Filius Dei Deus, et non caro cum anima, quam induerat et formam servi sibi acceperat, sicut ait Scriptura, anathema sit.
17. Si quis non dixerit, quod in carne quam assumpsit, sedet in dextera Patris, in qua venturus est iudicare vivos et mortuos, anathema sit.
18. Si quis non dixerit Spiritum sanctum de Patre esse vere ac proprie, sicut Filium de divina substantia et Deum verum, anathema sit.
19. Si quis dixerit Spiritum sanctum facturam, aut per Filium factum, anathema sit.
20. Si quis non dixerit, omnia per Filium et Spiritum sanctum Patrem fecisse, id est, visibilia et invisibilia, anathema sit.
21. Si quis non dixerit Patris et Filii et Spiritus sancti unam divinitatem, parem maiestatem, potentiam, unam gloriam, dominationem, unum regnum atque unam voluntatem, anathema sit.

22. Si quis tres personas non dixerit veras, Patris et Filii et Spiritus sancti, aequales, semper viventes, omnia continentes visibilia et invisibilia, omnia potentes, omnia iudicantes, omnia vivificantes, omnia facientes, omnia quae salvanda sunt salvantes, anathema sit.

23. Si quis non dixerit adorandum Spiritum sanctum ab omni creatura, sicut Filium et Patrem, anathema sit.

24. Si quis de Patre et Filio bene senserit, de Spiritu autem sancto non recte habuerit, haereticus est. Quod omnes haeretici de Filio Dei et Spiritu sancto male sentientes, in perfidia Iudaeorum et Gentilium inveniuntur. Quod si quis patiatur Deum Patrem et Deum Filium et Deum Spiritum sanctum deos dici, et non Deum, propter divinitatem et potentiam unam, quam credimus esse et scimus Patris et Filii et Spiritus sancti, anathema sit.

25. Si quis subtrahens aut Filium, aut Spiritum sanctum, ita solum existimet esse Deum Patrem dici, aut credi unum Deum, anathema sit.

Fides Sancti Hieronymi

Eusebius Sophronius Hieronymus

before 420

…

Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, visibilium et invisibilium factorem. Credo in unum Dominum, Iesum Christum, Filium Dei, natum de Deo, Deum de Deo, lumen de lumine, omnipotentem de omnipotente, Deum verum de Deo vero, natum ante saecula, non factum, per quem facta sunt omnia in caelo et in terra, qui propter nostram salutem descendit de caelo, conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria virgine, passus est passione sub Pontio Pilato sub Herode rege, crucifixus, sepultus, descendit ad inferna, calcavit aculeum mortis, tertia die resurrexit, apparuit apostolis, post haec ascendit ad caelos, sedet ad dexteram Dei Patris, inde venturus iudicare vivos et mortuos. Credo et in Spiritum Sanctum Deum, non ingenitum neque genitum, non creatum, neque factum, sed Patri et Filio coaeternum. Credo remissionem peccatorum in sancta ecclesia catholica, sanctorum communionem, carnis resurrectionem ad vitam aeternam.

Professio Fidei Charisius

Charisius

431

Coelestinus PP I

Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, creatorem, omnium visibilium et invisibilium factorem, et in unum Dominum Iesum Christum Filium eius unigenitum, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, similis cum Patre substantiae, qui propter nos et nostram salutem descendit de caelis, incarnates est, natus est ex sancta virgine, homo factus est, crucifixus est pro nobis, mortuus est, resurrexit tertia die, ascendit in caelos, venturus iudicare vivos et mortuos, et in Spiritum veritatis paraclitum, similis substantiae cum Patre et Filio, et in sanctam ecclesiam catholicam, et in remissionem mortuorum, et in vitam aeternam. Ego Charisius obtuli libellum, sicut supra dictum est, et subscripi manu mea.

Vigilii Tapsensis Libellus Fidei ad Theophilum

Vigilius, Bishop of Thapsus

ante 484

…

Credo in Deum Patrem omnipotentem, et unigenitum Iesum Christum salvatorem nostrum, et Spiritum sanctum unum Deum esse confiteor. Non sic unum quasi solitarium, neque eundem qui ipse sibi Pater sit, ipse Filius, sed Pater verus genuit Filium verum, ut est, Deum de Deo, lumen de lumine, vitam ex vita, perfectum de perfecto, totum a toto, plenum a pleno, non creatum sed genitum, non ex nihilo, sed ex Patre, unius substantiae cum Patre. Et Spiritum Sanctum verum Deum, non ingenitum, neque genitum, non creatum nec factum, sed procedentem Patris et Filii, semper in Patre et Filio coaeternum. Unum tamen Deum, qui ex uno Patre, et totum quod Pater sit. Deus natus est Filius et in Patre totum quod est, totum genuit Filium. Pater Filium generans non minuit, nec amisit plenitudinis suae deitatam. Totum autem quod Deus Pater est, id esse Filium ab eo natum, certissime tenentes, cum Spiritu sancto unum Deum piissime confitemur. Credimus in Iesum Christum Dominum nostrum Filium eius, per quem omnia creata sunt, quae in caelis et quae in terra, visibilia et invisibilia, propter nostram salutem descendisse de caelo, qui nunquam desiderat esse in caelo.

Natum de Spiritu sancto, de virgine Maria. Verbum caro factum, non amisit quod fuerat, sed coepit esse quod non erat. Non demutatum Deum, sed permanentem, etiam hominem natum, non putativum, non aereum, sed corporeum sensum et animam habentem, ita verum hominem, ut verum Deum intelligimus, ita verum Deum, ut verum hominem fuisse nullo modo ambigimus confitendum. Hunc eundem Dominum nostrum Iesum Christum adimplesse legem et prophetas, passum sub Pontio Pitato, crucifixum, et secundum scripturas mortuum et sepultum, et secundum scripturas tertia die a mortuis resurrexisse, assumptum in caelis, sedere ad dexteram Patris, inde venturum iudicare vivos et murtuos exspectamus, in huius morte et sanguine remissionem peccatorum consecuturi, resuscitandos nos ab eo in his corporibus, et in eadem carne in qua natus est, passus, et mortuus, et resurrexit, animam cum hac carne accepturi ab eo, aut vitam aeternam pro bonis meritis, aut sententiam pro peccatis aeternam, hoc placuit. Amen.

PART 2

501 - 1000 AD

Symbolum Athanasianum

…

circa 500

…

Quicumque vult salvus esse, ante omnia opus est, ut teneat catholicam fidem. Quam nisi quisque integram inviolatamque servaverit, absque dubio in aeternum peribit. Fides autem catholica haec est, ut unum Deum in Trinitate, et Trinitatem in unitate veneremur. Neque confundentes personas, neque substantiam separantes. Alia est enim persona Patris alia Filii, alia Spiritus Sancti, Sed Patris, et Filii, et Spiritus Sancti una est divinitas, aequalis gloria, coaeterna maiestas. Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus Sanctus. Increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus Sanctus. Immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus Sanctus. Aeternus Pater, aeternus Filius, aeternus Spiritus Sanctus. Et tamen non tres aeterni, sed unus aeternus. Sicut non tres increati, nec tres immensi, sed unus increatus, et unus immensus. Similiter omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus Sanctus. Et tamen non tres omnipotentes, sed unus omnipotens. Ita Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus. Et tamen non tres dii, sed unus est Deus. Ita Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus Sanctus. Et tamen non tres Domini, sed unus est Dominus. Quia,

sicut singillatim unamquamque personam Deum ac Dominum confiteri christiana veritate compellimur, ita tres Deos aut Dominos dicere catholica religione prohibemur. Pater a nullo est factus, nec creatus, nec genitus. Filius a Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus. Spiritus Sanctus a Patre et Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens. Unus ergo Pater, non tres Patres, unus Filius, non tres Filii, unus Spiritus Sanctus, non tres Spiritus Sancti. Et in hac Trinitate nihil prius aut posterius, nihil maius aut minus, sed totae tres personae coaeternae sibi sunt et coaequales. Ita ut per omnia, sicut iam supra dictum est, et unitas in Trinitate, et Trinitas in unitate veneranda sit. Qui vult ergo salvus esse, ita de Trinitate sentiat.

Sed necessarium est ad aeternam salutem, ut incarnationem quoque Domini nostri Iesu Christi fideliter credat. Est ergo fides recta ut credamus et confiteamur, quia Dominus noster Iesus Christus, Dei Filius, Deus et homo est. Deus est ex substantia Patris ante saecula genitus, et homo est ex substantia matris in saeculo natus. Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali et humana carne subsistens. Aequalis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem. Qui licet Deus sit et homo, non duo tamen, sed unus est Christus. Unus autem non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum. Unus

omnino, non confusione substantiae, sed unitate personae. Nam sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus. Qui passus est pro salute nostra, descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis. Ascendit ad caelos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis, inde venturus est iudicare vivos et mortuos. Ad cuius adventum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis, et reddituri sunt de factis propriis rationem. Et qui bona egerunt, ibunt in vitam aeternam, qui vero mala, in ignem aeternum. Haec est fides catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit. Amen.

Confessio Rectae Fidei Iustiniani Imperatoris

Adversus Tria Capitula

Justinian I, Emperor of Byzantium

551

Vigilius PP

Confitemur igitur credere in Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, Trinitatem consubstantialem, unam deitatem, sive naturam et substantiam et virtutem et potestatem in tribus subsistentiis sive personis adorantes, in quibus baptizati sumus, in quas credimus, in quibus confessionem dedimus, proprietates quidem separantes, deitatem autem unientes. Unitatem enim in Trinitate, et Trinitatem in unitate adoramus, mirabilem habentem et divisionem et unitionem, unitatem quidem, secundum rationem substantiae seu deitatis, Trinitatem autem, secundum proprietates, vel subsistentias, sive personas. Dividitur enim sine divisione ut sic dicamus et coniungitur divise. Unum enim est deitas in tribus, et tria unum, in quibus deitas est, aut ut subtilius dicamus ipsa tria est deitas, quae tria Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus, cum unaquaeque persona solum intelligitur, mente separante inseparabilia, et tria unus Deus, cum simul intelliguntur propter eamdem virtutem eamdemque naturam, quoniam oportet et unum Deum confiteri, et tres subsistentias praedicare, seu tres personas,

et unamquamque cum sua proprietate. Et unitatem confitentes, confusionem non facimus secundum Sabellium, dicentem, Trinitatem unam esse personam trinomium eundem Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, nec dividentes proprietates, alienamus a Dei Patris substantia Filium et Spiritum sanctum, secundum Arii furorem, in tres diversas naturas incidentes deitatem. Unus igitur Deus Pater, ex quo omnia, et unus unigenitus Filius, per quem omnia, et unus Spiritus sanctus, in quo omnia.

Confitemur autem ipsum unigenitum Filium Dei, Deum Verbum, ante saecula et sine tempore ex Patre natum, non factum, in ultimis diebus propter nos et propter nostram salutem descendisse de caelis, et incarnatum esse ex Spiritu sancto, et sancta gloriosa Dei Genitrice semper virgine Maria, et natum ex ipsa, qui est Dominus Iesus Christus, unus de sancta Trinitate, consubstantialis Deo Patri secundum deitatem, et consubstantialis nobis idem ipse secundum humanitatem, passibilis carne, impassibilis idem ipse deitate. Non enim alius quidam est praeter Deum Verbum, qui passionem et mortem suscepit, sed ipse impassibilis et sempiternus Deus Verbum generationem carnis humanae sustinere dignatus, implevit omnia. Ideo non alium Deum Verbum esse qui miracula operatus est, et alium Christum qui passus est, cognoscimus, sed unum eundemque Dominum nostrum Iesum Christum, Dei Verbum incarnatum, et

hominem factum, et eiusdem ipsius miracula et passiones, quas carne voluntarie sustinuit, confitemur. Non enim homo aliquis pro nobis semetipsum dedit, sed ipse Deus Verbum suum corpus pro nobis dedit, ne in hominem fides et spes nostra sit, sed in ipsum Deum Verbum nostram fidem habeamus. Et Deum igitur eum confitentes, non abnegamus ipsum esse et hominem, et hominem dicentes eum, non abnegamus ipsum esse et Deum. Si enim Deus tantummodo esset, quomodo patiebatur? Quomodo crucifigebatur et moriebatur? Aliena enim ista sunt Deo. Sin autem homo solum, quomodo per passionem vincebat? Quomodo salvos faciebat? Quomodo vivificabat? Haec enim supra hominis naturam erant. Nunc autem idem ipse patitur, et salvos facit, et per passionem vincit, idem ipse Deus, ipse homo, utrumque tanquam unum, utrumque tanquam solum. Unde ex utraque natura, id est ea deitate et humanitate, unum Christum compositum dicentes, confusionem unitioni non introducimus. Et in utraque autem natura, id est in divinitate et humanitate, unum Dominum nostrum Iesum Christum Dei Verbum incarnatum, et hominem factum cognoscentes, divisionem quidem per partes, vel incisionem non inferimus uni eius subsistentiae, differentiam autem naturarum, ex quibus compositus est, significamus, non interemptam propter unitatem, quoniam utraque natura in ipso est. Cum enim compositionem dicamus, necesse est confiteri et partes in toto esse,

et totum in partibus cognosci. Nec enim divina natura in humanam transmutata est, nec humana natura in divinam conversa est. Magis autem intelligitur, quod utraque in proprietate et ratione suae naturae manente, facta est unitas secundum subsistentiam. Unitas autem secundum subsistentiam significat, quod Deus Verbum, id est una subsistentia ex tribus deitatis subsistentiis, non ante plasmato homini unitus est, sed in utero sanctae Virginis creavit sibi ex ipsa in sua subsistentia carnem animatam anima rationali et intellectuali, quod est natura humana. Hanc autem secundum subsistentiam unitatem Dei Verbi ad carnem docens nos et divinus Apostolus dicit, Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est aequalem sese esse Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens. Per hoc enim quod dixit, Qui cum in forma Dei esset, Verbi subsistentiam in natura Dei esse ostendit, per hoc autem quod dixit, Formam servi accepit, naturae hominis, et non subsistentiae sive personae, unitum esse Deum Verbum significavit. Nec enim dixit, quod eum qui in forma servi erat, accepit, ne ante plasmato homini unitum esse Deum Verbum ostenderet, sicut Theodorus et Nestorius impii blasphemaverunt, affectualem dicentes unitatem. Nos autem sequentes divinas Scripturas et sanctos Patres, confitemur quod Deus Verbum caro factus est, quod est secundum subsistentiam sibi unire naturam humanam, ideo et unus est Dominus noster Iesus Christus, habens in semetipso perfectionem

divinae naturae, et perfectionem naturae humanae. Et est unigenitus quidem Verbum, ut pote ex Deo Patre natus, et primogenitus autem in multis fratribus, idem ipse cum factus est homo Filius enim Dei, filius hominis factus est, et manens quod erat, non transmutavit quod factus est. Unde et duas nativitates eiusdem ipsius unigeniti Dei Verbi confitemur, ante saecula quidem ex Patre incorporaliter nati, in ultimis autem diebus eiusdem ipsius incarnati et nati de sancta gloriosa Dei Genitrice et semper Virgine Maria. Qui enim de Patre splenduit supra intellectum, ex matre ortus est supra rationem. Et cum Deus verus esset, factus est vere homo. Ideo proprie et vere Dei Genitricem sanctam gloriosam et semper virginem Mariam confitemur, non quia Deus Verbum initium ex ipsa accepit, sed quod in ultimis diebus unigenitus Deus Verbum, qui ante saecula erat, incarnatus ex ipsa, immutabiliter homo factus est, et cum invisibilis in suis esset, visibilis factus est in nostris, et cum impassibilis Deus esset, non dedignatus est passibilis esse homo, et immortalis, mortis legibus subiacere. Istum, qui in Bethlehem de semine David natus est secundum carnem, et similis factus hominibus, et crucifixus est pro hominibus sub Pontio Pilato, praedicaverunt sancti apostoli ipsum esse Deum, ipsum hominem, ipsum Filium Dei, ipsum filium hominis, ipsum de caelo, ipsum de terra, ipsum impassibilem, ipsum passibilem. Deus enim Verbum, qui natus est desursum ex Patre ineffabiliter, inenarrabiliter,

incomprehensibiliter, sempiterne, ipse in tempore nascitur deorsum de Virgine Maria, ut illi qui deorsum prius nati sunt, desursum secundum nascerentur, id est ex Deo. Ipse igitur matrem tantummodo habet super terram, et nos tantummodo patrem habemus in caelo. Cum enim accepisset mortalem patrem hominum Adam, dedit hominibus suum Patrem immortalem, secundum hoc quod dicitur, Dedit eis potestatem filios Dei fieri. Unde et mortem secundum carnem gustat Filius Dei, propter carnalem suum patrem, ut filii hominis vitae eius participes fierent, propter suum secundum spiritum Patrem Deum. Ipse igitur secundum naturam Filius est Dei, nos autem secundum gratiam, et iterum ipse secundum dispensationem et propter nos filius fuit Adam, nos autem secundum naturam sumus filii Adam. Pater enim est eius Deus secundum naturam, noster autem secundum gratiam. Et Deus ei fuit secundum dispensationem, eo quod homo factus est, noster autem secundum naturam Dominus est et Deus. Et ideo Deus Verbum, qui est Filius Dei Patris, unicus carni, factus est caro, ut homines uniti spiritui, fierent unus spiritus. Ipse igitur verus Filius Dei omnes nos indutus est, ut omnes induamur unum Deum. Et est etiam post incarnationem unus de sancta Trinitate, unigenitus Filius Dei Dominus noster Iesus Christus, compositus ex utraque natura. Compositum autem Christum confitemur, sanctorum Patrum doctrinam sequentes. In mysterio enim Christi unitas secundum

compositionem, confusionem et divisionem reiicit, et servat quidem utriusque naturae proprietatem, unam autem subsistentiam seu personam Dei Verbi et cum carne ostendit, et est unus idemque perfectus in deitate, et perfectus in humanitate, non tanquam in duabus subsistentiis sive personis, sed in divina natura et humana cognoscendus, ut unus sit in utraque, perfectus Deus et perfectus homo, idem ipse Dominus Iesus Christus, unus de sancta Trinitate conglorificandus Patri et sancto Spiritui. Nec enim quartae personae adiectionem suscepit sancta Trinitas et incarnato uno de sancta Trinitate Deo Verbo. Istam igitur bonam traditionem, quam a sanctis Patribus accepimus, custodimus, in qua vivimus et conversamur, et quam, ab hac vita proficiscentes, oramus nobiscum habere, quae est in Patrem et Christum Filium Dei vivi, et sanctum Spiritum confessio.

Haec ita confitentes super alias sancti Cyrilli de fide recta doctrinas, et hoc quod dictum est ab ipso, unam naturam Dei verbi incarnatam, suscipientes, confitemur quod ex divina natura et humana unus Christus effectus est, et non in una natura, prout quidam male intelligentes dictionem, conantur dicere. Unde et ipse Pater, quoties unam naturam dixit Verbi incarnatam, in hoc naturae nomine pro subsistentia usus est. Et in quibus libris dixit hanc dictionem, in sequentibus saepius intulit, et quando Filium, et quando Verbum, aut Unigenitum, quae non naturam, sed

subsistentiam seu personam significant. Subsistentia igitur Verbi incarnata non unam naturam, sed unum Christum compositum effecit, eundem ipsum Deum et hominem. Eos autem qui Christum Deum et hominem confitentur, unam naturam sive substantiam ipsius dicere, impium est. Impossibile enim est Dominum nostrum Iesum Christum secundum unam eamdemque naturam seu substantiam et ante saecula esse, et in tempore, aut impassibilem et passibilem, quod in una subsistentia sive persona eius recte confitemur. Ex ipsis autem dictis eiusdem sancti Cyrilli ostendemus de memorata dictione manifestam ipsius doctrinam. In prima enim ad Successum epistola, cum dixisset, unam naturam Dei Verbi incarnatam, statim intulit, “Ergo quantum quidem ad intellectum pertinet, et ad videndum tantummodo oculis animae, quemadmodum incarnatus est Unigenitus, duas naturas unitas esse dicimus, unum autem Filium, et Christum, et Dominum, Dei Patris Verbum incarnatum, et hominem factum”. Per ista autem Pater modum incarnationis volens manifestare, et indivisam et inconfusam custodiens unitionem, et numerum naturarum quae convenerunt demonstravit, et unum Christum praedicavit, et non unam naturam deitatis et carnis. Et in secunda ad eundem Successum epistola similia docens, ita scribit, “Nam siquidem unam dicentes Verbi naturam tacuissemus, non inferentes, Incarnatam, sed quasi extra ponentes dispensationem, erat illis forsitan et

verisimilis ratio confingentibus interrogare, ubi perfectio in humanitate, vel quomodo subsistit humana nostra substantia? Quoniam autem et perfectio in humanitate, et nostrae substantiae demonstratio introducta est, dicendo, Incarnatum, cessent arundineam virgam sibi supponentes. Eiicientem enim dispensationem, et abnegantem incarnationem, oportebat iuste accusari, auferentem a Filio perfectam humanitatem. Sin autem ut dixi incarnatum esse dicendo ipsum, manifesta est et indubitabilis confessio, quod factus est homo, nihil iam prohibet intelligere, quia cum unus sit et solus filius Christus, idem ipse Deus est et homo, sicut in deitate perfectus, ita et in humanitate perfectus. Rectissime autem et nimis prudenter tua perfectio de salutari passione rationem exponit, non ipsum unigenitum Filium Dei, secundum quod intelligitur et est Deus, passum esse in sua natura quae sunt corporis affirmans, magis autem passum esse terrena natura. Oportet enim necessario utraque servari uni et vero Filio, et non pati secundum deitatem, et dici passum esse eundem ipsum secundum humanitatem, ipsius enim passa est caro". Et in tertiodecimo capite scholiorum idem Sanctus Cyrillus similiter reiiciens eos qui duos filios introducunt, et eos qui unam dicunt naturam deitatis et carnis Christi, ita scribit, "Non discernendum unum Dominum Iesum Christum in hominem separatim, et in Deum separatim, sed unum eundemque Dominum Iesum Christum

dicimus, naturarum scientes differentiam, et inconfusas eas sibi invicem conservantes". Si igitur prout docet nos sanctus Cyrillus, unus est Dominus noster Iesus Christus, perfectus in deitate, et perfectus idem ipse in humanitate, et non est passus divina natura, sed terrena, scit autem et naturarum differentiam, et quod inconfusae sibi invicem in una subsistentia conservantur, certum est, quod eundem ipsum in divina natura et in humana dicit Pater cognosci, et utramque naturam in ipso esse, ex quibus et compositus est. Et non aliquis sic insaniat, ut arbitretur eos recte sapere qui dicunt unam esse naturam sive substantiam carnis et deitatis Christi, eamdem et divinam et terrenam, passibilem et impassibilem.

Quoniam autem et alio modo quidam ostendere conantur, unam esse naturam deitatis et humanitatis Christi, exemplum hominis proponentes, et dicentes, quod sicut ex diversis naturis, anima et corpore consistens homo, una natura dicitur, sic et ex duabus naturis deitatis et humanitatis Christum dicentes, debemus unam ipsius dicere naturam, illud ad eos dicemus, quod homo quidem licet ex diversis constet, id est, anima et corpore, tamen ideo una natura dicitur, quoniam de omnibus subsistentiis sive personis, quae sub eadem specie referuntur, communiter praedicatur. Licet enim unaquaeque subsistentia sive persona, sicut Petrus et Paulus,

proprietatibus a se invicem separentur, sed tamen non natura dividuntur, ambo enim homines, et iterum, nec anima sine corpore, nec corpus sine anima homo est, sed ex eo quod non erat, ad hoc quod est, ex anima et corpore creatus est. Unaquaeque autem creatura licet ex diversis constet, sed tamen unam illam habere dicitur naturam, secundum quam a Deo creata est. Christus autem non sic, nec enim unam naturam sive substantiam significat, quae communiter de plurimis subsistentiis sive personis praedicatur, sicut homo. Si enim hoc esset, multi christi invenirentur in de quibus communitas unius naturae praedicabitur, quod et dicere impium est. Sed neque ab initio ex deitate et humanitate sicut homo ex anima et corpore, Christus creatus est, ut hoc sit natura Christi, sed cum Deus esset ante saecula Verbum, et esset eiusdem naturae sive substantiae cum Patre, et creator omnium, in ultimis diebus hominis naturam secundum subsistentiam sibi uniens, factus est homo manens Deus.

Est igitur Christus una subsistentia, sive persona, et habet in semetipso perfectionem divinae et increabilis naturae, et perfectionem humanae et creabilis naturae. Quomodo igitur, in quo duae naturae cognoscuntur, increabilis, et creabilis, in eo unam naturam sive substantiam dici possibile est? Licet enim una subsistentia sive persona Christus sit, sed consubstantialis Deo Patri,

et consubstantialis nobis idem ipse est, non tamen secundum unam eamdemque naturam, seu substantiam. Sin autem una natura sive substantia esset Christus, aut sine carne est, et soli Deo Patri consubstantialis, quoniam una deitatis substantia sive natura est, aut purus homo existens, nobis est solum consubstantialis, quoniam una natura humanitatis est, aut immutata utraque natura alteram effecit naturam, praeter eas quae convenerunt, et secundum illos neque Deus mansit, neque homo factus est Christus, et ideo neque Patri, neque nobis idem ipse consubstantialis est. Sic autem sapere omni plenum est impietate. Et ista dicimus, non ignorantes quod et quidam sanctorum Patrum hominis exemplo in mysterio Christi usi sunt, sed illi quidem ut ostenderent, quod sicut homo ex anima et corpore unus efficitur, et non duo homines, sic et Christus ex deitate et humanitate compositus, unus est, non in duos christos vel in duos filios dividendus. Isti autem hominis exemplo utuntur, ut unam naturam sive substantiam deitatis et humanitatis Christi introducant, quod demonstravimus alienum esse pietatis. Sed cum per haec convincuntur, quod praeter rectam Patrum doctrinam sibi confingunt unam naturam seu substantiam deitatis et carnis, ad alia transeunt, dicentes non oportere numerum naturarum in Christo dicere, ut pote numero divisionem introducente. Sciant igitur, quod numerus quando in diversis personis, sive subsistentiis dicitur, rerum ipsarum per partes habet divisionem, sicut in duobus vel

etiam pluribus hominibus, quando autem in rebus unitis, tunc verbo solo et intellectu, non tamen ipsarum rerum habet divisionem, sicut in una subsistentia hominis ex anima et corpore constituta. Duae enim et hic naturae intelliguntur, altera animae, et altera corporis, et tamen non propter hoc in duos homines dividitur, sed unum scimus hominem esse, et unam subsistentiam eius. Et in mysterio igitur Christi facta unitione, licet diversa intelligantur quae unita sunt, sed non ipsa re et per partes a se invicem separantur ea, ex quibus dominus noster Iesus Christus compositus est, differentiam tamen considerantes et hanc significare volentes, numerum assuminus, et duas in Christo naturas esse dicimus, nec ideo unus Christus in duos christos, vel in duos filios dividitur. Et testimonium praestat nostris dictis sanctus Gregorius Theologus, scribens in primo libro ad Cledonium sic, “Si quis introducit duos filios, unum quidem ex Deo et Patre, secundum autem ex matre, sed non unum eundemque, ex adoptione cadat, quae promissa est credentibus recte. Naturae enim duae, Deus homo, quomodo et anima et corpus, non autem duo filii, nec dii duo. Nec enim hi duo homines, licet Paulus sic appellaverit quod est intus hominis, et quod est extrinsecus, et ut compendiose dicamus, aliud quidem et aliud ea ex quibus salvator est, cum non idem sit invisibile et visibile, et hoc quod sine tempore est, et hoc quod sub tempore, non autem alius et alius, absit”.

Ecce per haec evidenter docet Sanctus Gregorius, quod in mysterio Christi ille quidem qui in personis numerum dicit, ut impius condemnatur, ille autem qui in naturis, ex quibus unus Christus compositus est, numerum accipit, recte confitetur, ut pote differentiam quidem naturarum quae convenerunt, per hoc significans, divisionem autem, quae per partem est, nullo modo faciens. Sicut enim altera natura est animae, et altera corporis, et tamen unus secundum compositionem homo efficitur, et non duo homines, sic et in Christo licet duae intelligantur naturae, altera quidem deitatis, altera vero humanitatis, sed non propter hoc duo christi, aut duo filii introducuntur. Ergo qui numerum naturarum quae in Christo sunt, secundum praedictum modum dicere recusant, manifesti sunt differentiam naturarum abnegantes, et confusionem introducentes dispensationi. Si vero differentiam confitentur, necesse est omnimodo ad eam significandam, et numerum dicere naturarum quae sine confusione in unam subsistentiam convenerunt. Ubi enim differentia servatur, ibi omni modo et numerus sequitur. Ad confirmanda autem ea quae diximus, sanctorum patrum testimonio utentes, ostendemus eos dicere, quod in uno Domino nostro Iesu Christo rationes quidem dividuntur secundum differentiam naturarum deitatis et humanitatis ex quibus et compositus est, et numerum in hoc assumunt, non tamen ipsa re

et per partes naturarum faciunt divisionem in duas subsistentias sive personas.

Dicit enim Sanctus Cyrillus in Levitici interpretatione, sic, “Totum in his iterum circumspice aperte Salvatoris nostri mysterium, et emundationem quae per sanctum baptisma fit. Duas enim aviculas sumi iubet vivas et mundas, ut intelligas per volatilia caelestem hominem simul et Deum, in duas naturas, quantum pertinet ad rationem unicuique convenientem, dividendum. Deus enim Verbum, quae ex Deo Patre est, splenduit in carne quia ex muliere est, verumtamen non partiendum, unus enim ex utrisque Christus”. Et iterum idem sanctus Cyrillus in secunda ad Successum epistola ita dicit, “Sed ignoraverunt quod quae per solum intellectum dividi solent, non haec necessario etiam in alteritatem, quae est per partes, omnimodo et specialiter a se invicem separabuntur”. Sed et sanctus Basilius in quarto libro contra Eunonium, interpretans hoc quod est, Dominus creavit me, et ante omnes colles genuit me, ita scribit, “Intelligendum hoc quidem quod dicit, creavit, de eo qui formam servi accepit. In his autem omnibus non duo dicimus, Deum separatim, et hominem separatim, unus enim erat, sed secundum intellectum, utriusque naturam existimantes”. Sed et sanctus Gregorius Theologus in libro secundo de Filio, docens nos quomodo in Domino nostro Iesu Christo oportet naturas quae in eo sunt,

secundum intellectum discernere, ita scribit, “Cum naturae intellectu distant, simul dividuntur etiam nomina, Paulum dicentem audi, Ut Deus Domini nostri Iesu Christi, Pater gloriae, Christi quidem Deus, gloriae autem Pater. Nam etsi utrumque unum est, tamen non natura, sed conventu”. Et sanctus autem Gregorius Nyssenus in quarto libro contra Eunomium, eadem nos docens, ita scribit, “Et ne aliquis incorruptibili naturae crucis passionem applicaret, per alia manifestius talem emendat errorem, mediatorem ipsum Dei et hominum, et hominem et Deum ipsum nominans, ut cum duo de uno dicantur, congruum intelligatur circa utrumque, circa deitatem quidem impassibilitas, circa humanitatem autem dispensatio passionis. Intellectu igitur dividente hoc quod per misericordiam quidem unitum est, ratione autem discernitur, cum hoc quidem, quod superpositum est et supereminens omnem sensum, praedicat, altioribus utitur nominibus, super omnia Deum, et magnum Deum, et virtutem Dei, et sapientiam, et talia vocans, cum autem passionum experimentum necessario propter nostram infirmitatem acceptum verbis significat, ex nostro nominans utrumque hominem ipsum appellat, non communicans per vocem ad caeteram naturam eum qui significatur, sed ut circa utrumque pietas conservetur”.

His ita demonstratis per sanctorum Patrum doctrinam, cessent qui numerum naturarum quae in Christo sunt, occasionem sui erroris faciunt, et earum differentiam numeri recusatione negando, confusionem introducere conantur. Quomodo enim non est necessarius numerus, quo, ad significandam differentiam naturarum quae in unam subsistentiam unitae sunt, et non ad divisionem per partes earum, usi sunt Patres? Demonstratio igitur undique, quod impium est dicere unam naturam sive substantiam deitatis et carnis Christi, et illud dicimus, quia nec secundum quod unam subsistentiam dicimus deitatis et humanitatis Christi, sic possibile est et unam naturam Christi dicere, quoniam non idem est natura et subsistentia. Omnes enim sancti Patres consonanter nos docent aliud esse naturam sive substantiam et formam, et aliud subsistentiam sive personam, et naturam quidem vel substantiam et formam, et hoc quod est commune, significare, subsistentiam autem sive personam, hoc quod est speciale. Sin vero dixerint quidam, quod sicut una subsistentia composita dicitur Christi, sic oportet et unam naturam compositam dicere, ostendemus et hoc alienum esse a pietate. Unam enim naturam sive substantiam deitatis dicentes, tres ipsius confitemur subsistentias, in unaquaque subsistentia eamdem naturam sive substantiam cognoscentes. Et recte ex tribus subsistentiis unam subsistentiam Verbi ad carnem compositam esse dicimus. Nemo enim unquam ausus est in

catholica Ecclesia dicere, quod sicut tres subsistentiae, sic et tres naturae sunt sanctae Trinitatis, ut possibile sit dicere, unam naturam ex tribus naturis compositam esse ad carnem. Tres enim naturas in sancta Trinitate solus Arius ausus dicere, tanquam blasphemus condemnatus est. Ideo igitur secundum rectam rationem, duarum naturarum dicimus unitionem, et unam subsistentiam, quoniam Dei Filius, cum esset secundum subsistentiam alter praeter Patrem, eamdem autem naturam habens Patris, in sua subsistentia plasmavit sibi carnem animatam anima rationali et intellectuali, quod significat, humanae naturae unitum esse Deum Verbum, et non subsistentiae seu personae cuiusdam. Est igitur Deus Verbum et incarnatus, una subsistentia in utraque natura cognoscendus, in divina, in qua erat, prout dictum est, Qui cum in forma Dei esset, et in humana secundum hoc quod est in similitudinem hominum factus. Et ideo rectius dicat aliquis unam subsistentiam Dei Verbi compositam, quam unam naturam compositam, quoniam cum per se absolute natura dicitur, non adiecta ei speciali cuiusdam persona, infinitum, et non subsistens aliquid significat, infinitum autem ad nihil potest componi. Sin autem aliquis et post tales rationes ad contentionem solam respiciens, opponere conatur, dicens quod secundum redditam naturae rationem oportet et humanam naturam Christi suam subsistentiam seu personam propriam habere, manifestus est talis,

quod ante subsistenti homini unitum esse dicit Deum Verbum, et affectualem factam esse unitatem. Duae enim subsistentiae seu personae secundum subsistentiam uniri non possunt. Qui igitur haec dicit, Dei potentiam verbis humanae sapientiae evacuare festinans, ignorat magnum pietatis mysterium, quod corde quidem creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Neque enim humana Christi natura per se absolute unquam dicitur, sed nec suam subsistentiam seu personam habuit, sed in subsistentia Dei Verbi, natura humana initium ut esset, habuit, unde ipsum Deum Verbum immutabiliter hominem factum esse confitemur, et non in hominem quemdam venisse, et eiusdem Dei Verbi incarnati esse nativitatem ex virgine, et propter hoc Dei Genitricem sanctam gloriosam semper virginem Mariam esse. Ideo et ante incarnationem Dei Verbi, et post eius incarnationem, tres subsistentias dicimus Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Non enim sancta Trinitas quartae subsistentiae vel personae adiectionem suscepit. Ex his igitur omnibus convincuntur qui dicunt, ante unitionem duas naturas esse, quod ante plasmatum dicunt hominem, et sic unitum esse Deo Verbo, secundum insaniam Theodori et Nestorii impiorum. Qui autem dicunt, quod non oportet post unitatem duas naturas in Christo, sed unam dicere, confusionem et phantasiam introducunt secundum Apollinarium et Eutychen impios. Sed isti quidem haec. Sancti vero Patres, post Dei Verbi incarnationem considerantes ea ex quibus Christus est, et

quod inconfusae manserunt naturae, rectissime duas naturas, divinam et humanam, in Christo esse dixerunt. Nec enim ante incarnationem duae naturae erant Domini, nec post incarnationem duae naturae una factae sunt, licet in una subsistentia cognoscantur.

Haec autem et ex divinis Scripturis et Patrum doctrina edocti, ad refutandos eos qui confundunt et dividunt divinae dispensationis mysterium, merito scripsimus, et non eo quod declaramus ea ex quibus est, et in quibus cognoscitur Christus, confusionem vel divisionem divinae dispensationi facimus. Itaque glorificationem et unitionis rationem proferentes, unum Christum et Filium et Dominum, Verbum Dei incarnatum et hominem factum confitemur et adoramus cum Patre et Spiritu sancto. Haec ita cum universali Dei Ecclesia confitentes, scire volumus omnes Christianos, quod sicut unum Deum et Dominum habemus, ita et unam fidem. Una enim definitio fidei est, confiteri et recte glorificare Patrem, et Christum Filium Dei, et Spiritum sanctum. Istam confessionem conservamus, in qua et baptizati sumus donatam quidem a magno Deo et Salvatore nostro Iesu Christo sanctis suis discipulis et apostolis, ab eis autem praedicatam in toto mundo. Trecenti autem decem et octo sancti Patres collecti in Nicaea adversus Arium, illo cum sua impietate condemnato, eamdem confessionem, id est, sanctum

mathema et symbolum fidei tradiderunt sanctae Dei Ecclesiae, et post illos, centum quinquaginta sancti Patres Constantinopoli collecti adversus Macedonium sancto Spiritui repugnantem, et Magnum Apollinaristam, illis condemnatis cum sua perfidia, secuti per omnia idem sanctum symbolum traditum a trecentis decem et octo sanctis Patribus, explanaverunt quae sunt de deitate sancti Spiritus. Insuper autem et qui in Epheso prius collecti sunt sancti Patres adversus Nestorium impium, et qui in Chalcedone convenerunt sancti Patres adversus Eutychem impium, secuti per omnia praedictum sanctum symbolum sive mathema fidei, condemnaverunt praedictos haereticos una cum eorum impietate, et hos qui similia illis sapuerunt, vel sapiunt. Et super haec anathematizaverunt eos qui aliam definitionem fidei, sive symbolum, sive mathema tradunt accedentibus ad sanctum baptisma, vel ex quacunque haeresi conversis, praeter traditum sicut dictum est a trecentis decem et octo sanctis Patribus, et explanatum a centum quinquaginta sanctis Patribus. His ita se habentibus, perspeximus et capitula supponere, quibus tam rectae fidei compendiosa confessio, quam haereticorum condemnatio continetur.

1. Si quis non confitetur Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, et Trinitatem consubstantialem, unam deitatem, seu

naturam, et substantiam, et unam virtutem et potestatem in tribus subsistentiis seu personis adorandam, talis anathema sit.

2. Si quis non confitetur eum, qui ante saecula et sine tempore ex Patre natus est, Deum Verbum in ultimis diebus descendisse de caelis, et incarnatum esse de sancta gloriosa Dei Genitrice et semper virgine Maria, et hominem factum, natum esse ex ipsa, propter hoc eiusdem Dei Verbi duas esse nativitates, eam quae est in ultimis diebus secundum carnem, talis anathema sit.

3. Si quis dicit alium esse Deum Verbum qui miracula operatus est, et alium Christum qui passus est, aut dicit Deum Verbum cum Christo esse nascente ex muliere, vel in ipso esse tanquam alterum in altero, sed non unum eundemque Dominum nostrum Iesum Christum, Deum Verbum incarnatum et hominem factum, et eiusdem ipsius miracula et passiones, quas carne sponte sustinuit, talis anathema sit.

4. Si quis dicit, secundum gratiam, vel secundum operationem, vel secundum dignitatem, vel secundum aequalitatem honoris, vel secundum auctoritatem, vel relationem, vel

affectum, vel virtutem, unitionem Dei Verbi ad hominem factam esse, vel secundum homonymiam, per quam Nestoriani et Deum Verbum vocantes Christum, et hominem separatim Christum nominantes, solo vocabulo unum Christum dicunt, aut si quis per bonam voluntatem dicit unitionem factam esse, sicut Theodorus haereticus ipsis verbis dicit, quasi placuit Deo Verbo homo, eo quod bene visum est ei de ipso, sed non secundum subsistentiam Dei Verbi ad carnem animatam anima rationali et intellectuali unitionem confitetur, et ideo unam eius subsistentiam compositam esse, talis anathema sit.

5. Si quis per relationem, aut abusive, Dei genitricem dicit sanctam gloriosam semper virginem Mariam, aut hominis genitricem, aut Christotocon, tanquam Christo Deo non existente, sed non proprie et vere Dei genitricem ipsam confitetur, eo quod ipse qui ante saecula ex Patre natus est Deus Verbum, in ultimis diebus ex ipsa incarnatus et natus est, talis anathema sit.

6. Si quis non confitetur Dominum nostrum Iesum Christum qui carne crucifixus est, Deum esse verum, et Dominum gloriae, et unum de sancta Trinitate, talis anathema sit.

7. Si quis in duabus naturis dicens non tanquam in deitate et humanitate unum Dominum nostrum Iesum Christum, Deum Verbum incarnatum confitetur, nec ad significandam differentiam naturarum, ex quibus compositus est, sed pro divisione per partem, talem excipit vocem in mysterio Christi, quasi separatim unaquaque natura suam habente subsistentiam, sicut Theodorus et Nestorius blasphemaverunt, talis anathema sit.

8. Si quis in uno Domino Iesu Christo, hoc est Deo Verbo incarnato, numerum confitens naturarum, non intellectu differentiam earum, ex quibus et compositus est, excipit, ut pote non interemptam propter unitatem, sed pro divisione per partem numero utitur, talis anathema sit.

9. Si quis dicens unam naturam Dei Verbi incarnatam, non sic hoc intelligit, quod ex divina natura et humana unus Christus effectus est, consubstantialis Patri secundum deitatem, et consubstantialis nobis idem ipse secundum humanitatem, sed quod deitatis et carnis Christi una natura sive substantia effecta est secundum Apollinarii et Eutychetis perfidiam, talis anathema sit.

10. Aequaliter enim et eos qui per partem incidunt vel dividunt, et eos qui confundunt divinae dispensationis mysterium Christi, reiicit et condemnat universalis Dei Ecclesia.

Si quis non anathematizat Arium, Eunomium, Macedonium, Apollinarium, Nestorium, Eutychem, et eos qui similia ei sapuerent vel sapiunt, talis anathema sit.

11. Si quis defendit Theodorum Mopsuestenum, qui dixit alium esse Deum Verbum, et alium Christum a passionibus animae et desideriis carnis molestias patientem, et ex profectu operum melioratum, et baptizatum in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, et per baptisma gratiam sancti Spiritus accepisse, et affiliationem meruisse, et ad similitudinem imperialis imaginis in personam Dei Verbi adorari, et post resurrectionem immutabilem cogitationibus, et impeccabilem omnino factum fuisse, et iterum dixit talem factam esse unitionem Dei Verbi ad Christum, qualem dixit Apostolus de viro et muliere, Erunt duo in carne una, et super alias suas innumerabiles blasphemias ausus est dicere, quod post resurrectionem cum insufflasset Dominus discipulis suis, et dixisset, Accipite Spiritum sanctum, non

dedit eis Spiritum sanctum, sed figuratim tantummodo insufflavit, sed et confessionem, quam fecit Thomas cum palpasset manus et latus Domini post resurrectionem, dicens, Dominus meus et Deus meus, inquit non esse dictam a Thoma de Christo nec enim dixit Theodorus Deum esse Christum, sed ad miraculum resurrectionis stupefactum Thomam glorificasse Deum, qui Christum resuscitavit, et quod peius est, etiam in interpretatione quam in Actus apostolorum scripsit Theodorus, similem fecit Christum Platoni, et Manichaeo, et Epicuro, et Marcioni, dicens quod sicut illorum unusquisque ex dogmate quod invenit, suos discipulos fecit vocari Platonicos, et Manichaeos, et Epicureos, et Marcionistas, simili modo et cum Christus dogma invenisset, ex ipso Christianos vocari. Si quis igitur defendit eundem Theodorum, qui talia blasphemavit, et non anathematizat eum, et eius conscripta, et eos qui similia illi sapuerunt, vel sapiunt, talis anathema sit.

12. Si quis defendit conscripta Theodoreti quae exposuit pro Nestorio haeretico adversus rectam fidem, et Ephesinam primam sanctam synodum, et Sanctum Cyrillum, et duodecim eius capitula, in quibus sceleratis conscriptis idem Theodoretus affectualem dicit unitatem Dei Verbi ad

hominem quemdam, de quo blasphemans dixit, quod palpavit Thomas eum qui resurrexit, et adoravit eum qui resuscitavit, et propter hoc impios vocat doctores Ecclesiae qui unitatem secundum subsistentiam Dei Verbi ad carnem confitentur, et super haec Dei Genitricem abnegat sanctam et gloriosam semper virginem Mariam. Si quis igitur memorata conscripta Theodoreti defendit, et non anathematizat ea, talis anathema sit. Propter tales enim blasphemias ab episcopatu deiectus est, et postea in sancto Chalcedonensi concilio compulsus est omnia contraria memoratis suis conscriptis facere, et rectam fidem confiteri.

13. Si quis defendit impiam epistolam quam ad Marim Persam haereticum Ibas scripsisse dicitur, quae abnegat Deum Verbum hominem factum esse, et dicit non Deum Verbum ex virgine incarnatum, natum esse, sed purum hominem ex ipsa esse natum, quem templum vocat, ut alius sit Deus Verbum, et alius homo, et super haec iniuriat Ephesinam primam synodum, quasi sine inquisitione et examinatione ab ipsa Nestorio condemnato, et sanctum Cyrillum vocat haereticum, et duodecim eius capitula impia dicit, Nestorium autem et Theodorum cum impiis eorum conscriptis collaudat et defendit. Si quis igitur, sicut dictum est, eamdem ipsam

epistolam vindicat, vel rectam esse dicit ipsam vel partem ipsius, sed non anathematizat eam, anathema sit.

Tali ergo impia epistola iuste anathematizata propter insertas ei blasphemias, Theodori et Nestorii impiorum sequaces conantur dicere, susceptam esse eam a sancto Chalcedonensi concilio. Hoc autem dicunt, sanctam quidem Chalcedonensem synodum calumniantes, nomine autem eius festinantes debita condemnatione liberari Theodorum, et Nestorium, et impiam epistolam, pro qua Ibas saepius accusatus, non est ausus eam suam dicere propter insertas ei blasphemias. Et haec demonstrabimus ex his quae diverse de ista causa mota sunt. In his enim quae apud Photium et Eustathium Tyri acta sunt, cum accusaretur praedictus Ibas de iniuriis Sancti Cyrilli, manifeste confessus est, post unitatem Orientalium, quae ad sanctae memoriae Cyrillum facta est, nihil iniuriosum de eo dixisse. Epistola autem plena praedictis blasphemiis, pro quibus accusabatur Ibas, multas contra Sanctum Cyrillum iniurias continens, facta esse ostenditur post unitatem ad Orientales factam, ex quo demonstratur Ibas eam abnegasse. Unde praedicti Photius et Eustathius satisfacientes accusatoribus in scriptis definierunt, praedictum Ibam omnia contraria epistolae peragere, sicut iudicium ab eis de hoc datum significat. Sed cum Ibas non adimplesset ea quae illi iudicaverunt, eiectus est ab episcopatu

propter blasphemias praedictae epistolae, et Nonnus pro illo ordinatus est, qui et consedit in sancto Chalcedonensi concilio. De eisdem igitur etiam Chalcedone accusatus memoratus Ibas, post lectionem impiae epistolae non est ausus eam suam esse confiteri, sed statim ipsis verbis intulit, alienum se esse eorum quae ei inferebantur. Unde sancta synodus, cum ei non sufficeret abnegatio Ibae, quae facta est de impia epistola, compulit eum contraria ei peragere, id est reprobatam in ea rectam fidem confiteri, et Ephesinam primam sanctam synodum suscipere, et sanctum Cyrillum Patrem et doctorem ascribere quae in eadem impia epistola iniuriantur, et Nestorium impiumque eius dogma anathematizare, quae et impia epistola defendit et collaudat. Si igitur et ipse Ibas propter impiam epistolam saepius accusatus, non est ausus eam suam dicere, sed etiam Chalcedonense sanctum concilium omnia ei contraria compulit eum peragere, quomodo eadem sancta synodus memoratam epistolam susciperet, et condemnationi impietatis quae in ea continetur, sese subiiceret, a qua Ibam liberare festinavit? Quoniam autem omnes blasphemias epistolae praetermittentes haeretici, hoc solum ex ipsa proferunt, quod ad decipiendos simpliciores scriptor epistolae dixit, hoc est, duas naturas, unam virtutem, unam personam, demonstrabimus quod ipse etiam in hoc suam commiscuit impietatem. Cuius enim diceret duas naturas et unam personam, qui abnegat Deum Verbum

incarnatum de sancta et gloriosa Dei Genitrice et semper virgine Maria, et natum esse ex ipsa? Sed certum est, quod unicuique naturae suam personam attribuit, sicut Theodorus et Nestorius in suis libris blasphemantes exposuerunt, quos defendit scriptor epistolae cum eorum impietate. Illi enim aperte dicentes duas personas Dei Verbi et Christi, quem purum hominem vocant, per affectualem coniunctionem, et per eamdem dignitatem et honorem unam personam apparere dicunt, sed et duarum naturarum unam virtutem sive potentiam dicens scriptor epistolae, manifestus est quod et in hoc memoratos haereticos sequitur, Theodorum quidem dicentem in diversis libris de incarnatione impie expositis, Nestorium autem in multis quidem scriptis, et maxime in epistola scripta ad Alexandrum Hierapolitanum haereticum, quod duarum naturarum una est auctoritas, et una virtus, sive potentia, et una persona per dignitatem eundemque honorem, ex quo ostenditur, qui scripsit epistolam, secundum illorum perfidiam pro personis usus vocabulo naturarum. Una enim auctoritas, et una virtus sive potentia, et una dignitas et idem honor, non in diversis naturis, sed in diversis personis eiusdem substantiae dicitur, quod in sancta Trinitate confitemur. Unde et sancti Patres anathematizaverunt eos qui per auctoritatem, aut virtutem, sive potentiam, aut dignitatem, aut aequalitatem honoris, dicunt Deum Verbum unitum esse Christo, quem purum hominem vocant Theodori et Nestorii

sequaces, sed non secundum subsistentiam Dei Verbi ad carnem animatum anima rationali et intellectuali, unitatem factam esse confitentur.

Et haec quidem sufficiebant ad convincendam impietatem eorum qui sceleratam epistolam vindicant, tamen et in fine scriptor eiusdem epistolae ostendit suam perfidiam, dicendo quod oportet credere in templum, et in eum qui habitat in templo, per quae aperte duas introducit personas. Sed et istam impietatem a Theodoro et Nestorio scriptor epistolae edoctus est. Catholica autem Ecclesia talem condemnans perfidiam, non in templum, et in eum qui habitat in templo, sed in unum Dominum nostrum Iesum Christum, Dei Verbum incarnatum et hominem factum confiteri et credere tradit. Nihil autem mirandum est, si vocabulo naturarum usus est scriptor illius impiae epistolae. Solent enim haeretici, ut simpliciores decipiant, vocibus quidem uti quae ab orthodoxis pie dicuntur, rectum autem earum intellectum et expositionem ad suam impietatem transferre, quoniam autem eaedem voces, quando bene exponuntur et intelliguntur, cum pietate sunt, quando autem male ab haereticis intelliguntur et proferuntur, impietatem habent. Itaque Nestorium duas quidem naturas et unam personam dicentem, non confitentem autem earum unitatem secundum subsistentiam, Ephesina prima synodus, cuius auctores erant

Coelestinus et Cyrillus sanctae memoriae, non suscepit, sed condemnavit. Nos autem sanctorum Patrum doctrinam per omnia sequentes, et unitatem duarum naturarum, ex quibus Dominus noster Iesus Christus unus sanctae Trinitatis, Deus Verbum incarnatus, compositus est, et quod earum differentia non interempta est propter unitatem, in superioribus apertius demonstravimus. Et sufficiebant quidem quae praediximus, satisfacere eis qui nolunt contendere. Sed quoniam illi qui semel ad impietatem declinaverunt, et alia proponere conantur, necessario nos et tales eorum occasiones vanas ostendemus. Dicunt enim non oportere vituperare impiam epistolam, eo quod in aliquantis fertur codicibus. Sed si hoc aliquis secundum eorum dementiam sufficiat, oportet et Nestorium et Eutychem suscipi, quoniam plurima et de his in gestis continentur quae apud synodum acta sunt. Sed nemo sapiens dictis eorum animum intendet. Quae enim de haereticis proferuntur in synodis et pars gestorum fiunt, non ad liberationem inseruntur, sed ad maiorem condemnationem eorum, et qui eis similia sapiunt. Quamvis autem exemplaria impiae epistolae quae circumferuntur, in aliquibus codicibus, ut dictum est, inserta sint, tamen in authenticis in quibus sanctissimi episcopi subscripserunt, nullatenus inveniuntur. Oportet autem etiam illud attendere eos qui veritatem perscrutantur, quod forsitan in conciliis quaedam a certis ibi convenientibus dicuntur, aut per favorem, aut per

contrarietatem, aut per ignorantiam. Nemo autem attendit ea quae per partem a quibusdam dicuntur, sed sola illa quae ab omnibus communi consensu definiuntur. Si enim aliquis secundum illos voluerit attendere eiusmodi contrarietates, unaquaeque synodus invenietur semetipsam destruens. Propter haec igitur oportebat eos, si sanctum concilium recte susciperent, non tales blasphemias ei applicare, sed sequi doctores catholicae Ecclesiae, et maxime sanctum Athanasium, qui fuit Alexandriae episcopus, et plurimos et magnos labores suscepit pro recta Christianorum fide adversus omnem haeresin, et maxime contra impiissimos Arianos. Ipsis enim Arianis ad decipiendos populos suo errori coniungentibus Dionysium, qui ante multos annos Athanasii fuit Alexandriae episcopus, et dicentibus quod et ipse Dionysius similia eis sapuit, Athanasius magnus Ecclesiae doctor multis modis ostendit in scriptis, rectam fidem Dionysium ab initio praedicasse, nulloque modo participem Arianae impietatis fuisse. Isti autem haeretica sapientes, suam impietatem eidem synodo applicare festinant. Qualis autem est condemnatio, et qualis imminet maledictio eis qui in Patres peccant, docet nos et divina Scriptura. Si enim Cham filius Noe cum vidisset nudum suum patrem, quoniam non cooperuit patris corporalem nuditatem, sed egressus nuntiavit eam fratribus, et illi vestimento eam cooperuerunt, ipse quidem Cham, et illi qui ex ipso nati sunt, sub maledictione facti sunt, qui autem cooperuerunt,

magnam benedictionem meruerunt, multo magis isti maiore et ampliore condemnatione digni sunt, qui ad synodum minime pertinentem infamiam, festinant per impietatem epistolae, et Theodori, eidem sanctae synodo applicare. Sed non ideo impia epistola, vel defendentes eam, condemnationem suae impietatis effugient, sed neque Theodorus, qui paganos et Iudaeos, et omnes haereticos impietate superat. Impio enim Theodoro non suffecit super alias eius blasphemias ad suum errorem male interpretari symbolum trecentorum decem et octo sanctorum Patrum, sed etiam contempto eo, aliud symbolum exposuit omni impietate plenum, in quo anathematizare ausus est eos qui aliter sapiunt vel tradunt, ut, quantum ad illius insaniam pertinet, omnes sancti apostoli et Patres condemnarentur. Hoc autem Theodori impium symbolum et in Ephesina prima synodo prolatum, et in Chalcedonensi recitatum, ab utraque synodo cum eius expositore, et eis qui illud suscipiunt, condemnatum est.

Quoniam autem quidam, verba pro Theodoro facientes, cum proferuntur impia eius conscripta, propter insertam eis blasphemiam confingunt quidem dicere quod impia sunt, ipsum autem qui talem impietatem evomuit, recusant anathematizare, miramur eorum dementiam, quod divinae Scripturae contraria agunt, evidenter dicenti, quia aequaliter horribilia sunt apud Deum

impius et impietas eius. Actio enim cum auctore punietur, si autem similiter impietati horribilis est Deo et ille qui impie agit, certe separatus est talis a Deo, et anathemati iuste subiicitur. Anathema enim nihil aliud significat, nisi a Deo separationem, sicut in Veteri et Novo Testamento iudicium de anathemate significat. Quod autem et Dominus eos qui non permanent in verbo veritatis ipsius, separatos esse ab Ecclesia dicit, in Evangelio secundum Ioannem Iudaeos alloquens, sic ait, Omnis qui facit peccatum, servus est peccati. Servus autem non manet in domo in aeternum, filius autem permanet in aeternum. Quod autem, quam Dominus nominat domum, divina Scriptura Ecclesiam Dei vivi vocat, Apostolus testatur in Epistola prima ad Timotheum.

Si vero quidam dicunt, non oportere Theodorum post mortem anathematizari, sciant qui talem haereticum defendunt, quod omnis haereticus usque ad finem vitae in suo errore permanens, iuste perpetuo anathemati et post mortem subiicitur. Et hoc in multis haereticis et antiquioribus et propioribus factum est, id est Valentino, Basilide, Marcione, Cerintho, Manichaeo, Eunomio, et Bonoso. Hoc autem idem et in Theodoro factum est, et in vita accusato, et post mortem anathematizato a sanctis Patribus, quibus si credere noluerint ut haeretici eius defensores, vel impiae epistolae, quam ipsi defendunt, credant. Quae licet Theodorum

collaudet, manifeste tamen dicit, quod in Ecclesia a sanctis Patribus anathematizatus est, et ex illo plurima inquisitio facta est de eius conscriptis, ut pote plenis impietate. Hoc autem tunc faciebant catholicae Ecclesiae doctores, ne simpliciores legentes illius impia conscripta, a recta fide declinarent. Quod autem impii, licet non in vita in suam personam anathema susceperint, tamen et post mortem anathematizentur a catholica Ecclesia, ostenditur a sanctis synodis. Nicaena enim synodus eos qui impii Arii sectam colunt, sine nomine anathematizavit. Quae autem Constantinopoli congregata est, impiam Macedonii haeresim similiter condemnavit, sed tamen sancta Dei Ecclesia et post mortem Arium et Macedonium nominatim anathematizat. Cum autem ex multis probationibus convincuntur, quod supervacue et impie agunt qui Theodorum et impietatem eius defendunt, ad aliam vanam occasionem confugiunt, dicentes non oportere eum anathematizari eo quod in communicatione Ecclesiarum mortuus est. Oportebat autem scire eos quod illi moriuntur in communicatione Ecclesiarum, qui commune pietatis dogma, quod in universali Ecclesia praedicatur, usque ad finem servaverunt. Iste autem usque ad mortem in sua permanens impietate, ab omni Ecclesia eiectus est. Itaque et omnis plenitudo Mopsuestenae Ecclesiae, in qua episcopus dicitur fuisse cum invenisset quod paganis et Iudaeis et Sodomitanis a sanctis Patribus connumeratus est, deleverunt ipsi ex illo a sacris Ecclesiae

diptychis eius nomen, sicut gesta de hoc in eadem civitate apud concilium episcoporum illius provinciae confecta ostendunt. Miramur igitur Theodori sequaces, qui eum et impietatem eius tanquam suam defendunt, cum Ecclesia, in qua fuit episcopus, ut pote haereticum ex multis temporibus eum eiecerit. Quod autem ad condemnationem suam talem occasionem proponunt defensores Theodori, scire licet et ex ipso adversus Iudam facto tremendo iudicio. Ille enim cum putasset latere eum qui occulta hominum cognoscit, sacramentis communicavit cum apostolis, sed tamen nihil ei profuit quod cum dolo communicavit. Sed licet post mortem eius duodecim nominati sint discipuli, sicut Ioannes evangelista dicit, Thomas autem, qui Didymus dicebatur, unus ex duodecim, non erat cum ipsis quando venit Iesus, tamen hoc non liberat Iudam a condemnatione, aut connumerari facit apostolis. Unde post ascensionem Domini, apostoli per suam sententiam eundem Iudam etiam post mortem condemnaverunt, et alium pro illo introduxerunt. Quod autem vanam occasionem proponunt, dicentes non oportere haereticos mortuos anathematizari, et ex ipsis Domini verbis ostendemus. Impios enim et adhuc vivos, mortuos nominat, dicens, Dimitte mortuos sepelire mortuos suos, sicut iustos et iam defunctos, vivos nominat. Dicit enim de Abraham et Isaac et Iacob, quod Deus non est Deus mortuorum, sed viventium. Si ergo secundum verba illorum non oportet haereticos mortuos

anathematizari, nec viri haeretici anathematizabuntur, quos Dominus mortuos vocat, quia separati sunt ab ipso qui dixit, Ego sum vita, et secundum eos iam nec vivi, nec mortui haeretici anathematizabuntur, et sine causa, secundum illos, apostolica doctrina tradit anathematizari eos qui tradunt praeter quod accepimus, sine causa sanctae synodi haereticos condemnaverunt, sine causa et alii sancti Patres et doctores Ecclesiae haereticos anathematizaverunt. Inculpent autem et Ieremiam prophetam dicentem, Exsecrandus qui opera Domini facit negligenter, et David prophetam dicentem, Exsecrandi qui declinant a mandatis tuis, et ut compendiose dicamus, omnem divinam Scripturam in diversis locis tales condemnationes impiis inferentem. Sin autem illi qui negligenter opera Dei faciunt, et peccant in mandatis eius, talibus condemnationibus subiiciuntur, quanto magis impius Theodorus, qui talia adversus ipsum magnum Deum et Salvatorem nostrum Iesum Christum blasphemavit, iuste condemnatus est et anathematizatus?

Et haec quidem sufficiebant, super memoratas et aliis nostris libris insertas probationes, quas protulimus, ostendentes, quod oportet etiam post mortem haereticos condemnari, confundere eos qui Theodorum defendunt, et compescere a tali impietate. Quoniam autem contensiose in iisdem permanent, etiam quod est amplius,

dicimus quia quidam ex ipsis qui in Nicaena sancta synodo convenerunt, et expositae ab ea fidei definitioni vel symbolo subscripserunt, quoniam postea contraria sapientes apparuerunt, alii quidem vivi, alii autem post mortem anathematizati sunt a Damaso sanctae memoriae papa antiquioris Romae, et ab universali Sardicensi synodo, prout testatur sanctus Athanasius. Sed et Chalcedonensis sancta synodus Domnum Antiochiae factum episcopum post mortem condemnavit, quod solum ausus est scribere, oportere taceri duodecim capitula Sancti Cyrilli.

Quoniam autem Theodori defensores haeretici, omni propositione et conatu excidentes, praesumunt dicere ad deceptionem ignorantium, quod sanctae memoriae Cyrillus in aliqua parte epistolae illum collaudavit, ex multis ostenditur, quod non convenit eorum conamen dictis a Sancto Cyrillo in diversis eius libris contra impium Theodorum, in quibus magis impium omnibus aliis haereticis eum ostendens, deinde non sustinens plurimas et maximas eius blasphemias contra magnum Deum et Salvatorem nostrum Iesum Christum dictas, exclamavit, ita dicens, “Expavit caelum super hoc, et horruit amplius vehementer, dicit Dominus. O intolerabilem malignitatem, o linguam loquentem iniquitatem contra Deum, et in altitudinem cornu extollentem!” Et iterum, “Impone, homo, tuae linguae ostium et seram, cessa cornu in

altitudinem extollens, et loquens iniquitatem adversus Deum. Quousque insultas patienti Christo? In mente habe scriptum a divino Paulo, Sic autem peccantes in fratres, et percutientes eorum infirmam conscientiam, in Christum peccatis. Et ut aliquid etiam ex propheticis loquar codicibus, Iustificata est Sodoma ex te, superasti paganorum verbositates, quas contra Christum fecerunt, stultitiam existimantes crucem, nihil esse ostendisti Iudaicae superbiae criminal". His igitur ad condemnationem Theodori sic a Sancto Cyrillo dictis, licet aliquis concedat, secundum illorum verba Sanctum Cyrillum aliquid pro Theodoro dixisse, neque hoc liberat illum a condemnatione. Invenimus enim, quod multi sanctorum Patrum quosdam haereticos collaudaverunt, sicut et sancti Damasus et Athanasius et Basilius Apollinarium, et sanctus Leo Eutychen, et tamen cognita eorum impietate, non propter hoc evaserunt haeretici condemnationem et anathema, quod postea contra eorum personam et impietatem factum est. Tantus autem est furor defendentium Theodorum, quia praesumunt adversus Gregorium theologum, et Ioannem Constantinopolitanum mentiri, dicentes epistolas ad eundem Theodorum plenas laudis eos direxisse, quod falsum est. Gregorius enim, cum in Constantinopoli pro veritate laborans, conversis per eum ab Ariana insania ad catholicam fidem populis, ad suam patriam reversus est, epistolas quas haeretici dolose proferunt, non ad Theodorum Mopsuestenum scripsit, sed

ad Theodorum episcopum Tyanensem, quae est secundae Cappadociae metropolis. Eiusdem autem provinciae sunt et Nazianzus civitas, cuius fuerat episcopus idem sanctae memoriae Gregorius, et Arianzus praedium, unde ortus fuerat. Hoc enim et ipsae epistolae aperte significant, memoriam facientes consuetudinum et collectionum, et eiusdem praedii Arianzi, et aliorum praediorum eiusdem provinciae, et mensis vernacula lingua Cappadocum nominati, et Bosphorii episcopi sub eodem Theodoro constituti, qui tunc temporis Coloniae civitatis eiusdem provinciae episcopus erat, et aliorum episcoporum, et chorepiscoporum, et monasteriorum, quae sub Theodori iurisdictione erant, quorum usque nunc eadem nomina servantur. Qualis porro communio Cappadocibus ad secundam Ciliciam, vel tunc, vel modo divisa earum provinciarum gubernatione? Et quos episcopos sub se habere poterat Mopsuestenus episcopus, cum ipse sub metropolitano secundae Ciliciae constitutus esset? Ioannes autem Constantinopolitanus scripsit quidem epistolam ad Theodorum Mopsuestenum, non tamen laudibus, sed querimoniis et increpationibus plenam, ut pote illo a bona conversatione lapso. Quoniam enim cum eo monachicam vitam in uno eodemque monasterio exercuit, conversationis ibi factae eum admonuit, et pro his testimonium praebent Sozomenus, et Hesychius, et Socrates, et Theodoretus, qui multas pro Theodoro orationes et laudes fecit. Si

autem testimonia proferunt Ioannis Antiocheni, et Orientalis concilii sub eo constituti, facta pro Theodoro, et eius impietate, necesse est eos, et illa suscipere, quae quantum ad illos pertinet ad condemnationem sancti Cyrilli, et reprobationem rectae fidei fecerunt Ioannes et qui cum illo erant, nec non etiam quae scripserunt, Nestorium et eius perfidiam diutius defendentes. Et hoc ostenditur ex diversis eorum libris et epistolis, quas ad Theodosium piae recordationis, et ad alios diversos scripserunt.

Et haec quidem sic se habent. Ut autem nihil subtilitatis praetermittamus, necessarium putavimus memorare etiam illa quae ab Augusto sanctae memoriae Africano episcopo scripta sunt. Quaestione enim aliqua post mortem Caeciliani de eo mota, quod ab ecclesiastica traditione declinasse dicebatur, et propter hoc quibusdam a catholica Ecclesia separatis, scribit ad Bonifacium idem sanctus Augustinus, quod non oportebat, aliquos ideo separare sese a catholica Ecclesia. Si enim vera essent ea quae Caeciliano inferebantur, et manifestatus esset contrarium aliquid ecclesiastico statui sapuisse, etiam post mortem eum anathemati subiicerem. Sed et regula sanctae synodi Africanae statuit, episcopos qui suas facultates in testamento, vel ex intestato haeretico relinquunt, oportere et post mortem anathematizari. Super haec autem omnia, quis ignorat ea quae nostris temporibus in Ecclesia antiquioris

Romae contra Dioscorum acta sunt? Qui cum nihil in fidem peccasset, tamen propter solum ecclesiasticum ordinem post mortem ab eadem sancta Ecclesia Romana anathematizatus est. Si igitur nihil in fidem peccantes episcopi, propter solum ecclesiasticum ordinem, et propter causam pecuniariam anathemati et post mortem subiiciuntur, quanto magis Theodorus, qui in ipsum Deum peccavit? Quantum autem ad insipientiam dicentium non oportere anathematizari post mortem eos qui in sua impietate mortui sunt, oportebat nec eos qui iniuste condemnati sunt Patres post mortem revocari, quale contigit in Ioanne sanctae recordationis episcopo Constantinopolitanae civitatis, ab universali Ecclesia post mortem revocato, et in Flaviano sanctae memoriae et ipso episcopo Constantinopolitanae civitatis, iniuste quidem in vita condemnato, iuste autem post mortem revocato, tam a sanctae memoriae papa Leone quam a sancta Chalcedonensi synodo. Ex hoc autem contingit secundum illorum verba, haereticos quidem sanctis Patribus connumerari, ut pote liberatos debita eis condemnatione, sanctos autem Patres iniuste condemnatos, haereticis coniungi, ut pote non soluta contra eos facta iniqua damnatione. Omnibus autem magis credendus est Doctor Dominus et Deus noster Iesus Christus, de se dicens, Sic enim dilexit Deus mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habaet vitam aeternam. Non enim misit Deus Filium suum in mundum ut iudicet

mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. Qui credit in eum, non iudicatur, qui autem non credit, iam iudicatus est, quia non credit in nomine unigeniti Fili Dei. Et Spiritus autem sanctus per prophetam David dicit, impios non resurrecturos in iudicio. Tali igitur Domini sententia prolata adversus omnem impium, et nihil discernente inter vivos et mortuos haereticos, quomodo audent resistere tali sententiae, et eos qui semel impie egerunt, et propter hoc iam a Domino condemnati sunt, dicere, non oportere post mortem condemnari? Et divinus autem Apostolus, qui Christum in semetipso habet loquentem, non solum adversus homines, sed etiam adversus angelos talem protulit sententiam, dicens in epistola ad Galatas, sed licet nos aut angelus de caelo evangelizaverit praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit. Sicut praediximus, et nunc iterum dico, Si quis vobis evangelizaverit praeter id quod accepistis, anathema sit. Et quis ita impius est, ut praesumat dicere, quod Theodori impia scripta, vel pars eorum, tradita est aliquando sanctae Dei Ecclesiae, et non statim, qui ausus est aliquid tale loqui anathemati subiectus est a sanctis Patribus?

Si quis igitur post eiusmodi rectam confessionem, et haereticorum condemnationem, salvo manente pio intellectu, de nominibus vel syllabis vel dictionibus contendens, separat se a sancta Dei Ecclesia, tanquam non in rebus, sed in nominibus solis et dictionibus posita

nobis pietate, talis ut pote dissensionibus gaudens, rationem pro semetipso, et pro deceptis et decipiendis ab eo, reddet magno Deo et Salvatori nostro Iesu Christo in die iudicii. Amen.

Fides Papae Pelagii

Pelagius PP I

3 February 561

Pelagius PP I

First Text

Credo, inquit, in unum Deum, Patrem et Filium et Spiritum sanctum, Patrem scilicet omnipotentem, sempiternum, ingenitum, Filium vero ex eiusdem Patris substantia genitum, ante omne omnino vel temporis vel cuiusquam initium, de omnipotente omnipotentem, aequalem, consempiternum, et consubstantialem genitori, Spiritum quoque sanctum omnipotentem, utrique, Patri scilicet ac Filio, aequalem, consempiternum atque consubstantialem, qui ex Patre intemporaliter cedens, Patris est Filiique Spiritus. Hoc est tres personas, sive tres subsistentias unius essentiae, sive naturae, unius virtutis, unius operationis, unius beatitudinis, atque unius potestatis, ut trina sit unitas, et una sit Trinitas, iuxta vocem Dominicae veritatis, dicentis, Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.

In nomine, inquit, non nominibus, ut et unum Deum, per indistinctum divinae essentiae nomen ostenderet, et personarum discretionem suis demonstratam proprietatibus edoceret, quia dum

tribus unum deitatis nomen est, aequalitas ostenditur personarum, et rursus aequalitas personarum nihil extraneum, nihil accidens in eis permittit intelligi, ita ut et unusquisque eorum verus perfectusque sit Deus, videlicet ex plenitudine divinitatis, nihil minus in singulis, nihil amplius intelligatur in tribus.

Ex hac autem sancta et beatissima atque consubstantiali Trinitate, credo atque confiteor, unam personam, id est, Filium Dei, pro salute humani generis, novissimis temporibus descendisse de caelo, nec patriam sedem, nec mundi gubernacula relinquentem, et Sancto Spiritu superveniente in beata Virgine Maria, atque obumbrante ei virtute Altissimi, eundem Verbum ac Filium Dei in utero eiusdem sanctae Virginis Mariae clementer ingressum, et de carne eius sibi unisse carnem anima rationali et intellectuali animatam.

Nec ante creatam esse carnem, et postea supervenisse Filium Dei, sed sicut scriptum est, Sapientia aedificante sibi domum, mox carnem in utero Virginis, mox Verbi Dei carnem factam, exindeque, sine ulla permutatione aut conversione Verbi carnisque naturae, Verbum ac Filium Dei factum hominem, unum in utraque natura, divina scilicet et humana, Christum Iesum, Deum verum, eundemque verum hominem processisse, id est, natum esse, servata integritate maternae virginitatis, quia sic eum virgo

permanens genuit, quemadmodum virgo concepit. Propter quod eamdem beatam Virginem Mariam Dei genitricem verissime confitemur, peperit enim incarnatum Dei Verbum.

Est ergo unus atque idem Iesus Christus verus Filius Dei, et idem ipse verus filius hominis, perfectus in deitate, et idem ipse perfectus in humanitate, ut pote totus in suis, et idem ipse totus in nostris, sic per secundam nativitatem sumens ex homine matre quod non erat, ut non desisteret esse quod per primam, qua ex Patre natus est, erat.

Propter quod eum ex duabus et in duabus manentibus indivisis inconfusisque credimus esse naturis. Indivisis quidem, quia et post assumptionem naturae nostrae unus Christus Filius Dei permansit et permanet, inconfusis autem, quia sic in unam personam atque subsistentiam adunatas credimus esse naturas, ut utriusque proprietate servata, neutra converteretur in alteram. Ac propterea, sicut saepe diximus, unum eundemque Christum esse verum Filium Dei, et eundem ipsum verum filium hominis confitemur, consubstantialem Patri secundum deitatem, consubstantialem nobis eundem secundum humanitatem, per omnia nobis similem absque peccato, passibilem carne, eundem ipsum impassibilem deitate.

Quem sub Pontio Pilato sponte pro salute nostra passum esse carne confitemur, crucifixum carne, mortuum carne, resurrexisse tertia die, glorificata et incorruptibili eadem carne, et conversatum post resurrectionem cum discipulis suis ac multis modis evidenter eis ostendisse sui corporis veritatem, et quadragesimo die videntibus eisdem discipulis ascendisse in caelos, sedere etiam ad dexteram Patris, credo et confiteor, secundum testificationem angelorum, sicut ascendit in caelos, ita venturum iudicare vivos et mortuos.

Omnes enim homines ab Adam usque ad consummationem saeculi natos et mortuos, cum ipso Adam eiusque uxore, qui non ex aliis parentibus nati sunt, sed alter de terra, altera autem de costa viri, creati sunt, tunc resurrecturos esse confiteor, et adstare ante tribunal Christi, ut recipiat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bona, sive mala, et iustos quidem per largissimam gratiam Dei, ut pote vasa misericordiae in gloriam praeparata, aeternae vitae praemiis donaturum, in societate videlicet angelorum, absque ullo iam lapsus sui metu, sine fine victuros, iniquos autem, arbitrio voluntatis propriae, vasa irae apta in interitum permanentes, qui viam Domini, aut non agnoverunt, aut cognitam diversis capti praevaricationibus reliquerunt, poenis aeterni atque inextinguibilis ignis, ut sine fine ardeant, iustissimo iudicio traditurum.

Second Text

Credo igitur in unum Deum, Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, Patrem scilicet omnipotentem, sempiternum, ingenitum, Filium vero ex eiusdem Patris substantia vel natura genitum ante omne omnino vel temporis, vel cuiusquam initium, de omnipotente omnipotentem, aequalem, consempiternum et consubstantialem genitori. Spiritum quoque sanctum omnipotentem, utrique, Patri scilicet ac Filio aequalem, consempiternum atque consubstantialem, qui ex Patre intemporaliter procedens, Patris est Filiique Spiritus. Hoc est tres personas, sive tres subsistentias unius essentiae sive naturae, unius virtutis, unius operationis, unius beatitudinis atque unius potestatis, ut trina sit unitas, et una sit Trinitas, iuxta vocis dominicae veritatem, dicentis, Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. In nomine, inquit, non nominibus, ut et unum Deum per indistinctum divinae essentiae nomen ostenderet, et personarum discretionem suis demonstratam proprietatibus edoceret, quia dum tribus unum deitatis nomen est, aequalitas ostenditur personarum, et rursus aequalitas personarum nihil extraneum, nihil accedens in eis permittit intelligi, ita ut et unusquisque eorum verus perfectusque sit Deus, videlicet ex plenitudine divinitatis nihil minus in singulis, nihil amplius intelligatur in tribus.

Ex hac autem sancta, et beatissima, atque consubstantiali Trinitate, credo atque confiteor unam personam, id est, Filium Dei pro salute humani generis novissimis temporibus descendisse de caelo, nec patriam sedem, nec mundi gubernacula relinquentem, et sancto Spiritu superveniente in beata Virgine Maria, atque obumbrante ei virtute Altissimi, eundem Verbum ac Filium Dei in utero eiusdem sanctae Virginis Mariae clementer ingressum, et de carne eius sibi unisse carnem anima rationali et intellectuali animatam, nec ante creatam esse carnem, et postea supervenisse Filium Dei, sed, sicut scriptum est, sapientia aedificante sibi domum, mox carnem in utero Virginis, mox Verbi Dei carnem factam, exindeque sine ulla permutatione aut conversione Verbi carnisque naturae, Verbum ac Filium Dei factum hominem unum in utraque natura, divina scilicet et humana, Christum Iesum Deum verum, eundemque verum hominem processisse, id est natum esse, servata integritate maternae virginitatis, quia sic cum virgo permanens genuit, quemadmodum virgo concepit. Propter quod eamdem beatam virginem Mariam Dei Genitricem verissime confitemur, peperit enim incarnatum Dei Verbum. Est ergo unus atque idem Iesus Christus verus Filius Dei, et idem ipse verus filius hominis perfectus in deitate, et idem ipse perfectus in humanitate, ut pote totus in suis, et idem ipse totus in nostris, sic per secundam nativitatem sumens

ex homine matre quod non erat, ut non desisteret esse quod per primam, qua ex Patre natus est, erat. Propter quod eum ex duabus et in duabus, manentibus indivisis inconfusisque credimus esse naturis. Indivisis quidem, quia et post assumptionem naturae nostrae unus Christus Filius Dei permansit et permanet, inconfusis autem, quia sic in unam personam atque subsistentiam adunatas credimus esse naturas, ut utriusque proprietate servata, neutra converteretur in alteram. Ac propterea, sicut saepe diximus, unum eundemque Christum esse verum Filium Dei, et eundem ipsum verum filium hominis confitemur, consubstantialem Patri secundum deitatem, consubstantialem nobis eundem secundum humanitatem, per omnia nobis similem absque peccato, passibilem carne, eumdum ipsum impassibilem deitate. Quem sub Pontio Pilato sponte pro salute nostra passum esse carne confitemur, crucifixum carne, mortuum carne, resurrexisse tertia die glorificata et incorruptibili eadem carne, et conversatum post resurrectionem cum discipulis suis, ac multis modis evidenter eis ostendisse sui corporis veritatem, et quadragesimo die videntibus eisdem discipulis ascendisse in caelos, sedere etiam ad dexteram Patris. Quem credo et confiteor, secundum testificationem angelorum, sicut ascendit in caelos, ita venturum iudicare vivos et mortuos.

Omnes enim homines ab Adam usque ad consummationem saeculi natos et mortuos, cum ipso Adam eiusque uxore, qui non ex aliis parentibus nati sunt, sed alter de terra, altera autem de costa viri, creati sunt, tunc resurrecturos esse confiteor, et astare ante tribunal Christi, ut recipiat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bona, sive mala, et iustos quidem per largissimam gratiam Dei, ut pote vasa misericordiae in gloriam praeparata, aeternae vitae praemiis donaturum, in societate videlicet angelorum, absque ullo iam lapsus sui metu sine fine victuros, iniquos autem arbitrio voluntatis propriae vasa irae apta in interitum permanentes, qui viam Domini aut non agnoverunt, aut cognitam diversis capti praevaricationibus reliquerunt, in poenis aeterni atque inexstinguibilis ignis, ut sine fine ardeant, iustissimo iudicio traditurum.

Haec est igitur fides mea et spes mea, quae in me dono misericordiae Dei est, pro qua maxime paratos esse debere beatus Petrus apostolus praecipit ad respondendum omni poscenti nos rationem.

Confessio Gregorius Turonensis

Gregory of Tours

580

Pelagius PP II

Credo ergo in Deum Patrem omnipotentem. Credo in Iesum Christum filium eius unicum, Dominum Deum nostrum, natum a Patre, non factum, non post tempora, sed ante cunctum tempus, semper fuisse cum Patre. Nec enim Pater dici potuerat, nisi haberet Filium, neque Filius esset, si Patrem utique non haberet. Illos vero qui dicunt, Erat quando non erat, exsecrabiliter renuo, et ab Ecclesia segregari contestor. Credo Christum hunc Verbum esse Patris, per quem facta sunt omnia. Hunc Verbum carnem factum credo, cuius passione mundus redemptus est, et humanitatem, non deitatem subiacuisse passioni credo. Credo eum die tertia resurrexisse, hominem perditum liberasse, ascendisse in caelos, sedere ad dexteram Patris, venturum ac iudicaturum vivos et mortuos. Credo sanctum Spiritum a Patre et Filio processisse, non minorem, et quasi ante non esset, sed aequalem, et semper cum Patre et Filio coaeternum Deum, consubstantialem natura, aequalem omnipotentia, consempiternum essentia, ut nunquam sine Patre fuisse vel Filio, neque minorem Patre vel Filio. Credo hanc Trinitatem sanctam in distinctione subsistere personarum, et aliam

quidem personam Patris, aliam Filii, aliam Spiritus sancti. In qua Trinitate unam deitatem, unam potentiam, unam essentiam esse confiteor. Credo beatam Mariam, ut virginem ante partum, ita virginem et post partum. Credo animam immortalem, nec tamen partem habere deitatis. Et omnia quae a trecentis decem et octo episcopis Nicaeae constituta sunt, credo fideliter. De fine vero mundi ea sentio quae a prioribus didici.

Professio Fidei Gregorius PP I

Gregorius PP I

590

Gregorius PP I

First Text

Credo in unum Deum omnipotentem, Patrem et Filium et Spiritum sanctum, tres personas, unam substantiam, Patrem ingenitum, Filium genitum, Spiritum vero sanctum, nec genitum, nec ingenitum, sed coaeternum, de Patre et Filio procedentem. Confiteor unigenitum Filium consubstantialem et sine tempore natum de Patre, omnium visibilium et invisibilium conditorem, lumen ex lumine, deum verum de deo vero, splendorem gloriae, figuram substantiae, qui manens verbum ante saecula perfectus homo creatus est iuxta finem saeculorum, conceptus et natus ex Spiritu sancto et Maria virgine, qui naturam nostram suscepit absque peccato, et sub Pontio Pilato crucifixus est et sepultus, tertia die resurrexit a mortuis, die autem quadragesimo ascendit in caelum, sedet ad dexteram Patris, unde venturus est iudicare vivos et mortuos, positurus ante oculos omnium omnia occulta singulorum, daturus sanctis perpetua praemia regni caelestis, iniquis autem supplicia ignis aeterni, innovaturus saeculum per ignem. Confiteor unam fidem, unum baptisma, unam, apostolicam et universalem

ecclesiam, in qua sola possint laxari peccata in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.

Second Text

Credo in unum Deum omnipotentem, Patrem et Filium et Spiritum sanctum tres personas, unam substantiam, Patrem ingenitum, Filium genitum, Spiritum vero sanctum, nec genitum, nec ingenitum, sed coaeternum, de Patre et Filio procedentem. Confiteor unigenitum Filium consubstantialem, et sine tempore natum de Patre, omnium visibilium et invisibilium conditorem, lumen ex lumine, Deum verum de Deo vero, splendorem gloriae, figuram substantiae, qui manens Verbum ante saecula, perfectus homo creatus est juxta finem saeculorum, conceptus et natus ex Spiritu sancto, et de Maria virgine, qui naturam nostram suscepit absque peccato, et sub Pontio Pilato crucifixus est et sepultus, tertia die resurrexit a mortuis, die autem quadragesimo ascendit in caelum, et sedet ad dexteram Patris, inde venturus est judicare vivos et mortuos, posturus ante oculos omnium omnia occulta singulorum, daturus justis perpetua praemia regni caelestis, iniquis autem supplicia ignis aeterni, innovaturus saeculum per ignem, et carnis resurrectionem. Confiteor unam fidem, unum Baptisma, unum Apostolicam et universalem Ecclesiam, in qua sola possunt laxari peccata, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.

Second Version

Credo in Patrem, in Filium, in Spiritum sanctum, tres personas, unam substantiam. Credo Patrem non esse gentium, et Filium esse gentium, et Spiritum sanctum ab utroque procedere, et esse eiusdem durationis et aeternitatis. Credo et confiteor, quod unigenitus Filius Dei, permanens Deus, et splendor gloriae Patris, sit factus homo, et conceptus ac natus, opera Spiritus sancti ex Virgine Maria. Credo et confiteor, quod naturam humanam assumpserit sine peccato, mortuus sit in cruce, sepultus sit, et resurrexit tertia die, et quadragesima die ascenderit in caelum, et sedeat ad dexteram Patris, et quod inde venturus sit ad iudicandum vivos et mortuos ex factis, et cogitationibus eorum etiam occultissimis. Credo et confiteor, quod aeterno praemio donaturus sit iustos, et aeterno supplicio ignis eos, qui in peccatis mortui sunt. Credo quod innovaturus sit mundum per ignem et resuscitaturus omnes mortuos. Credo et confiteor unam solam esse veram fidem, unum baptisma, unam Ecclesiam Apostolicam et universalem, quae est Romana, in qua sola dimitti possunt pecata in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.

Professio Fidei Sancti Remigii, Amati Abbatis,

et Sancti Theophili poenitentis

circa 600

…

Credo et confiteor sanctissimam Trinitatem Patrem et Filium et Spiritum sanctum, quod hae tres personae sint eiusdem substantiae, aeternitatis, divinitatis, essentiae, potentiae, gloriae, magnitudinis, et maiestatis. Credo tantum esse Patrem, quantus est Filius, et Spiritum sanctum utrique parem, neque quidquam maius esse in tribus simul personis, atque est in una singillatim.

Credo adoro et glorifico Dominum nostrum Iesum Christum Filium naturalem Dei vivi et unam in sanctissima Trinitate personam, generatum a Patre ante saecula, et in novissimis temporibus conceptum opera Spiritus sancti, in utero Virginis Mariae, in salute hominum.

Credo eundem esse perfectum et perfectum hominem, neque in ipso esse personam humanam, sed divinam, quae est aeterna et comitatur naturam temporalem.

Credo quod hic homo sit Deus, non quod una natura in alteram conversa sit, sed quia eadem est persona Dei et hominis.

Credo quod quemadmodum in sanctissima Trinitate alia est persona Patris alia Filii alia Spiritus sancti et ex adverso, non est alia substantia Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti, ita in Christo Iesu aliud est Divinitas, aliud anima, aliud corpus, non tamen alia est persona Divinitatis, alia humanitatis, sed est res una, unus Christus, unus Filius, unum Verbum, unus Deus et homo.

Credo quod iste Dominus propter me, et alios peccatores fuerit consputus, colaphizatus, tortus, in crucem actus, et tanquam bonus pastor pro ovibus animam suam posuerit, et fuerit sepultus, resurrexerit, ascenderit in caelum in eadem carne, quam sumpsit ex Virgine, et quod venturus sit ad iudicandum vivos et mortuos.

Professio Fidei Concilio Toletano IV

Forth Council of Toledo

5 December 633

Honorius PP I

Secundum divinas scripturas et doctrinam quam a sanctis patribus accepimus, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum unius deitatis atque substantiae confitemur. In personarum diversitate Trinitatem credentes, in divinitate unitatem praedicantes. Nec personas confundimus, nec substantiam separamus. Patrem a nullo factum vel genitum dicimus, Filium a Patre non factum sed genitum asserimus. Spiritum vero sanctum, nec creatum nec genitum, sed procedentem ex Patre et Filio profitemur. Ipsum autem Dominum Iesum Christum, Dei Filium et creatorem omnium ex substantia Patris ante saecula genitum, descendisse ultimo tempore pro redemptione mundi a Patre, qui numquam desinit esse cum Patre. Incarnatus est enim ex Spiritu Sancto, et sancta gloriosa Dei genitrice virgine Maria, et natus ex ipsa solus, idem dominus Iesus Christus unus in sancta Trinitate, anima et carne perfectus, sine peccato suscipiens hominem, manens quod erat, assumens quod non erat. Aequalis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem, habens in una persona duarum naturarum proprietatem. Naturae enim in illo duae, Deus et homo. Non autem

duo filii et dii duo, sed idem una persona in utraque natura perferens passionem et mortem pro nostra salute, non in virtute divinitatis, sed in infirmitate humanitatis. Descendit ad inferos, ut sanctos qui ibi tenebantur erueret, et devicto mortis imperio resurrexerit. Assumptus in caelis venturus est in futurum ad iudicium vivorum et mortuorum. Cuius morte et sanguine mundati remissionem peccatorum consecuti sumus. Resuscitandi ab eo in die novissima in ea qua nunc vivimus carne, et in ea qua resurrexit idem Dominus forma. Percepturi ab ipso, alii pro iustitiae meritis vitam aeternam, alii pro peccatis supplicii aeterni sententiam. Haec est catholicae ecclesiae fides, hanc confessionem conservamus atque tenemus. Quam quisque firmissime custodierit perpetuam salutem habebit.

Professio Fidei Concilio Toletano VI

Sixth Council of Toledo

9 January 638

Honorius PP I

Itaque credimus et profitemur sacratissimam omnipotentissimam Trinitatem, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, unum Deum solum, non solitarum, unius essentiae, virtutis, potestatis, maiestatis, uniusque naturae, discretam inseparabiliter personis, indiscretam essentialiter substantiam deitatis, creatricem omnium creaturarum. Patrem, ingenitum increatum, fontem et originem totius divinitatis. Filium a Patre intemporaliter, ante omnem creaturam sine initio genitum, non creaturam. Nam nec Pater umquam sine Filio, nec Filius extitit sine Patre, sed tamen Filius Deus de Patre Deo, non Pater Deus de Filio Deo, Patre Filii non Deus de Filio. Ille autem Filius Patris et Deus de Patre per omnia coaequalis Patri, Deus verus de Deo vero. Spiritum vero Sanctum neque genitum neque creatum, sed de Patre Filioque procedentem utriusque esse Spiritum, ac per hoc substantialiter unum sunt. Qui et unus, ab utroque procedit. In hac autem Trinitate tanta est unitas substantiae, ut pluralitate careat, et aequalitatem teneat. Nec minor in singulis quam in omnibus, nec maior in omnibus quam in singulis manet personis. Ex his igitur tribus divinitatis personis, solum filium

fatemur ad redemptionem humani generis, propter culparum debita quae per inoboedientiam a Deo originaliter, et nostro libero arbitrio contraximus resolvenda, secreto patris et arcano prodisse, et hominem sine peccato de sancta semper virgine Maria adsumpsisse, ut idem Filius Dei Patris, esset filius hominis, Deus perfectus et homo perfectus, ut homo perfectus Deus, esset unus Christus naturis in duabus una persona ne quaternitas Trinitati accederet si in Christo persona geminata esset. Ergo a Patre et Spiritu Sancto inseparabiliter creatus persona, ab homine autem adsumpto natura. Idem cum eodem homine unus extat persona, cum Patre et Spiritu Sancto natura, ac sicut diximus ex duabus naturis, et una persona, unus est Dominus noster Iesus Christus, in forma divinitatis aequalis Patri, in forma servi minor Patre. Haec est enim vox eius in psalmo, De ventre matris meae Deus meus es tu. Natus itaque a Deo sine matre, natus a virgine sine Patre. Solus verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Et cum tota cooperata sit Trinitas formationem suscepti hominis, quoniam inseparabilia sunt opera Trinitatis, solus tamen hominem in singularitate personae, non in unitate divinae naturae, id est id quod est proprium Filii, non quod commune Trinitati. Nam si unam nati hominis, Deique alteram confecisset personam, tota Trinitas corpus adsumpsisset. Quoniam constat naturam Trinitatis esse unam, non tamen personam. Hic igitur Dominus Iesus Christus missus a Patre suscipiens quod non erat, nec

amittens quod erat. Inviolabilis de suo, mortalis de nostro, venit in hunc mundum peccatores salvos facere et credentes iustificare. Faciensque mirabilia traditus est propter delicta nostra, mortuus est propter expiationem nostram, resurrexit propter iustificationem nostram. Huius livore sanati, huius morte Deo Patri reconciliati. Huius resurrectione sumus resuscitati. Quem etiam venturum in fine expectamus saeculorum, cum resurrectione omnium aequissimo suo iudicio redditurum iustis praemia, impiis poenas. Ecclesiam quoque catholicam credimus sine macula et ruga corpus eius esse, regnumque habituram cum capite suo omnipotenti Christo Iesu, postquam hoc corruptibile induerit incorruptionem, et mortale immortalitatem ut sit Deus omnia in omnibus. Hac fide corda purificantur, hac hereses extirpantur. In hac omnis ecclesia collocata iam in regno caelesti, et deinceps in saeculo presenti gloriatur, et non est in alia fide salus. Nec enim nomen aliud sub caelo est datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri.

Professio Fidei Concilium Emeritense

Council of Merida

666

Vitalianus PP

Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem caeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium conditorem, et in unum Dominum nostrum Iesum Christum, Filium Dei Unigenitum, ex Patre natum ante omnia saecula, Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero, natum non factum, homousion Patri, hoc est, eiusdem cum Patre substantiae, per quem omnia facta sunt, quae in caelo et quae in terra, qui propter nos, et propter nostram salutem descendit, et incarnatus est de Spiritu Sancto, et Maria Virgine homo factus, passus sub Pontio Pilato, sepultus, tertia die resurrexit, ascendit in caelos, sedet ad dexteram Patris, iterum venturus in gloria iudicare vivos et mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum, Dominum et vivificatorem, ex Patre et Filio procedentem, cum Patre et Filio adorandum et glorificandum, qui loquutus est per prophetas, in unam Catholicam atque Apostolicam Ecclesiam. Confitemur unum Baptisma in remissionem peccatorum, expectamus resurrectionem mortuorum, et vitam venturi saeculi. Amen.

Haec est fides nostra, et haec credulitas sancta, hanc quisquis digne tenet, iudicii tempore remunerationem condignam accipiet, qui ab ea discesserit, et in hac fide esse noluerit, cum diabolo poenas aeternas luet. Oremus ergo omnipotentem Deum, ut haec credulitas sincera Divina nobis conferat beneficia, eiusque pietas sancta praesenti in saeculo cunda nobis dimittat peccata, et quum venerit iudicare vivos et mortuos, ad dexteram suam nos iustificandos statuat. Si quis non crediderit, aut confessus fuerit, Patrem, et Filium, et Spiritum Sandum unum esse in Trinitate, anathema sit.

Professio Fidei Hunegundis

Hunegund of France

660 / 670

Vitalianus PP

Credimus quippe, et confltemur absque principio temporis, et fine, summum, et incircumscriptum spiritum unum omnipotentem esse Deum, iuxta quod ait Moyses, Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus unus est. Unus est, inquam, Deus Pater ingenitus, unus Filius unigenitus, unus Spiritus sanctus ab utroque procedens, Patri et Filio coaeternus, sed semper idem Pater Deus, Filius Deus, Spiritus sanctus Deus, a quo omnia, per quem omnia, et in quo sunt omnia, et sine quo factum est nihil. Haec tripartita coniunctio, et coniuncta divisio, et in personis excludit unionem, et in personarum distinctione obtinet unitatem. Non autem sicut tres personas, ita et tres Deos credimus, sed in tribus personis unam Deitatem confitemur. Trinitatem sanctam credimus in subsistentibus personis, unitatem vero in natura, et maiestate, ac substantia Deitatis. Omne igitur, quod est, in duo dividimus. At absque sola nempe Trinitate omne, quod in caelis, terrisque, et mari potentatur, vel agitur, vel movetur, creaturam esse ducimus, et fatemur, Deum vero solum creatorem.

Filium Dei quoque credimus in novissimis temporibus conceptum esse de Spiritu sancto, et natum ex Maria virgine, carnemque naturae humanae, et animam suscepisse. In qua carne crucifixum, et sepultum, ac resurrexisse a mortuis credimus, et fatemur et in eadem ipsa carne, licet alterius gloriae, post resurrectionem ascendisse in caelum, unde iudicem venturem expectamus vivorum et mortuorum. Carnisque nostrae resurrectionem fatemur integram, atque perfectam, in qua nunc vivimus, et movemur in praesenti vita, et in ipsa aut pro honis actibus consequi bonorum praemia aut pro malis sustinere poenarum supplicia. Poenitentiam peccatorum plenissima fide profitemur, ac velut secundam gratiam suscipimus, iuxta quod Apostolus licit ad Corinthios, Volui per vos venire ut secundam gratiam haberetis. Hic est nostrae fidei thesaurus, quem signatum ecclesiastico symbolo custodimus, quod in baptismate suscepimus. Sic coram Deo corde credimus, sic coram omnibus hominibus ore confitemur, ut cunctis fidem sua cognitio faciat, et imago sua Deo testimonium reddat.

Professio Fidei Concilio Toletano XI

Eleventh Council of Toledo

7 November 675 - 2 November 676

Adeodatus PP II

Confitemur et credimus, sanctam atque ineffabilem trinitatem patrem et filium et spiritum sanctum, unum deum naturaliter esse unius substantiae, unius naturae, unius quoque maiestatis atque virtutis. Et patrem quidem non genitum, non creatum, sed ingenitum profitemur. Ipse enim a nullo originem ducit, ex quo et filius nativitatem, et spiritus sanctus processionem accepit. Fons ergo ipse et origo est totius divinitatis. Ipse quoque pater essentia quidem ineffabilis substantiae suae, filium ineffabiliter genuit, nec tamen aliud quam quod ipse est. Genuit deus deum, lux lucem. Ab ipso ergo est omnis paternitas in caelo et in terra. Filium quoque de substantia patris sine initio ante secula natum. Nec tamen factum esse fatemur, quia nec pater sine filio, nec filius aliquando extitit sine patre. Et tamen non ut filius de patre, ita pater de filio, quia non pater a filio, sed filius a patre generationem accepit. Filius ergo deus de patre, pater autem deus sed non de filio. Ille autem filius patris, et deus de patre, aequalis tamen per omnia, filius deo patri, quia nec nasci coepit aliquando nec desiit. Hic etiam unius cum patre substantiae creditur, propter quod et homousion patri dicitur,

hoc est eiusdem cum patre substantiae. Omo enim Grece unum, usia vero substantia dicitur, quod utrumque coniunctum sonat una substantia. Nec enim de nihilo neque de aliqua alia substantia, sed de patris utero, id est de substantia eius, idem filius genitus vel natus, esse credendus est sempiternus et si filius. Quod si semper pater fuit, semper habuit filium cuius pater esset, et ob hoc filium de patre natum, sine initio confitemur, nec enim eundem filium dei, pro eo quod de patre sit genitus defectae naturae portiunculam nominamus, sed perfectum patrem perfectum filium sine minutione sine defectione genuisse asserimus, quia solius divinitatis est, inaequalem filium non habere. Hinc enim filius dei natura est, filius non optione, quem deus pater, nec voluntate, nec necessitate genuisse credendus est, quia nec ulla in deo necessitas cadit, nec voluntas sapientiam prevenit. Spiritum quoque sanctum qui est tertia in trinitate persona, unum atque aequalem cum deo, patre et filio credimus esse deum, unius substantiae, unius quoque esse nature, non tamen genitum, vel creatum, sed ab utrisque procedentem amborum esse spiritum. Hic etiam spiritus sanctus nec ingenitus nec genitus creditur, ne aut si ingenitum dixerimus duos patres dicamus, aut si genitum duos filios predicare monstremur. Qui tamen nec patris tantum, nec filii tantum, sed simul patris et filii, spiritus dicitur, nec enim de patre procedit in filium, vel de filio procedit ad sanctificandam creaturam, sed simul ab utrisque

processisse monstratur, quia caritas sive sanctitas amborum esse agnoscitur. Hic igitur spiritus sanctus missus ab utrisque sicut filius creditur, sed minor patre et filio non habetur, sicut filius propter adsumptam carnem minorem se patre et spiritu sancto esse testatur. Haec est sanctae trinitatis relata narratio, quae non triplex sed trinitas et dici et credi debet. Nec recte dici potest, ut in uno deo sit trinitas, sed unus deus trinitas, in relativis vero personarum nominibus pater ad filium, filius ad patrem, spiritus sanctus ad utrosque refertur. Quae cum relativae tres personae dicantur una tamen natura vel substantia creditur. Nec sicut tres personas, ita tres substantias predicamus. Sed unam substantiam, tres autem personas. Quod enim pater est, non ad se sed ad filium, et quod filius est, non ad se sed ad patrem est. Similiter et spiritus sanctus non ad se sed ad patrem et filium, relativae refertur. In eo quod spiritus patris et filii praedicatur. Item cum dicimus deus, non ad aliquid dicitur, sicut pater ad filium vel filius ad patrem, vel spiritus sanctus ad patrem et filium, sed ad se specialiter deus dicitur. Nam si de singulis personis interrogemur deum necesse est fateamur. Deus ergo pater, deus filius, deus spiritus sanctus, singulariter dicitur. Nec tamen tres dii, sed unus est deus. Item et pater omnipotens, et filius omnipotens, et spiritus sanctus omnipotens, singulariter dicitur. Nec tamen tres omnipotentes, sed unus omnipotens, sicut et unum lumen unumque principium praedicatur.

Singulariter ergo et unaquaeque persona unus deus confiteatur et creditur, una illis et indivisa atque aequalis deitas, maiestas sive potestas, nec minoratur in singulis nec augetur in tribus, quia nec minus aliquid habet, cum unaquaeque persona deus singulariter dicitur, nec amplius cum totae tres personae unus deus enuntiatur. Haec ergo sancta trinitas, quae unus et verus est deus nec recedit a numero, nec capitur numero. In relatione enim personarum numerus cernitur, in divinitatis vero substantia, quid enumeratum sit non comprehenditur. Ergo hoc solum numerum insinuant, quod ad invicem sunt, et in hoc numero carent quod in se sunt. Nam huic ita sanctae trinitati unum naturale convenit nomen, ut in tribus personis non possit esse plurale. Ob hoc ergo credimus illud in sacris litteris dictum, Magnus dominus noster, et magna virtus eius, et sapientiae eius non est numerus. Nec quia tres has personas esse diximus unum deum eundem esse patrem quem filium vel eum esse filium qui est pater, aut eum qui est spiritus sanctus, vel patrem et filium dicere poterimus. Non enim ipse est pater, nec spiritus sanctus ipse qui est vel pater vel filius cum tamen ipse sit pater quod filius, ipsum filius quod pater, ipsum pater et filius quod et spiritus sanctus id est natura unus deus. Cum enim dicimus non ipsum esse patrem quem filium ad personarum distinctionem refertur. Cum autem dicamus ipsum esse patrem quod filium, et ipsum filium quod patrem ipsum spiritum sanctum quod patrem et

filium ad naturam qua deus est vel substantiam pertinere monstratur, quia substantia unum sunt. Personas enim distinguimus, non deitate separamus. Trinitatem igitur in personarum distinctione agnoscimus, potestatem propter naturam vel substantiam profitemur. Tria ergo ista unum sunt natura scilicet non persona. Nec tamen istae personae tres separabiles aestimandae sunt, cum nulla ante aliam nulla post aliam, nulla sine alia, vel extitisse vel quippiam operasse creditur. Inseparabiles enim inveniuntur et in eo quod sunt, et in eo quod faciunt. Quia inter generantem patrem et generatum filium, vel procedentem spiritum sanctum, nullum fuisse credimus temporis intervallum, quo aut genitor genitum aliquando procederet, aut genitus genitori deesset aut procedens spiritus patri vel filio posterior appareret. Ob hoc ergo inseparabilis et inconfusa haec trinitas a nobis et creditur et prędicatur. Tres igitur personae istae dicuntur iuxta quod maiores definiunt, ut agnoscantur. Nam si attendamus quod scriptura sancta dixit de sapientia, Splendor est lucis aeternae, sicut splendorem lucis videmus inseparabiliter inhaerere, sic confitemur filium a patre separari non posse. Tres ergo illas unius atque inseparabilis naturę personas sicut non confundimus, ita separabiles nullatenus praedicamus. Quando quidem hoc nobis dignata est, ipsa trinitas evidenter ostendere, ut etiam in omnibus quibus voluit singillatim personis agnosci unam sine alteram non permittat intellegi. Nec

enim pater absque filio cognoscitur nec sine patre filius invenitur. Relatio quippe ipsa vocabuli personalis, personas separari vetat, quae etiam non simul nominat, simul insinuat. Nemo audire potest unumquodque istorum nominum in quo non intellegere cogatur et alterum. Cum igitur haec tria sint unum, et in unum tria, est tamen unicuique personae manens sua proprietas. Pater enim aeternitatem habet sine nativitate, filius aeternitatem cum nativitate, spiritus vero sanctus processionem sine nativitate.

De his tribus personis solam filii personam pro liberatione humani generis, hominem verum sine peccato, de sancta et immaculata Maria virgine credimus assumpsisse, de qua novo ordine novaque nativitate est genitus qua invisibilis divinitate visibilis monstraretur in carne. Nova autem nativitate est genitus quia intacta virginitas et virilem coitum nescivit, et fecundata per spiritum sanctum carnis materiam ministravit. Qui partus virginis nec ratione colligitur, nec exemplo, erit enim singulare. Nec tamen spiritus sanctus pater esse credendus est filii pro eo quod Maria, eodem sancto spiritu obumbrante concoepit, ne duos patres filii videantur adserere, quod utique nefas est dici. In quo mirabili conceptu aedificans sibi sapientia domum, verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Nec tamen verbum ipsum ita in carnem conversum atque mutatum est, ut desisteret deus esse, qui homo esse voluisset. Ut non tantum ibi

sit verbum dei, et hominis omnia, atque hoc tantum et deus dicatur propter deum, et homo propter hominem. In quo dei filio duas credim esse naturas, unam divinitatis, alteram humanitatis. Quos ita in se una Christi persona univit, ut nec divinitas ab humanitate nec humanitas a divinitate possit aliquando seiungi. Unde perfectus deus perfectus et homo in unitate personae. Nec tamen quia duas diximus in filio esse naturas, duas profitemur in eo esse personas, ne trinitati quod absit, accidere videatur quaternitas. Deus enim verbum non accepit personam hominis sed naturam, et in aeternum persona divinitatis temporalem accepit substantiam carnis. Item unius substantiae credimus esse deum patrem et filium et spiritum sanctum. Non tamen dicimus ut huius trinitatis unitatem Maria virgo genuerit, sed tantummodo filium, qui solus naturam nostram in unitate personae suae assumpsit. Incarnationem quoque huius filii dei tota trinitas operata esse credenda est, quia inseparabilia sunt opera trinitatis. Solus tamen filius formam servi accepit in singularitate personae non in unitate divinae naturae in id quod est proprium filii, non quod commune trinitati. Quae forma illi ad unitatem personae coaptata est, ut filius dei et filius hominis unus sit Christus. Item idem Christus, in his duabus naturis, tribus extat substantiis. Verbi quod ad solius dei essentiam referendum est, corporis et animę quod ad verum hominem pertinet. Habet igitur in se geminam substantiam, divinitatis suae, et humanitatis nostrae,

hic tamen per hoc quod de deo patre sine initio prodiit natus tantum. Nam neque factus neque predestinatus accipitur. Per hoc tamen quod de Maria virgine factus est, et natus et factus et praedestinatus esse credendus est. Ambae tamen illę generationes mirabiles quia et de patre ante saecula sine matre est genitus, et in fine saeculorum, de matre sine patre est generatus. Qui tamen secundum quod homo creatus est Mariae matris est filius. Item per hoc quod deus est aequalis patris, per hoc quod homo minor est patre. Item et maior et minor se ipso esse credendus est. In forma enim dei etiam ipse filius se ipso maior est. Propter humanitatem adsumptam. Quia divinitas maior est. In forma autem servi se ipso minor est, id est humanitate, quae minor divinitate accipitur. Nam sicut per adsumptam carnem tantum a patre sed se ipso minor accipitur, ita secundum divinitatem quae aequalis est patri, et ipse et pater maior est homine, quem sola filii persona assumpsit. Item in eo quod quaeritur utrum possit filius sic aequalis et minor esse spiritui sancto, sicut nunc aequalis est nunc minor patre creditur esse. Respondemus secundum formam dei aequalis est et patri et spiritui sancto. Secundum formam servi minor est et a patre et ab spiritu sancto, quia nec spiritus sanctus nec deus pater. Sed sola filii persona suscepit carnem, per quam minor esse creditur illis duabus personis. Item hic filius a deo patre et sancto spiritu inseparabiliter discretus creditur esse persona, ab homine autem adsumpto natura,

item cum homine unus exstat persona, cum patre vero et spiritu sancto natura divinitatis suae, filius tamen non solum a patre sed ab spiritu sancto, missus esse credendus est, in eo quod per prophetam dicitur, Et nunc dominus misit me et spiritus eius. A se ipso quoque missus accipitur, pro eo quod inseparabilis non solum voluntatis, sed operatio totius trinitatis agnoscitur. Hinc enim qui ante saecula unigenitus est vocatus, temporaliter primogenitus, propter adsumptae carnis, in qua suscepit hominis formam iuxta evangelicam veritatem. Sine peccato mortuus creditur, qui solus pro nobis passionem ipsam tamen salva divinitate sua pro delictis nostris sustinuit, mortique adiudicatus, et cruci, veram carnis mortem excepit. Tertio quoque die virtute propria suscitatus, a sepulcro surrexit. Hoc ergo exemplo capitis nostri confitemur vera fide resurrectionem carnis omnium mortuorum. Nec in aere vel qualibet alia carne, ut quidam delirantes surrecturos nos credunt sed in ista qua vivimus consistimus et movemur. Peracto huius sanctae resurrectionis exemplo, dum dominus noster atque salvator paternam ascendendo sedem repetiit, de qua numquam per divinitatem discessit. Illic ad dexteram patris sedens, expectatur in fine saeculorum, iudex omnium vivorum et mortuorum. Inde cum sanctis omnibus veniet ad ferendum iudicium, reddere unicuique mercedis propriae debitum, prout quisque gesserit in corpore positus sive bonum sive malum. Ecclesiam sane catholicam praetio

sui sanguinis comparatam, cum eo credimus in perpetuum regnaturam. Intra cuius gremium constituti, unum baptisma credimus et confitemur remissionem omnium peccatorum. Sub qua fide et resurrectionem mortuorum veraciter credimus et futuri saeculi gaudia et expectamus.

Hoc tantum orandum nobis est et petendum, ut cum peracto finitoque iudicio tradiderit filius regnum deo patri, participes nos efficiat regni sui, ut per hanc fidem qua illi inhaesimus cum illo sine fine regnemus.

Haec est confessionis nostrae fides exposita per quam omnium haereticorum dogma perimitur, per quam fidelium corda mundantur, per quam etiam ad deum gloriosae acceditur. Cuius sacrosancto sapore sub triduano ieiunio continua relationum collatione rorantes ad ea quae subnexa sunt, sequenti die decernanda transivimus.

Confessio Fidei Synodi Haethfeldi

Council of Heathfield

680

Agatho PP

Credimus consonanter et confitemur secundum sanctos Patres, proprie et veraciter Patrem et Filium et Spiritum sanctum Trinitatem in unitate consubstantialem, et unitatem in Trinitate, hoc est, unum Deum in tribus subsistentiis vel personis consubstantialibus, aequalis gloriae et honoris. Suscepimus sanctas et universales quinque synodos beatorum et Deo acceptabilium Patrum, id est, qui in Nicaea congregati fuerunt trecentorum decem et octo, contra Arium impiissimum et eiusdem dogmata, et in Constantinopoli centum quinquaginta, contra vesaniam Macedonii et Eudoxii et eorum dogmata, et in Epheso primo ducentorum, contra nequissimum Nestorium et eiusdem dogmata, et in Chalcedone sexcentorum et triginta, contra Eutychen et Nestorium, et eorum dogmata, et iterum in Constantinopoli, quinto congregati sunt concilio, in tempore Iustiniani minoris, contra Theodorum, et Theodoreti et Ibae epistolas et eorum dogmata contra Cyrillum. Et synodum quae facta est in urbe Roma, in tempore Martini papae beatissimi, indictione octava, imperante Constantino piissimo anno nono. Suscepimus et glorificamus Dominum nostrum Iesum, sicut

isti glorificaverunt, nihil addentes vel subtrahentes, et anathematizamus corde et ore quos anathematizarunt, et quos susceperunt, suscepimus, glorificantes Deum Patrem sine initio, et Filium eius unigenitum ex Patre generatum ante saecula, et Spiritum sanctum procedentem ex Patre et Filio inenarrabiliter, sicut praedicaverunt hi quos memoravimus supra, sancti apostoli, et prophetae, et doctores.

Professio Fidei Concilio Romano

Council of Rome

27 March 680

Agatho PP

Credentes in Deum Patrem omnipotentem, factorem caeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium, et in Filium eius unigenitum, qui ante omnia saecula ex eo natus est, verum Deum de Deo vero, lumen de lumine, natum, non factum, consubstantialem Patri id est, eiusdem cum Patre substantiae, per quem omnia facta sunt, quae in caelo et quae in terra, et in Spiritum sanctum, dominum et vivificatorem, ex Patre procedentem, cum Patre et Filio coadorandum et conglorificandum, Trinitatem in unitate, et unitatem in Trinitate, unitatem quidem essentiae, Trinitatem vero personarum sive subsistentiarum, Deum, Patrem confitentes, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum, non tres Deos, sed unum Deum. Patrem et Filium et Spiritum sanctum, non trium nominum subsistentiam, sed trium subsistentiarum unam substantiam, quorum una essentia sive substantia vel natura, id est, una deitas, una aeternitas, una potestas, unum imperium, una gloria, una adoratio, una essentialis eiusdem sanctae et inseparabilis Trinitatis voluntas et operatio, quae omnia condidit, dispensat et continet.

Confitemur autem unum eiusdem sanctae coessentialis Trinitatis Deum verbum, qui ante saecula de Patre natus est, in ultimis saeculorum temporibus pro nobis nostraque salute descendisse de caelis, et incarnatum de Spiritu sancto et sancta, immaculata, semperque virgine gloriosa Maria domina nostra, vere et proprie Dei genitrice, secundum carnem scilicet ex ea natum, et vere hominem factum, eundem Deum verum, eundemque hominem verum. Deum quidem ex Deo Patre, hominem autem ex virgine matre incarnatum ex ea carne animam habente rationalem et intellectualem, consubstantialem eundem Deo Patri secundum deitatem, consubstantialemque nobis eundem ipsum secundum humanitatem, et per omnia similem nobis absque solo peccato, crucifixum pro nobis sub Pontio Pilato, passum, sepultumque et resurgentem, ascendentem in caelos, sedentem ad dexteram Patris, iterumque venturum iudicare vivos et mortuos, cuius regni non erit finis.

Unum quippe eundemque Dominum nostrum Iesum Christum Filium Dei unigenitum, ex duabus et in duabus substantiis inconfuse, incommutabiliter, indivise, inseparabiliter subsistere cognoscimus, nusquam sublata differentia naturarum propter unitionem, sed potius salva proprietate utriusque naturae et in unam personam, unamque subsistentiam concurrente, non in dualitatem personarum

dispertitum vel diversum, neque in unam compositam naturam confusum, sed unum eundemque Filium unigenitum, Deum Verbum Dominum nostrum Iesum Christum, neque alium in alio, neque alium et alium, sed eundem ipsum in duabus naturis, id est, in deitate et humanitate, et post subsistentialem adunationem cognoscimus, quia neque verbum in carnis naturam conversum est, neque caro in verbi naturam transformata est, permansit enim utrumque, quod naturaliter erat, differentiam quippe adunatarum (unitarum) in eo naturarum sola contemplatione discernimus, ex quibus inconfuse, inseparabiliter et incommutabiliter est compositus, unus enim ex utrisque, et per unum utraque, quia simul sunt et altitudo deitatis, et humilitas carnis, servante utraque natura etiam post adunationem sine defectu proprietatem suam, et operante utraque forma cum alterius communione quod proprium habet, Verbo operante quod Verbi est, et carne exsequente quod carnis est, quorum unum corruscat miraculis, aliud succumbit iniuriis. Unde consequenter, sicut duas naturas sive substantias, id est, deitatem et humanitatem, inconfuse, indivise, incommutabiliter, eum habere veraciter confitemur, ita quoque et duas naturales voluntates et duas naturales operationes habere, ut pote perfectum Deum et perfectum hominem unum eundemque ipsum Dominum Iesum Christum pietatis nos regula instruit, quia hoc nos apostolica atque evangelica traditio, sanctorumque Patrum

magisterium, quos sancta apostolica atque catholica Ecclesia, et venerabiles synodi suscipiunt, instituisse monstratur. Ex quorum doctrinis haec recolligentes in brevitate perstrinximus. Hoc enim credimus quod per traditionem apostolicam accepimus, cuius auctoritatem in omnibus sequimur, a qua et institutos hoc ipsum nostrae humilitatis praedecessores cognovimus, quam et usque ad finem servari nobis sive per vitam, sive per mortem optamus.

Professio Fidei Petrus Episcopus Nicomediae

Third Council of Constantinople

680

Agatho PP

First Text

Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem caeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Iesum Christum Filium Dei unigenitum, qui ex Patre natus est ante omnia saecula, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, natum non factum, per quem omnia facta sunt. Et in Spiritum sanctum, Dominum et vivificatorem, ex Patre procedentem, cum Patre et Filio coadorandum et conglorificandum. Trinitatem consubstantialem, unam deitatem et essentiam, virtutemque et potestatem et dominationem, Deum unum, quem cum singulariter contemplatur, sensu dividente quae indivisa sunt, unitatem in Trinitate, Trinitatem in unitate adorandam, unitatem quidem secundum essentiae sive deitatis rationem, Trinitatem vero secundum subsistentias sive personas.

Confiteor quoque unum eiusdem sanctae et consubstantialis, et vivificae Trinitatis Dominum nostrum lesum Christum Filium Dei unigenitum, qui ex Patre natus ante omnia saecula, eundem in

ultimis diebus propter nos et propter nostram salutem descendisse de caelo, et incarnatum esse ex Spiritu sancto, et sancta gloriosa domina nostra Dei genitrice semperque virgine Maria, quam theotokon, id est Dei genitricem proprie, et veraciter confiteor, utpote quae ipsum Dei Filium et Verbum in novissimis temporibus sccundum carnem generavit, consubstantialem Deo et Patri secundum deitatem, et consubstantialem nobis eundem secundum humanitatem, per omnia similem nobis absque peccato, passibilem carne, impassibilem deitate, perfectum in deitate, et perfectum eundem in humanitate, Deum verum et hominem vere ex anima rationali et corpore, ex duabus naturis deitate et humanitate, et in duabus naturis perfectis, et post ineffabilem et inseparabilem unitionem inconfuse, inconvertibiliter, atque indivise cognoscendum, nusquam naturarum proprietate perempta propter subsistentialem unitionem, magis autem salvata proprietate utriusque naturae, et in unam personam, unamque subsistentiam concurrente, non in duabus personis partitum aut divisum, sed unum eundemque Filium unigenitum, Deum Verbum, Dominum Iesum Christum confiteor. Nec enim quartae personae sancta Trinitas augmentum suscepit, etiam incarnato uno ex ipsa Dei Verbo, sed in virginali utero inviolabilis Dei genitricis semperque virginis Mariae inhabitans incognoscibiliter, ex ea in propria substantia carnem sibi formavit animatam anima rationali et

intellectuali. Qua propter, et eiusdem duas nativitates confiteor, tam quae ante saecula ex Deo et Patre secundum deitatem, quamque illam quae ex eadem sancta Virgine et Dei genitrice Maria secundum carnem et recentem. Manens quippe quod erat, factus est inalterabiliter quod non erat, et ita unam eius subsistentiam compositam annuntio, neutra conversa, vel confusa propter unionem naturarum, neque rursus sectionem admittente hac incognoscibili unitione. Etenim unitio, quae secundum compositionem, atque secundum subsistentiam est, et confusionem, et divisionem excludit, et servat quidem utriusque naturae proprietatem, unam vero personam Dei Verbi etiam cum carne demonstrat. Unde et duas eiusdem Domini Iesu Christi naturales voluntates, et naturales operationes confiteor, secundum vigorem testimoniorum sanctorum ac probabilium patrum, quae posita sunt in suggestione missa ad piissimum, et a Deo confirmandum nostrum dominum, et magnum victorem imperatorem, ab Agathone sanctissimo ac beatissimo papa antiquae Romae, et simpliciter in omnibus consentio, et permaneo in cunctis capitulis, quae continentur tam in praedicta suggestione eiusdem sanctissimi viri, quamque in altera suggestione Concilii, quod circa eum est. Insuper confiteor eundem Dominum nostrum Iesum Christum verum Deum, unum consubstantialis, et vivificae Trinitatis crucifixum sponte pro nobis sub Pontio Pilato, passum et sepultum,

et resurrexisse tertia die secundum scripturas, et in caelos ascendisse, sedere ad dexteram Patris, et iterum venturum cum gloria iudicare viuos et mortuos, cuius regni non erit finis, spero resurrectionem mortuorum, et vitam futuri saeculi. Amen.

Suscipio autem et amplector sancta et universalia quinque Concilia, id est, quod in Nicaea trecentorum decem et octo sanctorum ac beatorum patrum, et quod in hac a Deo conservanda regia urbe centum quinquaginta sanctorum, et Deo servientium patrum, et quod in Epheso prius ducentorum sanctorum patrum, et quod in Calchedone sexcentorum triginta sanctorum partum, et quod in temporibus Iustiniani piae recordationis iterum convenit in hanc a Deo conservandam regiam urbem sanctum quintum Concilium. In omnibus autem conservo et amplector quae ab eisdem sanctis quinque Conciliis definita, atque statuta sunt, et quos susceperunt suscipio, quosque damnaverunt atque anathematizarunt, et abiicio et anathematizo. Cum his abiicio, et anathematizo etiam omnes, qui unam voluntatem et unam operationem praedicaverunt aut praedicant, vel praedicaturi sunt in incarnationis dispensatione unius Sancti Trinitatis Domini nostri Iesu Christi veri Dei nostri. Hanc igitur piae et rectae Christianorum fidei satisfactionem composui, scriptam per alium, mense Martio, indictione octava.

Subscriptio Petrus indignus episcopus Nicomediae metropoleos provinciae Bithyniae, consentiens et permanens in omnibus, quae continentur in praesenti satisfactionis libello, et confessus, ut superius continetur, quemadmodum duas naturas, ita et duas naturales voluntates, et duas naturales operationes in incarnationis dispensatione unius de sancta Trinitate Domini nostri Iesu Christi veri Dei, et anathematizans omnes, qui dicunt unam voluntatem et unam operationem in deitate eius et humanitate, manu propria subscripsi, mense Martio, indictione nona. Et ceteri cum ipso similiter obtulerunt.

Second Text

Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem caeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum dominum Iesum Christum, Filium Dei unigenitum, qui ex Patre natus est ante omnia saecula, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, natum non factum, per quem omnia facta sunt. Et in Spiritum sanctum, Dominum et vivificatorem, ex Patre procedentem, cum Patre et Filio coadorandum et conglorificandum, Trinitatem consubstantialem, unam deitatem, essentiam, virtutemque et potestatem, dominationem, Deum unum, quem cum singulariter contemplatur, sensu dividente quae indivisa sunt, unitatem in trinitate, trinitatem in unitate adorandam, unitatem quidem secundum essentiae sive

deitatis rationem, trinitatem vero secundum subsistentias sive personas.

Confiteor quoque unum eiusdem sanctae, et consubstantialis, et vivificae Trinitatis Dominum nostrum Iesum Christum Filium Dei unigenitum, qui ex Patre natus ante omnia saecula, eundem in ultimis diebus propter nos et propter nostrum salute descendisse de caelo, et incarnatum esse ex spiritu sancto, et sancta gloriosa domina nostra Dei genitrice semperque virgine Maria, quam theotokon, id est, Dei genitricem proprie, et veraciter confiteor, utpote quae ipsum Dei Filium, et Verbum in novissimis temporibus secundum carnem generavit, consubstantialem Deo et Patri secundum deitatem, et consubstantialem nobis eundem secundum humanitatem, per omnia simile nobis absque peccato, passibilem carne, impassibilem deitate, perfectum in deitate, et perfectum eundem in humanitate, Deum verum, et hominem vere ex anima rationali, et corpore, ex duabus naturis deitate et humanitate, et in duabus naturis perfectis, et post ineffabilem et inseparabilem unitionem inconfuse, inconvertibiliter, atque indivise cognoscendum, nusquam naturarum proprietate perempta propter subsistentialem unitionem, magis autem salvata proprietate utriusque naturae, et in unam personam, unamque subsistentiam concurrente, non in duabus personis partitum, aut divisum, sed

unum eundemque Filium unigenitum, Deum Verbum, Dominum Iesum Christum confiteor. Nec enim quartae personae sancta Trinitas augmentum suscepit, etiam incarnate uno ex ipsa Dei Verbo, sed in virginali utero inviolabilis Dei genitricis semperque virginis Mariae inhabitans incognoscibiliter, ex ea in propria substantia carnem sibi formavit animatam anima rationali, et intellectuali. Quapropter, et eiusdem duas nativitates confiteor, tam quae ante saecula ex Deo et Patre secundum deitatem, quamque illam quae ex eadem sancta Virgine, et Dei genitrice Maria secundum carnem, et recentem. Manens quippe quod erat, factus est inalterabiliter quod non erat, et ita unam eius subsistentiam compositam annuntio, neutra conversa, vel confusa propter unionem naturarum, neque rursus sectionem admittente hac incognoscibili unitione. Etenim unitio, quae secundum compositionem, atque secundum subsistentiam est, et confusionem, et divisionem excludit, et servat quidem utriusque naturae proprietatem, unam vero personam Dei Verbi etiam cum carne demonstrat. Unde et duas eiusdem Domini Iesu Christi naturales voluntates, et naturales operationes confiteor, secundum vigorem testimoniorum sanctorum ac probabilium partum, quae posita sunt in suggestione missa ad piissimum, et a Deo confirmandum nostrum dominum, et magnum victorem imperatorem, ab Agathone sanctissimo ac beatissimo papa antiquae

Romae, et simpliciter in omnibus consentio, et permaneo in cunctis capitulis, quae continentur tam in praedicta suggestione eiusdem sanctissimi viri, quamque in altera suggestione Concilii, quod circa eum est. Insuper confiteor eundem Dominum nostrum Iesum Christum verum Deum, unum consubstantialis, et vivificae Trinitatis crucifixum sponte pro nobis sub Pontio Pilato, passum, et sepultum, et resurrexisse tertia die secundum scripturas, et in caelos ascendisse, sedere ad dexteram Patris, et iterum venturum cum Gloria iudicare vivos, et mortuos, cuius regni non erit finis, spero resurrectionem mortuorum, et vitam futuri saeculi. Amen.

Suscipio autem, et amplector sancta et universalia quinque concilia, id est, quod in Nicaea trecentorum decem et octo sanctorum ac beatorum patrum, et quod in hac a Deo conservanda regia urbe centum quinquaginta sanctorum, et Deo servientium patrum, et quod in Epheso prius ducentorum sanctorum patrum, et quod in Calchedone sexcentorum triginta sanctorum patrum, et quod in temporibus Iustiniani piae recordationis iterum convenit in hanc a Deo conservandam regiam urbem sanctum quintum concilium. In omnibus autem conservo, et amplector quae ab eisdem sanctis quinque conciliis definita, atque statuta sunt, et quos susceperunt suscipio, quosque damnaverunt, atque anathematizarunt, et abiicio et anathematizo. Cum his abiicio, et anathematizo etiam omnes, qui

unam voluntatem, et unam operationem praedicaverunt, aut praedicant, vel praedicaturi sunt in incarnationis dispensatione unius Sancti Trinitatis Domini nostri Iesu Christi veri Dei nostri. Hanc igitur piae, et rectae Christianorum fidei satisfactionem composui, scriptam per alium, mense Martio, indictione octava.

Subscriptio Petrus indignus episcopus Nicomediae metropoleos provinciae Bithyniae, consentiens, et permanens in omnibus, quae continentur in praesenti satisfactionis libello, et confessus, ut superius continetur, quemadmodum duas naturas, ita et duas naturales voluntates, et duas naturales operationes in incarnationis dispensationie unius de sancta Trinitate Domini nostri Iesu Christi veri Dei, et anathematizans omnes, qui dicunt unam voluntatem, et unam operationem in deitate eius, et humanitate, manu propria subscripsi, mense Martio, indictione nona.

Professio Fidei Synodi Mediolanensis

Council of Milan

680

Agatho PP

Profitemur nos credere indivisibilem sanctam Trinitatem, hoc est, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, unum Deum, ita unum ut trinum et ita trinum ut unum, Trinitatem in distinctis atque discretis personis, hoc est, Patrem ex quo omnia, Filium per quem omnia, Spiritum Sanctum in quo omnia, unius tamen divinitatis, unius essentiae uniusque substantiae, in tribus quidem subsistentiis seu personis, ut Pater Pater sit, Filius Filius sit, Spiritus sanctus Spiritus sanctus sit, in una natura unaque substantia, ut Deus unus et solus et summus credatur, non tres introducentes, ut Arius blasphemat, qui tres deos praedicavit, excellentiorem, minorem et inferiorem. Nos vero sanctam Trinitatem in unitate et unitatem in sancta Trinitate confitemur. Nam cum dicimus omnipotentem Patrem, appellatio huius paterni nominis ad Filii personam intenditur, et cum dicimus aeternum Filium, ad aeterni Patris personam refertur, et cum nominamus Spiritum Sanctum, ab aeterni Patris persona eum procedere monstramus.

Cum autem dicimus Deum Patrem omnipotentem, non potest huius nominis evacuari sacramentum. Quia cum dicimus Patrem, Filium demonstramus, et cum dicimus Filium, Patrem declaramus, et cum dicimus aeternum Patrem, aeternum Filium demonstramus. Nam si non invenimus initium vocabuli huius paterni nominis, quando pater sit dictus, consequenter ostenditur, quia nec initium geniti reperimus. Obsecramus, ut detur nobis ratio, quando pater hoc vocabulum, ut pater vocitaretur, sortitus est, si in tempore, si extra tempus, dicat nobis aliquis, quando primitus coeperit appellari, et si potuerit hoc approbare, nulla erit dubietas, ex illo initio paterni nominis filium initium accepisse, quo pater nominatus est. Et si defecerit, imo quia deficit, nec poterit approbare nec dare initium paterni nominis, quando pater esse coeperit. Profiteatur ergo nobiscum sanctam Trinitatem coessentialem atque consubstantialem, nec Patrem ante Filium, nec Filium post Patrem, nec Spiritum sanctum inferiorem fuisse, quia, dum initium paterni nominis non invenitur, nescimus, qua ratione filio initium adscribatur. Quia, cum dicimus sempiternum Deum Patrem, sempiternum Deum Filium ostendimus. Ideo sanctam Trinitatem in una natura unaque essentia atque substantia et tribus subsistentiis sive personis profitemur.

Credimus autem ipsum dei verbum, hoc est, filium patris sine initio genitum, eundem unum ex tribus subsistentiis de sancta trinitate aeternum filium, pro dispensatione facta pro nobis et nostra salute descendisse de caelis, incarnatum verbum dei et hominem factum intra virginis uterum. Uniens sibi nostrae naturae veritatem ex sancta et gloriosa Dei genitrice Maria virgine, perfectus Deus et perfectus homo, in duabus naturis, divinitatis scilicet atque humanitatis, consubstantialis Deo Patri secundum divinitatem et consubstantialis idem ipse nobis secundum humanitatem non in duobus Filiis divisus, sed unus et idem dei et hominis filius, in veritate duarum naturarum, in una subsistentia sive persona, divinitatis videlicet et humanitatis unitione facta, ut ex duabus perfectis naturis non duo Filii, sed unus idem dei et hominis Filius, permanens quod erat, coepit esse quod non erat, dum sine initio aeterni Patris Filius factus est hominis Filius. Ideo et unus est Dominus noster Iesus Christus, habens in semetipso perfectionem divinae naturae et perfectionem humanae naturae, et est unigenitus quidem ex verbo, utpote ex deo patre natus et primogenitus in multis fratribus, filius enim dei filius hominis factus est. Unde et duas nativitates eiusmodi ipsius unigeniti dei verbi confitemur, ante saecula quidem ex patre incomparabiliter natum, in ultimis autem diebus eiusdem ipsius incarnationem de sancta gloriosa dei genitrice et semper virgine Maria, qui de patre splenduit supra intellectum,

de matre ortus est supra rationem, et cum deus vere esset, factus vere homo. Ideo proprie et vere dei genitricem sanctam et gloriosam et semper virginem Mariam confitemur, non quia Deus Verbum initium ex ipsa accepit, sed quod in ultimis diebus unigenitus deus verbum, qui ante saecula erat, incarnatus ex ipsa immutabiliter homo factus est, et cum invisibilis in suis esset, visibilis factus est in nostris, et cum impassibilis deus esset, non dedignatus est passibilis homo esse et immortalis mortis legibus sub iacere. Ipsum autem deum et dominum, qui in Bethlehem secundum camera natus est et similis factus est hominibus absque peccato et crucifixus est pro hominibus sub Pontio Pilato, ipsum confitemur deum, ipsum hominem, ipsum filium dei, ipsum filium hominis, ipsum de caelo, ipsum de terra, ipsum impassibilem, ipsum passibilem. Deum enim verum, qui natus est ex Deo Patre ineffabiliter, inenarrabiliter, incomprehensibiliter, ipse in tempore natus est de sancta virgine Maria, idem ipse Dominus noster Iesus Christus, unus in sancta Trinitate, conglorificatus Patri et Sancto Spiritui. Nec enim quartam personae adiectionem suscepit sancta Trinitas, duas autem naturas in una subsistentia divinitatis et humanitatis inconfuse, incommutabiliter dominum nostrum Iesum Christum habere veraciter confitemur. Ita quoque et duas naturales voluntates et duas naturales operations habere, utpote perfectum deum et perfectum hominem, unum eundemque ipsum dominum

nostrum Iesum Christum pietatis nos regula perstruit, ipsum natum, ipsum passum, ipsum crucifixum, ipsum sepultum, eundem ipsum resurgentem et in caelos ascendentem, ad dexteram patris sedentem et ad vivos et mortuos iudicandos venturum, cuius regni non erit finis.

Professio Fidei Concilio Toletani XVI

Sixteenth Council of Toledo

2 May 693

Sergius PP I

Credimus et confitemur omnium creaturarum, quae trinis rerum machinis continentur, auctricem atque conservatricem individuam Trinitatem, id est, Patrem, qui est totius fons et origo divinitatis, Filium, qui est plena imago Dei propter expressam in se paternae claritudinis unionem, ante omnium saeculorum eventum ex Patris intimo ineffabiliter genitus, Spiritum vero sanctum ex Patre Filioque absque aliquo initio procedentem. Qui tres, quanquam secernantur personarum distinctione, nunquam tamen separantur potentiae maiestate, inseparabilis nempe aequalitatis eorum insinnatur divinitas, et tamen quamvis Pater genuerit Filium, nec ideo Filius sit idem qui Pater, neque Pater sit ipse qui Filius, sed nec Spiritus sanctus Pater sit Filiusque, sed tantum Patris Filiique Spiritus eidem Patri et Filio etiam ipse coaequalis. Nequaquam in hac sancta Trinitate quidquam creatum, servum famulumque convenit credi, nec adventitium vel subintroductum tanquam ei aliquando acciderit, quod constet eam aliquando minime habuisse, condecet autumari. Unde catholice confitemur Patrem Deum esse omnipotentem, Filium similiter Deum omnipotentem, necnon et Spiritum sanctum

Deum omnipotentem, non tamen tres Deos credimus aut tres omnipotentes, sed unum tantum Deum sumus inconcussa fidei veritate credentes, unius naturae, unius essentiae, unius omnipotentiae, unius maiestatis, uniusque virtutis. Quarum tamen personarum, quamvis in hoc quod ad se sunt nulla possit separabilitas inveniri, in hoc vero quod ad distinctionem attinet sunt quaedam quae specialius unicuique possint pertinere personae, scilicet, quod Pater a nullo originem sumpsit, Filius Patre generante existit, Spiritus quoque sanctus ex Patris Filiique unione procedit. Sed nunquid quia Filius ex Patris est omnipotentia generatus, aut Spiritus sanctus ex Patre Filioque procedens, putandus est aliquando Pater fuisse sine Filio aut genitor genitusque sine sancti Spiritus exstitisse substantia? Absit. Sed sicut Pater sine initio creditur, ita Filius veneratur, ita etiam sanctus Spiritus veridice profitetur, nec tamen sicut Pater creditur a quolibet nequaquam existendi originem ducere, ita Filius aut Spiritus sanctus autumandi sunt ex semetipsis existere, sed Filius Deus de Patre Deo, non Deus Pater a Filio Deo, nec Pater aut Filius a Spiritu sancto absque noxa sumpsisse putabuntur originem, cum ipse a Patre et Filio sine cuiusquam infidelitatis naevo credatur sine initio processisse. Et ideo in huius sanctae Trinitatis sacramento nihil anterius posteriusve credendum est, quia nunquam fuit tempus quando Pater sine Filio aut Spiritu sancto subsisteret, neque Filius sine sancto Spiritu cum Patre

aliquando regnaret. Et ista dicentes non personarum confundimus proprietates, nec unionem substantiae separamus, nihil in eadem sancta Trinitate maius aut minus credere oportet, nihil etiam imperfectum atque mutabile. Nam perfectus Pater, perfectus Filius, perfectusque Spiritus sanctus, immutabilis Pater, immutabilis Filius, immutabilis Spiritus sanctus, nam de immutabili et perfecto Patre mutabilem imperfectumque Filium nec decuit nasci nec convenit credere. Idcirco sunt quaedam quae in hac sancta Trinitate indiscrete oporteat confiteri. In hoc etenim quod ad se sunt Pater et Filius et Spiritus sanctus, indiscrete unus Deus credendus est Pater cum Filio et Spiritu sancto. Quod vero ad relativum attinet, discrete personarum trium est praedicanda proprietas, evangelista praedicante, Ite, docete omnes gentes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Relativum etenim dicitur quod una ad aliam persona referatur, nam quando dicitur Pater, Filii nihilominus persona signatur, et cum dicitur Filius, Pater ei sine dubio inesse monstratur. At nunc quoniam Spiritus sancti vocabulum, quo non tota Trinitas significatur, sed tertia quae est in Trinitate persona, quomodo secundum relativum ad Patris Filiique referatur personam, nequaquam apertissime pateat pro eo scilicet, quia sicut dicimus Spiritum sanctum Patris, non consequenter dicimus Patrem Spiritus sancti, ne Filius Spiritus sanctus intelligatur, in aliis tamen vocabulis, quibus eiusdem sancti Spiritus signatur persona, ad relativum

pertinere dignoscitur. Igitur donum specialiter Spiritum sanctum accipimus, quae in sancta praenoscitur Trinitate tertia esse persona, pro eo quod a Patre Filioque cum quibus unius essentiae per omnia creditur fidelibus condonetur, quapropter cum dicitur donum donatoris, et donator doni, relativum haud dubie declaratur, quod etiam de ipso vocabulo Spiritus sancti inculpabiliter est credendum. Denique quia sanctae Trinitatis, etsi non ut debuit, tamen quantum ipse donavit hucusque mysterium confitendo digessimus, exinde quae de ipsa Trinitate persona susceperit carnem, pie et orthodoxe subsequiva serie pandimus. Unde licet inseparabilia sint opera Trinitatis, tamen fideliter profitemur non tantum fide cordis, sed et oris professione, quod non tota unitas susceperit carnem, sed solus Filius Dei, qui est ante saecula ex Dei Patris substantia genitus, in fine saeculorum de virgine Maria Evangelio est teste enixus, qui ait, Verbum caro factum est et habitavit in nobis. Nam Gabriel archangelus ad Mariam virginem caelitus missus ait, Ave, gratia plena, Dominus tecum, beata tu inter mulieres. Ecce in utero concipies et paries Filium et vocabis nomen eius Emmanuel. Cui cum Maria, ut sanctus ait Ambrosius, non fidem renuens, non officium recusans, sed potius accommodans affectum, spondens obsequium, neque de effectu dubitans, sed qualitatem ipsius quaerens effectus, dixisset, Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognovi? Ab angelo illi responsum est, Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus

Altissimi obumbravit tibi. Propterea quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei. Cuius nempe angeli oraculum, dum Spiritum sanctum superventurum in ea dicit, et virtutem Altissimi, qui est Dei Patris Filius, obumbraturum eam praemonuit, eiusdem Filii carni totam Trinitatem cooperatricem esse monstravit. Quae scilicet Virgo sicut ante conceptionem obtinuit virginitatis pudorem, ita post partum nullam sensit integritatis corruptionem, nam virgo concepit, virgo peperit, et post partum incorruptelae pudorem sine interceptione obtinuit. Cuius videlicet conceptionis, aut partus mysterium, quia secundum prophetale vaticinium novum creatum est super terram ut femina illa singulariter absque virili coitu circumdaret virum, nulla potest ratione comprehendi, nullius oris affectu valet enuntiari. Ob hoc etenim Ioannes Baptista cernue profitetur, Ecce post me venturus est, qui ante me factus est, cuius non sum dignus ut solvam corrigiam calceamenti. Ac si diceret, Corrigiam calceamenti divinitatis calciatae, quae est ligatura mysterii, nequeo solvere, quia quomodo in virginali utero corporatum est Verbum, quomodo etiam idem Verbum caro factum animatum existat, nequaquam investigare sufficio. Pro qua re praecellentissimus fatus est Augustinus, Hic si ratio quaeritur, non est mirabile, si exemplum poscitur, non erit singulare. Ipse vero Dei Filius ab ingenito Patre genitus, a vero verus, a perfecto perfectus, ab uno unus, a toto totus, Deus sine initio perfectum hominem de

sancta et inviolata Maria semper virgine assumpsisse est manifestus. Cui etiam sicut hominis perfectionem ascribimus, ita duas ei voluntates inesse, unam divinitatis suae, aliam humanitatis nostrae nihilominus credimus, quod etiam per quatuor evangelistarum oracula eiusdem Redemptoris nostri affatu evidentissime declaratur, sic enim fatus est dicens, Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste, verumtamem non sicut ego volo sed sicut tu vis, et iterum, Non veni voluntatem meam facere, sed voluntatem eius qui misit me, et reliqua quae si de omnibus sanctarum Scripturarum Codicibus maluerimus colligere, enormis voluminis telam nostri oris videbimur compaginare textrino. Quibus etiam allocutionibus demonstrat suam voluntatem ad hominem retulisse assumptum, Patris ad divinitatem in qua est idem unus et aequalis cum Patre, quippe quantum ad divinitatis attinet unitatem, non est alia voluntas Patris, alia Filii, una enim est voluntas ubi una persistit divinitas. Quantum autem ad hominis naturam assumpti alia est voluntas deitatis suae, alia etiam humanitatis nostrae. Proinde in hoc quod ait, Non sicut ego volo, sed sicut tu, patule ostendit non velle id fieri quod voluntate humani loquebatur affectus, sed propter quod ad terras paterna voluntate descenderat, cuius tamen Patris voluntas nequaquam contraria Filii voluntati existit, quia quibus est divinitas una non potest esse voluntas diversa, et ubi in natura nihil potest diversitatis accidere, ibi

nihilominus enumerantur generaliter aliqua numerosa. Igitur huius voluntatis sanctae vocabulum, quamvis per comparativam similitudinem Trinitatis, qua dicitur memoria, intelligentia et voluntas ad personam sancti referatur Spiritus, secundum hoc autem, quod ad se dicitur, substantialiter praedicatur. Nam voluntas Pater, voluntas Filius, voluntas Spiritus sanctus, quemadmodum Deus est Pater, Deus est Filius, Deus est Spiritus sanctus, et multa alia similia quae secundum substantiam dici ab his qui catholicae fidei veridici cultores existunt, nulla ratione ambigitur. Et sicut est catholicum dici Deum de Deo, lumen de lumine, lucem de luce, ita verae fidei est proba assertio voluntatem dici de voluntate, sicut sapientiam de sapientia, essentiam de essentia, et veluti Deus Pater genuit Filium Deum, ita voluntas Pater genuit Filium voluntatem. Itaque quanquam secundum essentiam Pater voluntas, Filius voluntas, Spiritus sanctus voluntas, non tamen secundum relativum unus esse credendus est, quoniam alius est Pater qui refertur ad Filium, alius Filius qui refertur ad Patrem, alius Spiritus sanctus qui pro eo quod de Patre Filioque procedit ad Patrem Filiumque refertur, non aliud sed alius, quia quibus est unum esse in deitatis natura his est in personarum distinctione specialis proprietas. Quocirca idem Dei Filius, qui dum esset dives semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in impassibilitate deitatis consistente natura, spontanee in hominis suscepti est passus substantia, ac pro

nobis primae mortis sustinuit dura exitia, et qui nullius peccati noxae obnoxius mansit, pro nostris peccatis crucis patibulum sponte moriturus ascendit, quique carnis et sanguinis nullum contagium habuit, in carne sua flagra pro nobis, colaphos, sputamenta coronamque spineam sustulit, et effusione sui cruoris totum mundum a paedoribus abluit, ac ne potestatem mors secunda in Dei haberet electis, eam usquequaque impassibilis divinitatis suae iaculo perculit ac peremit, dicente propheta, O mors, ero mors tua, tartara penetravit in anima, et sanctorum animas, quas illic hostis vinctas tenebat, morsu potentiae suae exemit, ut prophetale vaticinium inquit, O inferne, ero morsus tuus, qui etiam tertii diei diluculo eiusdem carnis qua occubuerat veritate resumpta, discipulorum obtutibus claruit, eorumque corda nimio pavore concussa praesentiae suae exhibitione solavit pro solatus est, et coram angelorum credentiumque frequentia sedem patriam repetivit, in qua nunc, sicut in veritate surrexit a mortuis, ad eius dexteram sedens, sic exinde in finem saeculi venturus est, iudiciariae potestatis diremptione a peccatoribus iustos secernere, sanctis restituens pro bene gestis coronam, iniquis vero infinitae damnationis ignivomam poenam, exemplum nobis sua resurrectione impendens, sicut ille vivificans nos post duos dies die tertio vivus resurrexit a mortuis, sic nos etiam in huius saeculi fine resurrecturos usquequaque credamus, non in aerea vel in

phantasticae visionis umbra, ut quorumdam improbanda opinio praestruit, sed in veridicae carnis substantia in qua nunc sumus et vivimus, ac tempore iudicii coram Christo et sanctis angelis eius astantes unusquisque referet corporis sui propria, prout gessit, sive bonum, sive malum, recepturus ab eo aut pro propriis actibus interminabilis beatitudinis regnum, aut pro suis sceleribus perpetuae damnationis interitum. Huius etenim fidei Ecclesia sancta catholica baptismatis aqua abluta, Christi sanguine pretioso redempta, quae neque in fide habet rugam, neque maculosi perfert operis notam, insignibus pollet, virtutibus cluit, sanctique Spiritus donis referta coruscat, quae etiam cum Iesu Christo Domino nostro capite suo, cuius corpus esse nequaquam ambigitur, est perenniter regnatura, atque omnes qui nunc in ea minime consistunt sive constiterint, aut ab ea recesserunt sive recesserint, aut peccata in ea relaxari diffidentiae malo negaverint, nisi poenitudinis ope ad eam redierint et quaeque Nicaena synodus servanda decrevit, Constantinopolitanus conventus venerari instituit, Ephesini primi concilii amplecti auctoritas sanxit, atque Chalcedone sanctorum unanimitas vel reliquorum conciliorum, sive etiam omnium venerabilium Patrum in fide sana recte viventium edicta custodiri praecipiunt, absque aliquo dubietatis naevo non crediderint, perpetuae damnationis sententia ulciscentur atque in fine saeculi cum diabolo eiusque sociis ignivomis rogis cremabuntur.

Professio Fidei ex Antiphonarium Benchorense

…

circa 700

…

Credo in Deum Patrem omnipotentem, invisibilem, omnium creaturarum visibilium et invisibilium conditorem. Credo et in Iesum Christum, Filium eius unicum, Dominum nostrum, Deum omnipotentem, conceptum de Spiritu Sancto, natum de Maria Virgine, passum sub Pontio Pilato, qui crucifixus et sepultus, descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis, ascendit in caelis, seditque ad dexteram Dei Patris omnipotentis, ex in de venturus iudicare vivos ac mortuos. Credo et in Spiritum Sanctum, Deum omnipotentem, unam habentem substantiam cum Patre et Filio. Sanctam esse ecclesiam catholicam, ab remissam peccatorum, sanctorum communionem, carnis resurrectionem. Credo vitam post mortem, et vitam aeternam in gloria Christi. Haec omnia credo in Deum. Amen.

Exemplar Literarum ad Summos Sacerdotes et Episcopos Antiochiae et Alexandriae et Sanctae Urbis a Tarasio Sanctissimo Patriarcha Constantinopoleos Missarum

Tarasios, Patriarch of Constantinople

787

Hadrianus PP I

First Text

Credo in unum Deum patrem omnipotentem, et in unum Dominum Iesum Christum Filium Dei et Deum nostrum, genitum ex patre extra tempora et ante saecula, et in Spiritum sanctum Dominum vivificantem, qui ex patre per filium processit, et ipsum esse definimus Trinitatem consubstantialem, eiusdem venerationis et honoris et sedis, sempiternam, increatam, omnium opificem, unum principium, unam deitatem et dominatum, unum imperium, potentiam, facultatem et auctoritatem, in tribus subsistentiis indivisim discretam, et distinctim unitam, non ex imperfectis tribus unum existens, quemadmodum magnus ille Dionysius inquit, Secundum quidem singularitatem personarum, tria adoranda, iuxta vero communitatem naturae, unus Deus, omnium visibilium et invisibilium factor et praedestinator. Confiteor et propter nostram salutem in extremis temporibus iuxta carnem unius sanctae Trinitatis filii Dei Dominique nostri Iesu Christi ex vera deipara et

semper virgine Maria generationem, substantiam assumpsisse nobis similem materialiter sine peccato, non desciscente ab eo quod fuerat, sed in duabus naturis sine confusione manentibus, cumque duabus in illis voluntatibus et effectibus, crucifixum pro nobis carne, sepultum et resurgentem, in caelosque reversum, venturum iudicare vivos et mortuos. Praeter haec mortuorum resurrectionem expect, et secundum uniuscuiusque actionem aeternam retributionem bonorum simul et malorum. Obsecrans intercessionem sanctissimae intemeratae dominae nostrae deiparae et semper Virginis Mariae, sanctorumque angelorum, et sanctorum gloriosorum apostolorum, prophetarum, martyrum, confessorum et doctorum. Amplector etiam horum venerandas imagines, et omnem haereticam vaniloquentiam execror, eorumque antesignanos et primates, Simonem dico, Marcionem, Manenta, Paulum Samosatenum, et Sabellium Afrum, eorumque scelesta dogmata detestor.

Suscipio etiam sex sacras generales synodos, earumque divina decreta. Primae quidem, qua definivit patri consubstantialem, et aeque sine principio fuisse filium, anathematizans impium Arium, Aetium, Eunomium, Eudoxium, Demophilum, post hos etiam qui recte dicuntur Anomii et Semiariani, praeterea omnem eorum scelestam congregationem.

Secundae autem decreta recipio, quae definivit Deum esse Spiritum sanctum Dominum vivificantem. Aversor autem Macedonium, et omnes qui ab illius partibus stant. Cum his vero et Deo odiosum Apollinarium, hominem plane de divinis insipide loquentem.

Ex tertia vero, unum Dominum nostrum Iesum Christum, verum Deum nostrum, ex Patre genitum, ipsumque in extremis diebus nostra causa ex sancta deipara semper Virgine Maria incarnatum, et Nestorium hominis adoratorem, eiusque affeclas, Diodorum, inquam et Theodorum, quique illius quadruplarem fabulam sectantur, et in Christo dualitatem personalem constituunt, longe a mea confessione propello.

Quartae vero Synodi capita haec accipio, ex duabus naturis, et in duabus naturis unum esse sanctae Trinitatis Christum Deum nostrum in carne peregrinantem, anathematizo autem Eutychen, Dioscorum, et omnem acephalon eorum turbam, cum his etiam Dei hostem Severum, et impium illum Iulianum Halicarnassensem, qui incorruptibile corpus Dominum nostrum assumpsisse fabulatur.

Quintam vero veluti Spiritus sancti machaeram amplector, quae a multis ante temporibus vigentes impias haereses amputavit, et de

earum auctoribus triumphavit, Origene nimirum, Didymo et Evagrio, quos omnes ut haereticorum magisiros execror.

Sextam autem laudo, quod ex duabus naturis Christum praedicavit, ob id etiam illi duas naturales voluntates et operationes in alterutra natura, humana scilicet et divina, assignavit, anathemate autem execror Cyrum, Sergium, Honorium, Pyrrhum, Paulum, et omnes qui eorum decretis insistunt, veluti Sodomiticam vitem et Gomorrhicum palmitem amaros botros producentem, exosos habeo.

Eiusdem quoque sextae Synodi omnia, tum recte et divine decreta edita, traditosque Canones recipio, praecipue tamen, in quo assignatur quibusdam in picturis agnum digito praecursoris indicatum feliciter effigiari, velut in typum gratiae, verum illum agnum Christum Deum nostrum, per legis praecessionem praefigurarum. Propterea antiquas illas picturas et umbras figurarum, tamquam symbola et notas ecclesiae traditas, amplectimur ipsam tamen gratiam et veritarem prius suo honore convenientes. Legis enim satisfactio haec sunt. Picturas autem non in alium usum admittimus, nisi ut perfectius omnium conspectui oculisque exhibeantur, quemadmodum agnus qui peccata mundi sustulit, iuxta humanam effigiem configuratus a nobis erigitur, ut ex hac eius humiliatione altitudinem Verbi Dei considerantes, ad

memoriam dispensationis in carne eius omnia trahantur, et ad illius passionem, salutiferamque mortem, unde mundo liberatio orta est, veluti manu ducamur. Supervacuae autem verborum nugae et vaniloquentia, quae temere a quibusdam effunditur, ob hoc a nobis non recipienda est, quod secundum gratiam divinam non proferatur. His igitur valere iussis et ab eorum consortio abstinentes, lumbos intellectus nostri in veritate succingimus, pariterque cum imperatoribus nostris piissimis, veritatis propugnatoribus, ad concordiam ecclesiae erigimur, quam ob causam ab illis Synodum cum libertate totius populi Christiani rite indici postulavimus, illi autem nostrae petitioni innata sua pietate mox assenserunt. Vos autem supra fundamentum apostolorum et prophetarum, quorum lapis angularis Christus, aedificatos quemadmodum ab initio dicere coeperam commilitones, comites, et pariter defensores accipientes, fiduciam hanc a Deo maximo habemus, non quod nobis quidquam tribuamus, tamquam sufficere ad hanc rem nostra potestate possemus, sed sufficientia nostra a Deo adimpletur membra ista ecclesiae, quae nunc fracta sunt et divulsa, in unum ecclesiae corpus coaptari, conglutinari et coniungi, ne amplius dissipentur, posse, quae tunc augmentum capient, cum sciverint Christum Deum caput eorum esse. Ceterum sanctitatem vestram precamur, quo nobis simul cum epistolio vestro duo mittantur, qui vices vestras hic peragant. Si quid autem ex Dei

traditione hactenus, quod ad hoc argumentum facere possit, habueritis, velim nobis declaretis, quo literae vestrae synodicae, et vicarii quoque a vobis missi, hi quidem cum gratia audiantur, illae vero legantur, atque id solum, ne amplius schisma aliquod in ecclesia Dei maneat. Idem etiam hoc a primate veteris Romae postulavimus. Vos autem fraterne nunc obtestamur, apostolicamque ad vos vocem eloquimur, ut cum Deo optima investigetis, et iuxta divinam vestram speculationem ea quae investigata sunt, manifestetis. Scriptum enim est, Labia sacerdotum iudicium servabunt, et Dei legem ab ore eorum requirent. Credimus enim semina veritatis in sacerdotibus servari. Nostri autem pii imperatores, et in omnibus recte sentientes, veritatis stabilimentum erigere cupientes, Deum perpetuo supplicant, iuxta divi Gregorii qui a theologia cognomentum invenit, sententiam, ut in uno Deo et in Trinitate uni existentes, uno ore et unanimes per Spiritum sanctum non contrariantes, sed inter nos veritatis sententiam cognoscamus et exerceamus. Absit autem contentio et seditio longissime a nobis, et quemadmodum uno baptismo tincti, summam unamque fidem habemus, ita quoque in omnibus ecclesiasticis negotiis unum animum studeamus habere. Pax autem Dei, quae omnem intellectum superat, in unitate et nos, et quae discissa sunt, reducat. Diuturnum quoque ulcus curet, et in firmitudine sincerae fidei, et veritatis confessione omnes nos confirmet, sanctamque suam

ecclesiam custodiat, quaeque huic imminent scandala, intercedente immaculata deipara Virgine Maria, omnibusque sanctis, avertat. Fiat. Amen.

Second Text

Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, et in unum Dominum Iesum Christum Filium Dei et Deum nostrum, natum ex Patre sine tempore coaeternum, et in Spiritum sanctum, Dominum et vivificantem, ex Patre per Filium procedentem, et eundem Deum esse et cognosci, Trinitatem unius substantiae, unius honoris et sedis, sempiternam et increatam, omnium creaturarum conaitricem, unum principium, unam deitatem et dominationem, unum imperium, potentatum et potestatem in tribus subsistentiis, individue quidem divisam, et divise unitam, non ex imperfectis tribus unum aliquid perfectum, sed ex tribus perfectis unum superperfectum et plusquam perfectum, uti magnus locutus est Dionysius. Itaque secundum proprietatem personarum tria quidem adoranda, at vero secundum communem naturae rationem unus Deus omnium factor visibilium et invisibilium, omnium provisor. Confiteor autem factam propter salutem nostram in novissimis diebus secundum carnem nativitatem unius sanctae Trinitatis, Filii scilicet Dei et Domini nostri Iesu Christi, ex veraciter sancta Dei genitrice semperque Virgine Maria, consubstantialem quidem

factum nobis modis omnibus absque peccato, non autem desinentem esse quod erat, sed duabus naturis inconfuse manentibus, una cum consistentibus in se duabus voluntatibus et operationibus, crucifixum pro nobis carne, et sepultum, et resurrexisse, in caelosque ascendisse, et venturum iudicare vivos et mortuos. Insuper spero resurrectionem mortuorum, et singulorum gestorum redditionem bonorum scilicet, et his contrariorum. Expetens etiam intercessiones sanctissimae et intemeratae dominae nostrae Dei genitricis et semper Virginis Mariae, sanctorumque angelorum, et sanctorum et gloriosissimorum apostolorum, prophetarum, martyrum, confessorum, et magistrorum, salutans et venerabiles iconas eorum, et omnem haereticam abominans contentionem, necnon et eorum ductores atque primores, Simonem videlicet, Marcionem, Manetem, Paulum quoque Samosatenum, et Sabellium Libyum, eorumque dogmata nefaria.

Recipio etiam sanctas et universales sex synodos, et earum divina dogmata pariter et doctrinas, tanquam quae divina inspiratione nobis tradita fuerint. Et cum prima quidem homousion et una cum Patre sine initio Filium esse credens, anathematizo impium Arium, Aetium, Eunomium, Eudoxium et Demophilum, post hos et eos qui iure dicuntur Dissimiles et Semiariani, atque omnem coinquinatam eorum catervam.

Cum secunda vero Deum esse Spiritum sanctum et vivificatorem confitens, abiicio Macedonium et omnes qui unius cum illo sunt sensus, cum his autem et Deo perosum Apollinarium, qui insensate desipuit.

Cum tertia autem unum Dominum Iesum Christum verum Deum nostrum ex Patre genitum, eundemque in novissimis diebus propter salutem nostram incarnatum ex sancta Dei genitrice semperque Virgine Maria, praedicans, hominis cultorem Nestorium, et bigam quae circa ipsum est, Diodorum aio ac Theodorum, necnon et eorum prodigiosam fabulam praedicantes, et in Christo personalem dualitatem formantes, procul a confessione mea repello.

Praeterea cum quarta ex duabus naturis et in duabus naturis unum sanctae Trinitatis Christum Deum nostrum carne venisse sentiens, anathematizo Eutychetem, Dioscorum, et totam ipsorum sine capite multitudinem, una cum divinitus fulminando Severo, et infando Iuliano Halicarnasseo, qui fabulose Dominum nostrum incorruptum corpus suscepisse perhibuit.

Denique in quinta, quae sicut machaera spiritus in superficie quodammodo ex prioribus temporibus navigantes iniquas rescidit

haereses, et inventores patefecit earum, Origenem videlicet, et Didymum, et Evagrium, ita et ego has, utpote portentosas haereticorum fabulationes, repello.

Porro per sextam sicut ex duabus naturis Christum, ex quibus et est, olim esse didiceram, ita et duas naturales voluntates et operationes eius in utraque natura credidi, humana scilicet et divina. Submittoque anathemati Cyrum, Sergium, Honorium, Pyrrhum, Paulum, et omnes consectatores eorum, dogma quoque ipsorum, ut Sodomiticam vitem, et Gomorrhiticam propaginem, amaritudinis botryonem habentes, odivi.

Ipsius autem sanctae sextae synodi cum omnibus dogmatibus, quae legaliter ac divinitus ab ea promulgata sunt, etiam depromptos canones recipio, in quibus refertur, In quibusdam venerabilium imaginum picturis agnus digito praecursoris exaratur ostensus, qui in figura praecessit gratiae, verum nobis per legem demonstrans agnum, Christum videlicet Dominum nostrum. Veteres ergo figuras et umbras, utpote veritatis indicia, et praecedentes characteres Ecclesiae traditos salutantes, gratiam honore praeferimus et veritatem, hanc ut legis plenitudinem admittentes. Ut ergo perfectio etiam per colorum operationes in omnium vultibus depingatur, characterem agni Dei nostri Christi, qui tollit peccata mundi,

secundum humanitatem etiam in iconis ex hoc pro veteri agno definimus depingi, per eum videlicet celsitudinem humilitatis Dei Verbi considerantes, et ad memoriam conversationis quam in carne gessit, passionis quoque ac salutaris mortis eius adducti, atque redemptionis quae hinc est mundo effecta. Superfluas autem tumultuationes et garrulitates post haec inconsulte promulgatas, ut apud vos minime receptas, neque per divinam gratiam dictas, irritas aestimamus, et ave istis dicentes, fugacesque facturi, accingimus lumbos mentis nostrae in veritate, et suscitamur una cum piis et fidelibus imperatoribus nostris, propugnatoribus videlicet veritatis, ad unitatem sanctae Dei Ecclesiae, a quibus et synodum universalem petivimus in praesentia totius eorum Deo amabilis populi, et postulationi nostrae pie annuerunt. Unde vos qui superaedificati estis super fundamentum apostolorum et prophetarum, ipsum videlicet summum et angularem lapidem Christum Iesum, quemadmodum in praecedentibus dictum est, concertatores et consectatores ac auxiliatores sumentes, confidentiam talem habemus ad Dominum, non quod sufficientes sumus cogitare aliquid a nobis, quasi a nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est, quia disrupta membra et discissa in unum corpus compactum et connexum crescere faciet, in quibus caput est Christus, et ultra iam non erunt dispersa. De caetero rogamus sanctitatem vestram, usque ad duos loci servatores mittere cum

deiloqua epistola sua, et quidquid sibi fuerit divinitus super hoc negotio revelatum, nobis facere manifestum, ut secundum quod debitum est, tam loci servatores, quam litterae vestrae synodice sive ad loquendum, sive ad legendum in omnibus inveniantur, quatenus per hoc quae scissa sunt, uniantur, idipsum enim et a praesule senioris Romae petivimus, et rogo vos fraterne, apostolicam vobis vocem pronuntians, tanquam Deo exhortante per nos, omnia perscrutantes secundum consilium vestrum quod in Deo patefacite nobis. Scriptum est enim, Labia sacerdotum custodient scientiam, et legem exquirent ex ore eorum. Certi enim sumus, quod semina veritatis in vobis salva custodiatis. Sed et pii imperatores nostri et per cuncta orthodoxae veritatis firmitatem sectantur, et Domino Deo supplicare non cessant, secundum Gregorium qui a theologia cognomen sortitus est, ut efficiamur nos, qui unius Dei existimus, unum, et qui sumus Trinitatis, uniti et honore pares, atque unanimes in cunctis inveniamur, et qui sumus sancti Spiritus, non contra invicem, sed pro invicem simus, et qui sumus veritatis, idipsum sapientes atque dicentes exhibeamur, et non sit contentio vel dissensio in nobis, sed sicut habemus unum baptisma, unam fidem, ita et consonantiam unam in omni ecclesiastico negotio. Et pax Dei quae exsuperat omnem sensum, in unum nos conducat, et divisa uniat, atque diuturnum vulnus sanet, et incolumitate fidei integros servet, et in vera confessione atque

concordia stabiliat omnes, uniatque sanctam Ecclesiam suam, et compescat scandala quae superiacent ei, intercessionibus intemeratae dominae nostrae Dei Genitricis et omnium sanctorum fiat. Amen.

Exemplar Synodicarum Literarum Theodori

Sanctissimi Patriarchae Hierosolymorum

Theodorus, Greek Patriarch of Ierusalem

787

Hadrianus PP I

First Text

Credimus sanctissimi fratres quemadmodum a primordio credidimus, in unum Deum Patrem omnipotentem, sine principio existentem sempiternum, omnium visibilium et invisibilium factorem. Et in unum Dominum Iesum Christum Filium Dei unigenitum, qui ab aeterno et expers affectionis genitus ex Deo et Patre, neque aliud initium quam Patrem cognoscentem, et qui ex ipso substantiam habet, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Et in unum sanctum Spiritum, sine fine ex Patre procedentem, lumen et Deum, et suiipsius decreti, existentem, et vere existentem, Patri Filioque coaeternum, consubstantialem et eiusdem generis, eiusdemque substantiae et naturae, eodem modo etiam deitatis eiusdem Trinitatem consubstantialem, eodem honore affectam, et eiusdem throni existentem, in eamdem deitatem consummatam, et in unam et communem coactam potestatem, sine personali et substantiali confusione et electione Trinitatem in unitate credimus, et unitatem in Trinitate glorificamus. Trinitatem quidem in tribus

subsistentiis, unitatem vero in unitate deitatis, neque unitatem illam confusam habentem, neque Trinitatem per omnia divisam, sed in altera alteram conservatam. Divisa est enim numerariis subsistentiis, et numerata personalibus alteritatibus, sed substantiae et naturae identitate unita, et nulla ratione partitionem admittens. Unus enim Deus est. Inde etiam divinitas una absolute praaedicatur, et in personarum Trinitate cognoscitur. Et non, inquantum unus Deus, et una deitas, Deus est divisus, et in tres deos partitus, Arianorum enim ista est impietas. Neque etiam, inquantum tres unus Deus est, et demonstratur, et tres hypostases praedicatur, et Pater et Filius et Spiritus sanctus dicitur, contractus et coniunctus, et in unam se hypostasim contrahens, Sabellianorum enim ista est impietas. Quamobrem recte a viris divinarum rerum peritis dictum est, unitatem nos sentire in una et singulari deitate, Trinitatem autem in tribus inconfusis subsistentiis, nec alium Deum unum praeter tres personas cognoscimus, neque tres Trinitatis consubstantiales personas, quae sunt Pater, Filius et Spiritus sanctus, alium praeter unum Deum agnoscimus. Ob id etiam unum haec tria, in quibus divinitas, praedicamus, vel ut verius dicamus quae deitas est et cognoscitur.

Credimus etiam in unum eiusdem sanctae consubstantialis Trinitatis Dominum nostrum Iesum Christum, qui in forma Dei existens, non

rapinam arbitratus ut inquit Apostolus in eo quod similis cum Deo existat, sed seipsum exinanivit, assumpta servi forma. Nam patri existens consubstantialis et coaequalis assessor, in extremis temporibus non dedignatus est ex sancta et immaculata domina nostra deipara assumpta carne, animata anima intellectuali et rationali, ab initio a nostra massa, non seminio, sed opificio per Spiritum sanctum nasci. Sic ex duobus contrariis progressus Deus Verbum, perfectus natura Deus existens, idem perfectus natura homo fuit, non vertens naturam, neque phantasmate simulans dispositionem suam, sed assumpta ex sancta virgine rationaliter et intellectualiter carne, et quae in seipso id quod erat fortita, unitus secundum hypostasim, inconfusus, indivisus, non naturam deitatis suae in carnis substantiam mutans, neque etiam substantiam carnis suae in naturam deitatis suae. Duae enim naturae immutabiliter in se invicem unitae in una Verbi Dei hypostasi, unum filium et Dominum nostrum declarant, visibilem et invisibilem, mortalem et immortalem, eodem modo descriptum, perfectum Deum et perfectum hominem, perfectum in duabus naturis declaratum, et in duabus potestatibus et virtutibus et voluntatibus adoratum. Non enim operatus os divine, neque rursus humaniter, nisi natura fuisset Deus et homo. Hunc vere Deum existentem et hominem confitemur, propter nostram salutem crucifixum, et mortem in carne gustasse tribus etiam diebus in sepulcro receptum, et

resurgentem a mortuis propriae deitatis potentia, depraedantem infernum, et eos qui a principio captivi tenebantur, liberantem, in caelum ascendentem, et a dextera patris sedentem, venturum, iuxta incorporeorum vocem ad apostolos, in secunda praesentatione iudicare vivos et mortuos. Confitemur etiam et a mortuis in extremo die per vocem archangelicae tubae resurrectionem, et omnium qui vixerunt, sive bene, sive male, ex iusto Dei nostri Iesu Christi iudicio retributionem et vitam aeternam venturam, neque finem habituram.

Suscipimus autem et ex animo amplectimur et amamus sex sacras et universales Synodos, quae ex Spiritus sancti instinctu contra omnes haereses quae in diversis locis et temporibus fuerunt, congregatae sunt, quas sane omnes excellenter universae, quae sunt sub sole, ecclesiae praedicant, earumque rectis et a Deo inspiratis dogmatibus seipsos confirmant, reiicientes quos ipsae reiiciunt, recipientes vero quos illae recipiunt.

Et prima quidem in Nicaea congregatis trecentis decem et octo patribus, propter Arii, cognomento insani, haeresim extirpandam, eiusque corruptrices animarum blasphemias, qui sublatam cupivit unam illam et inconfusam deitatem, patris etiam creationem filium inani sua garrulitate praedicabat, negans per filium etiam cuncta ex

nihilo in illud quod sunt, producta. Damnavit etiam eadem Synodus omnes qui cum illo erant eiusdem sententiae. Haec eadem persancte constituit Dominum nostrum Iesum Christum ante cuncta saecula ex patris substantia et hypostasi, ante tempora sine defluxu generatum, praeterea patri consubstantialem, et sancto quoque Spiritui. Atque haec per symbolum, sive rectam fidem confessa est.

Secunda vero in Constantinopoli, convenientibus centum quinquaginta patribus, congregata est contra pneumatomachon Macedonium, et eos qui a partibus eius stabant, Deo odibiles Semiarianos. Haec sancta Synodus Spiritum sanctum ducem et ductorem nacta, declaravit ex Patre ante tempora et perpetuo Spiritum sanctum egressum habuisse, praeterea Patri et Filio consubstantialem, coadoratum et conglorificatum. Eos vero qui blasphemias fuderunt in paracletum, veluti non simul processisset, execrationibus infinitis devoverunt. Sed et cum his insanum Apollinarium, qui et Servatorem, hominem sine mente, ipse demens blasphemavit.

Tertia quae in Epheso prior ex ducentis patribus emicuit, Nestorii adoratoris hominis vesaniam sustulit et abscidit, eiusque asseclas in perpetuum damnavit. Hic enim ex propria stultitia seductus, alium ante saecula Deum Verbum, alium vero ex Virgine pro nostra salute

incarnatum nugatus est. Ob id etiam nolens coactus est Trinitati quartam personam superinducere, non solum autem unitas duas Christi naturas in duas hypostases, verum etiam nomen hoc theotokos, hoc est, deipara, impius iste adiurans, pro eo christotokos, id est, Christipara, subitituit, cum omnes cognoscant eam vere Dei matrem, post partum et ante partum Virginem qualibet intellectuali et sensibili natura superiorem, gloria et splendore ornatam. Hunc igitur tertia Synodus ducentorum patrum anathemate reddidit execrabilem, illiusque corruptrices animarum nugas plane detestata est, unum ex patre filium ante saecula splendentem, et in extremis temporibus ex immaculata Virgine deipara Maria nostram naturam induentem testata. Quin etiam docuit perfectum Deum et perfectum hominem, ipsius filium Dei praedicans, hoc est, unum filium, et Christum et Dominum. Simplicius autem unam naturam Verbi Dei incarnatam, quod indicat duarum naturarum secundum hypostasim unitatem. Instituit autem proprie dici, et secundum veritatem, sanctam Mariam theotokon, hoc est, deiparam.

Tempestive et ea quae in Calchedone celebrata est Synodus, in qua sexcenti patres erroneam haeresim, quae Christi duas naturas confundit, sustulerunt, quam sane primus insanus Eutyches per insipientiam induxit, ausus negare duas naturas in uno Christo

incommutabiliter unitas, unam autem naturam ex duabus extitisse compositam prodigiose pronuntians. Hic Dioscorum scelestum illum hominem commilitonem et advocatum nactus, bonorum dogmatum accusator, et veritatis hostis repertus est. Sed hos duos sancta quarta Synodus subvertit, eorum vaniloquas delirationes severis anathematibus, ipsosque auctores subiecit, duas autem Christi veri Dei nostri naturas, sine confusione, incommutabiliter, inconvertibiliter in una ipsius hypostasi uniri praedicavit, perfectum etiam ipsum in deitate et humanitate existere, ex duabus et in duabus naturis cognitum. Praeter haec Nestorii quoque scelesti istius divisionem, ipsumque adeo et qui dogmata illius sectantur, abrenuntiavit.

Deinceps et quinta congregata Synodus est in imperatoria civitate, ex sexaginta quatuor supra centum episcopis constans. Haec Spiritu sancto duce, priores quatuor Synodos confirmavit, iussitque ut harum decretis acquiesceremus, execrans Arium, Nestorium, Eutychen, Theodorum Mopsuestiensem, horumque omnium blasphemias. Praeterea Origenem, Evagrium, Didymum, omnesque fabulosas et gentiles eorum prodigiosas narrations. Ad haec epistolam, quae Ibae cuiusdam nomine ad Marim Persam circumfertur. His adde Theodoriti commentaria, qui contra recta duodecim capita beatae memoriae Cyrilli conscripta sunt.

Post quam sancta sexta Synodus, veluti alter sol, ex ducentis et octoginta novem patribus, in regia civitate locum fortita, in qua congregata existens, eos qui duas sui iuris voluntates et operationes in Christi Dei nostri incarnata oeconomia negant, et unam voluntatem, unamque operationem servatoris nostri deitatis et humanitatis constituunt, anathematizavit, nimirum Sergium, Pyrrhum, Petrum, Cyrum, Honorium, Theodorum dictum Pharan, nec non Polychronium delirantem senem, praeterea omnes, qui constituerunt, constituunt, ac constituere tentabunt unam voluntatem et operationem duarum Christi naturarum. Nam si ut quidam sapiens inquit involuntariam et inefficacem humanam Christi naturam relinquimus, ubi perfectum illud in humanitate servabitur? Igitur duas voluntates et operationes invicem in Christi naturis, ut naturaliter loquamur, aptantes efficiemus ut magnum salutaris oeconomiae mysterium manifestissime appareat.

His itaque sex sacris Synodis, quas solas universales agnoscimus, concorditer orthodoxa fides stabilita est, neque aliam, praeter has, Synodum accipimus. Non enim quidquam apostolicarum traditionum, nihil etiam patrum legitimarum editionum, quod dubium movere poterat, aut correctione indigebat, omissum est. Idcirco universos haereticae improbitatis auctores, ut seminis

zizaniarum diabolicarum plantatores, animarumque corruptores, a principe pessimo, Simone inquam Mago, usque ad extremos eorum successores, uno quod aiunt fasce deinceps ex tota anima anathematizamus. Maxime autem, quos sex priores Synodi universales damnarunt. Quibus etiam adiicio Severum, Acephalorum et unius naturae clamantium principem, illiusque commilitones omnes. Neque iniquum est his adiicere Petrum Fullonem, qui ter sancto hymno adiicere aliquid ausus fuit, impassibilique deitati passiones affricare tentavit. Quicumque etiam hunc ut ducem sequuntur. Locales autem Synodos non aversamur, sed magis amamus, amplectimur et recipimus, earum etiam divinitus inspiratas canonicas constitutiones, correctiones, et utiles earum legislationes summa observantia colimus. Apostolicas autem ecclesiae traditiones, quibus veneratio culturaque sanctorum docetur, recipimus et veneramur. Eos autem ut ministros, amicos et filios Dei existentes, honoramus. Honor enim qui a conservis idem sentientibus invicem exhibetur, indicium est benevolentiae erga Dominum. Sunt enim promptuaria Dei et pura Christi habitacula, Spiritusque sancti immaculata specula. Quin etiam animae eorum in manu Dei existent, ut scriptum est. Deus enim vita existens, cum sancti in Dei manu sint, in vita et lumine necessum est ut existant. Et ob id, preciosa in conspectu Domini mors sanctorum eius. Hi viventes in libertate Deo adstiterunt. Servator noster Christus fontes

salutares, sanctorum reliquias nobis reliquit, multis modis beneficia in debiles fundentes, unguentum redolentis suavitatis scaturientes. Et ut inquit magnus doctor, cui ab immortalitate nomen est, martyrum ossa morbos sugant, infirmis medicantur, caecis visum impartiunt, lepras emundant, tentationes et moerores soluunt. Atque id per Chrislum, qui in ipsis habitat. Bene etiam Psalmographus cecinit, Mirabilis Deus in sanctis suis. Et iterum, Sanctis in terra illius mirificas fecit omnes voluntates eius in ipsis. Cum etiam sanctas imagines reveremur, principio adorantes Dei Verbi propter nos incarnati, Domini nostri et servatoris Iesu Christi, qui formam servi assumpsit imaginem. Qamquam sciamus ipsam imaginem et typum deitatis, quae cum carne illius immaculata inconvulsim unita est, minime posse figuram praestare. Invisibilis enim est divina natura, nec depingi, nec figurari se permittit. Deum enim, ut ipse inquit, nemo vidit unquam. Sed humanitatis illius imaginem coloribus ducentes adoramus. Visus enim est Deus, et cum hominibus conversatus est, nostroque more et natura laboravit, esuriit, sitiit. Adoramus quidem Christi imaginem, quemadmodum facies eius visa est, non tamen a deitate separate, absit ut ita sentiamus, cum ab ipsa prima conceptione cum deitate unita sit. Quamvis enim dicat ad Iudaeos, Quia vultis me occidere, hominem qui veritatem locutus sum vobis, non tamen ob id dumtaxat homo fuit, sed et Deus. Et cum inquit, Ego et Pater unum

sumus, hic non abnegat nostram naturam. Humano enim ore et lingua instrumentaria haec loquitur. Veneramur etiam et adoramus imaginem deiparae et dominae nostrae irreprehensibilis, immaculatae, et inexplicitae castitatis matris, quae illum peperit. Quin etiam sanctorum apostolorum, prophetarum, et victorum martyrum, sanctorumque et beatorum, veluti amicorum Dei, imagines colimus, non in materia aut coloribus honorem constituentes, sed per hoc officium nostrum, quod ipsis adeo, quorum typum imagines gestant, debemus, impartientes, cum sciamus, iuxta Basilii magni sententiam, quod imagini honor exhibitus ad ipsum prototypum referatur. Ad eos vero, qui contentiosius nobiscum agentes, negant fas esse, imagines sanctorum adorare, cum sint manufactae, ob id etiam idola impii illi eas vocant, sciant hi, quod et cherubim et propitiatorium, et arca, et mensa, quae admirandus Moses ex Dei mandato praeparavit, manu hominum facta sunt et adornata. Divina enim scriptura reprehendit eos qui sculptilia adorant, et qui daemonibus immolant. Gentium enim sacrificia abominanda erant, iustorum vero probanda. Cum igitur satis crasse scriptura venerandas imagines recepit, adorare eas licitum est, sed prototypi causa. Has igitur synodicas literas cum acceperitis patres sanctissimi, si quid in illis repertum fuerit correctione dignum, petimus ut sine invidia, vestra doctrina nos reddatis participes, idque literis rescriptis admonete. Sic enim fiet,

ut concordes vos et nos in fide inventi glorificetur Pater et Filius et Spiritus sanctus, nunc et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Second Text

Credimus igitur, beatissimi, quemadmodum credidimus desursum ab initio, in unum Deum Patrem, sine principio penitus et sempiternum, omnium visibilium et invisibilium factorem, et in unum Dominum Iesum Christum Filium Dei unigenitum, ex ipso Deo et Patre sempiterne ac impassibiliter natum, nec aliud principium quam Patrem scientem, et ex ipso substantiam habentem, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero. Et in Spiritum sanctum ex Patre procedentem, lumen et Deum per se cognitum, et existentem veraciter Patri et Filio coaeternum homousion et contribulem et eiusdem essentiae ac naturae, similiter autem et deitatis. Trinitatem homousion ac unius honoris et throni, quae in unam recapitulatur et colligitur deitatem et communem dominationem, sine personali et subsistentiali refusione vel divisione. Trinitatem enim in unitate credimus, et unitatem in Trinitate glorificamus, Trinitatem quidem tribus subsistentiis, unitatem vero singularitate deitatis, quae neque unum quod proprium possidet, confusum habet, neque ipsum trinum per totum divisum, sed potius in utroque conservatum utrumque, divisa est enim numeratis subsistentiis, et numerata personarum diversitatibus, identitate autem substantiae et naturae

unita, omnino partitionem non recipit. Unus enim Deus est, quia deitas una famosissime praedicatur, et in Trinitate personarum cognoscitur, et neque secundum quod unus Deus et una deitas est, dividendus et in tres Deos dispertiendus, Arianorum enim est ista impietas, neque secundum quod tres unus Deus est et cognoscitur, etiam subsistentiae tres praedicantur, et Pater et Filius et Spiritus sanctissimus dicitur, contractus vel compactus, et in unam sese commiscens subsistentiam, Sabellianorum enim est ista nequitia, et ideo bene a deiloquis sancitum est, monadem quidem nos debere sapere in una et in singulari deitate, Triadem vero in inconfusis tribus subsistentiis, non autem alium unum Deum praeter tres personas agnoscimus, neque tres Trinitatis unius substantiae personas, quae sunt Pater et Filius et Spiritus sanctus, alias praeter unum Deum scimus. Et propterea unum tria, in quibus deitas est, praedicamus, et tria unum, quorum deitas est, annuntiamus, imo, ut verius dicatur, quae tria deitas et est et agnoscitur.

Credimus autem et in unum eiusdem sanctae consubstantialis Trinitatis Dominum nostrum Iesum Christum, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, ut ait Apostolus, esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens. Patri enim cum sit consubstantialis atque consessor, in novissimis temporibus non est dedignatus nasci ex sancta et intemerata

domina nostra Dei Genitrice, carnem ex ea sumens animatam anima rationabili et intelligibili, primitias massae nostrae, non seminatam, sed conditam per Spiritum sanctum. Ita procedens unus ex duobus contrariis Deus Verbum, cum perfectus natura Deus existeret, factus natura perfectus homo idem ipse, non mutans naturam, neque simulans dispensationem, sed carni rationabiliter et intelligibiliter ex sancta Virgine sumptae, et in ipso ut esset sortitae, unitus est per subsistentiam inconfuse ac indivise, non transferens deitatis suae naturam in carnis substantiam, sed neque substantiam carnis suae in naturam suae deitatis. Duae igitur naturae inconvertibiliter invicem adunatae in una Dei Verbi subsistentia, unum Filium et Dominum nobis demonstraverunt visibilem et invisibilem, mortalem et immortalem, circumscriptum eundem et incircumscriptum, Deum perfectum et hominem perfectum, in duabus naturis agnoscendum, et in duabus liberis operationibus et voluntatibus adorandum. Nam non utique operaretur divine, nisi esset natura Deus, neque rursus humane, nisi natura fieret homo. Hunc confitemur, qui vere est Deus et homo, propter salutem nostram crucifixum fuisse, et carne mortem gustasse, sepulturamque trium suscepisse dierum, et resurrexisse a mortuis propriae potentia deitatis, infernum dispoliasse, et eos qui a saeculo vincti fuerant, libertate donasse, in caelos ascendisse, et in dextera Patris sedisse, et venturum secundum vocem incorporalium ad apostolos delatam, in secundo

suo adventu iudicare vivos et mortuos. Confitemur autem et mortuorum in novissima die per vocem archangelicae tubae resurrectionem, et operum a nobis bene vel aliter gestorum, iuste Christo Deo nostro iudicante, retributionem, et in futuro aeternam vitam et terminum non habentem.

Suscipimus autem, et firmamus, et alacriter amplectimur sanctas et universales sex synodos, quae per Spiritum sanctum contra omnem congregatae sunt haeresim in diversis locis atque temporibus, quas universae sub sole orthodoxorum Ecclesiae magna voce praedicantes, rectis ac divinitus inspiratis earum dogmatibus fulciuntur, recipientes quos illae recipiunt, et abiicientes quos ipsae abiiciunt. Et prima quidem apud Nicaeam celebrata trecentorum decem et octo sanctorum Patrum synodus in depositionem Arii a furia cognominati, et ipsius animas corrumpentium blasphemiarum, quem ut divisorem insanum, et inconfusae incisorem deitatis, et Filium Patris creaturam garrula verbositate fatentem, per quem profecto cuncta creata, et ex non existentibus ut essent producta sunt, anathematizavit cum omnibus consentaneis eius, et procul a divinis sacrariis pepulit, praedicans Dominum nostrum Iesum Christum ante omnia saecula de Patris substantia et subsistentia, sine tempore ac sine fluxu natum, consubstantialem Patri et sancto Spiritui existentem, et per symbolum, id est, fidei rectae

confessionem, omne Christi dispensationis edocuit expresse mysterium. Secunda vero collecta est Constantinopoli centum quinquaginta Patrum synodus contra Spiritus impugnatorem Macedonium, et Deo exosos Semiarianos socios eius, quae sancta synodus eundem Spiritum sanctum ducem ac magistrum habens, ex Patre sine tempore ac sempiterne processionem dogmatizavit habere, et homousion Patri et Filio fore coadorandum et conglorificandum, eos autem qui blasphemaverunt in eundem Paracletum, sine remissione anathematismis submisit inenarrabilibus, una cum desipiente Apollinario, qui Salvatoris nostri hominem sine intellectu, cum esset amens, verbose perhibuit. Et tertia prior Ephesi ducentorum sanctorum Patrum refulgens synodus in destructionem et deiectionem hominem colentis Nestorii et consentaneorum eius, qui ex propriis exsecrabilibus cogitationibus deceptus, alium esse Deum Verbum, qui ante saecula est, et alium eum qui ex Virgine propter salutem nostram incarnatus est, garrula voce profatus est, quartam sceleratus, etiam nolens, personam in sanctam et consubstantialem Trinitatem inducens, non solum separans unitas duas Christi naturas in duas subsistentias, verum etiam vocem, qua Dei Genitrix appellatur, maledictus abiurans, Christotocon hanc vocari nequissime sanxit, quae vere Dei Mater est et ante partum et post partum Virgo, atque omnis intelligibilis ac sensibilis naturae gloria et claritate creata sublimior.

Hunc igitur eadem sancta ducentorum Patrum synodus anathematizavit, una cum animam laedentibus deliramentis eius, unum Filium ex Patre ante saecula illuxisse, et eundem in novissimis diebus de intemerata Virgine ac Dei genitrice Maria natum fuisse, naturam nostram indutum edocens, et Deum perfectum et hominem perfectum eundem Filium Dei denuntians, id est, unum Filium et Christum et Dominum, et absolute unam naturam Dei Verbi incarnatam, quod significat duarum naturarum unitionem, quae per subsistentiam facta est. Dei vero Genitricem proprie ac per veritatem sanctam Mariam nominari legitime statuit. Opportunissime autem Chalcedone divinitus collecta orta est synodus sexcentorum triginta sanctorum Patrum in depositionem deceptae haereseos confusas Christi naturas perhibentis, quam primus insensatus Eutyches ex insipientia sua instituit, in uno Christo duas naturas inconvertibiliter unitas abnegans, et unam naturam ex duabus factam et compositam prodigiose coniiciens, qui et Dioscorum noxium fautorem et defensorem habens, orthodoxorum dogmatum calumniator, et veritatis hostis inventus est. Sed hos ambos synodus sancta destruxit, et deliras vocum novitates eorum severis cum illis anathematibus subdidit, praedicans Christi veri Dei nostri duas naturas inconvertibiliter et incommutabiliter unitas in una subsistentia sua, perfectumque in deitate simul eundem et in humanitate consistere, ex duabus et in

duabus naturis noscendum. Praeterea et nequam Nestorii divisionem, et ipsum quoque cum sibi consentientibus abdicavit. Deinceps autem et quinta convenit synodus in dominante civitatibus, centum sexaginta quatuor sanctorum Patrum numerum salvans, quae ab ipso sancto Spiritu acta, ante se celebratas sanctas quatuor synodos roboravit, et earum recta dogmata sequens, anathematizavit Nestorium, Eutychem, Theodorum Mopsuestiae cum blasphemiis suis, adhuc etiam et Origenem, et Evagrium, Didymum quoque et omnia fabulosa et pagana atque prodigiosa ipsorum eloquia, necnon et epistolam quae dicitur Ibae ad Marim Persam, et conscriptiones Theodoreti quas contra recta duodecim capitula sanctae memoriae Cyrilli conscripsit.

Postquam sancta sexta synodus quemadmodum alius sol emicuit, ducentorum octoginta novem sanctorum Patrum, regiam urbem sortita pro requie, in qua celebrata, eos qui duas proprias voluntates et operationes in dispensatione carnis Christi Dei nostri denegant, et unam voluntatem et unam portentose asserunt operationem Salvatoris nostri deitatis pariter et humanitatis, anathematizavit, id est, Sergium, Pyrrhum, Petrum, Cyrum, Honorium, Theodorum Pharanitanum, et Polychronium delirum senem, atque omnes qui definierunt, vel definient, aut definire praesumunt unam voluntatem et operationem in duabus Christi naturis. Si enim, ut

quodam in loco quidam sapiens ait, sine voluntate et sine operatione humanam Domini naturam dimiserimus, ubi perfectionem in humanitate salvabimus? Duas igitur voluntates et duas operationes congruentes duabus Christi naturis, ut naturalia earum coaptantes idiomata, sic magnum salutaris dispensationis mysterium luculenter explanaverunt, et orthodoxam fidem omnium ecclesiarum Dei sine calumnia sineque dubitatione recte sapientibus servaverunt. Has sanctas sex synodos solas esse universales novimus, aliam post has non admittentes synodum, neque enim derelictum est quid ab apostolicis traditionibus, vel paternis seu legitimis editionibus, egens correctionis, vel cuiuslibet ornamenti quoquo modo. Omnes itaque male sentientes haereticos, tanquam satoris zizaniorum Satanae discipulos, et animas corrumpentes ministros, ab horum malo vertice, videlicet Simone Mago, usque ad eorum detestabilem caudam, et ut complexive dicamus, caeteros omnes ex tota prorsus anathematizamus anima simul et mente, maxime illos, quos praelatae sanctae et universales sex synodi anathematizaverunt, una cum Severo Acephalorum auctore. Quin et Petrum respuo cognomento Cnaphea, qui in trisagio hymno argumentum apponere ausus est, et passionem impassibili applicare deitati praesumpsit, et omnes qui blasphemiam eius sectantur. Non autem refutamus, sed oppido confirmamus et admittimus etiam locales sanctas synodos, et correctiones canonicas quae divina sunt

ab eis inspiratione depromptae, atque legislationes earum animas illustrantes. Apostolicas autem Ecclesiae traditiones, per quas honorare et adorare sanctos et salutare docemur, suscipimus et amplectimur, venerantes eos ut famulos et amicos atque filios Dei. Honor enim qui circa devotos conservorum agitur, probationem habet bonae voluntatis erga communem exhibitae Dominum. Isti enim ipsi cellaria Dei et habitacula munda, sanctique Spiritus purissima specula facti sunt. Sed et ipsorum animae in manu Dei sunt, ut scriptum est. Cum enim vita sit Deus et lux, et sancti quoque qui in manu Dei sunt, in vita et luce profecto consistunt. Et ideo pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius. Isti viventes fiducialiter Deo astiterunt, fontes salutares Dominus Christus sanctorum nobis reliquias praebuit, multimode beneficia infirmantibus rigantes, unguentum suavitatis emanantes, et daemones abigentes, et sicut dicit magnus magister et ab immortalitate cognominatus, martyrum ossa languores fugant, infirmos curant, caecis videre donant, leprosos mundant, tentationes et moerores dissolvunt, et haec per Christum qui habitavit in illis. Et bene Psalmista cecinit, Mirabilis Deus in sanctis suis. Et rursus, Sanctis qui sunt in terra eius, mirificavit omnes voluntates eius inter illos. Cum his autem et sanctas et venerabiles imagines adorantes amplectimur, id est, Verbi Dei, Domini videlicet et Salvatoris nostri Iesu Christi, qui pro nobis incarnatus est, et

formam servi suscepit. Cuius imago et figura non deitatis, quae inconvulse intemeratae carni eius unita est, praefert characterem, invisibilis enim est et incircumscripta et informis divina natura, Deum quippe nemo vidit unquam, ipse Unigenitus enarravit, sed humanitatis eius coloribus facientes iconam adoramus. Apparuit enim Deus super terram etiam cum esset invisibilis, et visus est, et cum hominibus conversatus est, et fatigatus est, et esurivit, et sitivit lege nostrae quam suscepit naturae. Adoramus Christi iconam, id est, personae quae hominibus visa est, non divisae ab hac invisibili eius divinitate, absit, sed unitae huic ex summa conceptione. Nam etsi dicit Iudaeis, Quid vultis me occidere, hominem qui veritatem locutus sum vobis? Non erat homo tantum, sed et Deus, et dicens, Ego et Pater unum sumus, non denegat naturam nostram, humano quippe ore ac organica haec asserit lingua. Honoramus autem et adoramus etiam intemeratae eius imaginem sanctae Dei Genitricis et immaculatae dominae nostrae, quae illum ineffabiliter genuit. Honoramus quoque sanctorum apostolorum, prophetarum, bene vincentium martyrum, confessorum, et iustorum tanquam Dei amicorum imagines, non materiae vel coloribus cultum afferentes, sed per haec intelligibilibus visibus ad principalem adducti, honorem illi debitum impendimus, scientes secundum Basilium magnum, quod imaginis honor ad principalem transeat. Porro quia nonnulli contentiosius agunt, et dicunt non oportere sanctorum imagines

adorare, cum sint manufactae, simulacra stolide has, imo impie nuncupantes, noverint qui eiusmodi sunt, quod cherubim, et propitiatorium, et arca, et mensa, quae Moyses sacratissimus divino praecepto construxit, manufacta erant, et adorabantur, accusat autem divina Scriptura eos qui adorant sculptilia, sed et illos qui daemonibus immolant. Et quidem abiectum erat paganorum sacrificium, sed iustorum acceptum est. Cum ergo crassioris scripturae venerabiles imagines sint, oportet eas honorare propter principalia. His itaque synodicis nostris libenter acceptis, sanctissimi, si quid inventum fuerit in illis emendatione indigens, sine invidia vestrae Deo plenae doctrinae nos participes facite, et ad remittendum ea nobis correcta estote precabiles, ut concorditer ex hoc fidelibus utrisque, id est, vobis et nobis inventis, glorificetur Pater et Filius et Spiritus sanctus, nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.

Professio Fidei Basilius Episcopus Ancyrae

Basil, Bishop of Ancyra

24 September 787

Hadrian I PP

Credo igitur et confiteor in unum Deum Patrem omnipotentem et in unum Dominum Iesum Christum Filium eius unigenitum, et in Spiritum Sanctum Dominum et vivificantem, Trinitatem consubstantialem et considentem, in una deitate, potentia et potestate adorandam et glorificandam. Confiteor etiam omnia quae sunt dispensationis unius sanctae Trinitatis, Domini videlicet et Dei nostri Iesu Christi, quemadmodum sanctae et universales sex synodi tradiderunt, et universum haereticum sine ianua os abiiciens anathematizo, iuxta quod anathematizaverunt et ipsae, expectens etiam et intercessiones intemeratae dominae nostrae sanctae Dei Genitricis Mariae, sanctarumque et caelestium virtutum, et omnium omnino sanctorum, atque sancta et pretiosa lipsana eorum cum omni honore suscipiens saluto, et honorabiliter veneror, fidem habens illorum particeps fieri sanctimoniae. Similiter et venerabiles imagines tam dispensationis Domini nostri Iesu Christi, secundum quod homo factus est propter salutem nostram, et intemeratae dominae nostrae sanctae Dei Genitricis et Dei formium angelorum, atque sanctorum apostolorum, prophetarum, martyrum, et omnium

simul sanctorum, salutans pariter et ampplectens, atque adorationem quae pertinet ad honorem impendens, proiiciens nihilominus et anathematizans ex tota anima et tota mente synodum, quae ex stoliditate et dementia congregata, et septima synodus nominata est, ab his vero qui recte sapiunt, pseudosyllogos legaliter et regulariter apellatur, tanquam quae totius veritatis et pietatis sit aliena, et contra divinitus traditam ecclesiasticam legislationem audacter et temere, quin potius et absque Deo latraverit, et sanctas ac venerabiles imagines conviciis appetierit, sed et has praeceperit auferri a sanctis Dei ecclesiis, de qua exiit Theodosius falsi nominis Ephesius, Sisinnius Pergensis cognominatus Pastillas, Basilius Pisidiae cacemphatustricaccabus, quos evanuit sectatus miser Constantinus, qui fuerat patriarcha. Haec ita confiteor, et his assentior, et idcirco in simplicitate cordis et recta mente, Deo mihi testimonium perhibente, subiectos anathematismos facio hic.

Christianorum caluminatoribus, id est imaginum confractoribus anathema. His qui assumunt eloquia, quae a divina scriptura adversus idola proferuntur, in venerabiles iconas, anathema. His qui non salutant sanctas et venerabiles imagines, anathema. His qui appellant sacras iconas simulacra, anathema. His qui dicunt, quod sicuti ad deos Christiani ad imagines accedunt, anathema. His qui

communicant scienter eis qui conviciantur et exhonorant venerabiles iconas, anathema. His qui dicunt, quod praeter Christum Dominum nostrum alius nos ab idolis liberaverit, anathema. His qui spernunt magisteris sanctorum Patrum et traditionem catholicae ecclesiae, praetendentes et assumentes voces Arii, Nestorii, Eutychetis et Dioscori, atque perhibentes, quod nisi de veteri ac Novo Testamento evidenter fuerimus edocti, non sequemur doctrinas sanctorum patrum, neque sanctarum synodorum, atque traditionem catholicae ecclesiae, anathema. His qui dicunt, quod diabolicae argumentationis inventio sit factura imaginum, et non sanctorum Patrum nostrorum traditio, anathema. His qui praesumunt dicere, catholicam ecclesiam idola aliquando suscepisse, anathema. Haec quidem ita confiteor, et his assentior, et ex toto corde, anima et mente pronuntio. Si vero quod absit ex diabolica submissione aliquo tempore voluntarie vel non voluntarie aversus fuero ab istis quae iam professus sum, anathema sim a Patre et Filio et Spiritu sancto, atque a catholica ecclesia seu sacro ordine penitus alienus. Conservabo autem secundum divinos canones tam sanctorum apostolorum, quam probabilium patrum nostrorum, memetipsum ab omni dati acceptione seu turpi lucro.

Professio Fidei Synodi Foroiuliense

Council of Friuli

791

Hadrianus I PP

Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem caeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei unigenitum, ex Patre natum ante omnia saecula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de caelis, et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria virgine, et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est, et resurrexit tertia die secundum scripturas. Ascendit in caelos, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare viuos et mortuos. Cuius regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum Dominum et vivificantem. Qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur. Qui locutus est per prophetas. Et unam sanctam catholicam et apostolicam ecclesiam. Confiteor unum baptisma, in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam futuri saeculi. Amen.

Sanctam autem, perfectam et inseparabilem et ineffabilem veramque Trinitatem, id est, Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, individuam confiteor in unitate naturae, quia trinus et unus est Deus. Trinus nimirum per distinctionem personarum, unus vero per substantiam inseparabilem deitatis. Has igitur tres personas, Patris Filiique ac Spiritus sancti, non putativas vel quasi suspicabiles tantum, sed veras, subsistentes, coaeternas, coaequales credimus et consubstantiales. Alia est enim persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti. Sed Pater et Filius et Spiritus sanctus, non tres dii, sed unus est Deus. Nam Pater verus Deus, vere et proprie Pater est, qui genuit ex se, id est ex sua substantia, intemporaliter et sine initio verum Filium, coaeternum, consubstantialem et coaequalem sibi. Et Filius verus Deus, vere et proprie est Filius, qui ante omnia saecula genitus est de Patre intemporaliter et absque ullo initio. Lumen de lumine, Deus verus de Deo vero. Et nunquam fuit Pater sine Filio, nec Filius sine Patre. Pater etenim semper Pater est, erat, et erit. Et Filius semper Filius est, erat, et erit. Et nunquam non fuit Pater, quia nunquam non fuit Filius. Semper enim Pater, qui genuit sibi aequalem Filium. Semper quidem Filius, qui genitus est aequalis Patri. Spiritus namque sanctus verus Deus, vere et proprie Spiritus sanctus est, non genitus, nec creatus, sed ex Patre Filioque intemporaliter et inseparabiliter procedens. Consubstantialis, coaeternus, ac aequalis Patri Filioque semper est, erat, et erit. Et

nunquam fuit Pater aut Filius sine Spiritu sancto. Nec Spiritus sanctus sine Patre et Filio. Et id circo inseparabilia sunt semper opera Trinitatis, et nihil est in sancta Trinitate diversum aliquid aut dissimile vel inaequale. Non divisum naturaliter, non confusum personaliter, nihil maius aut minus. Non anterior, non posterior, non inferior, non superior. Sed una et aequalis potestas, par gloria, sempiterna et coaeterna consubstantialisque maiestas. Unum namque sunt essentialiter Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Et id circo unus est Deus, sed non unus, propter personarum discretionem, Pater et Filius et Spiritus sanctus. Verus enim Pater proprie Pater est, et non est Filius. Et verus Filius proprie Filius est, et non est Pater. Spiritus quoque sanctus proprie Spiritus sanctus est, et non est personaliter Pater, vel Filius, sed ex utroque procedit, et tamen non sunt tres dii, sed unus est Deus. Et in hac sancta Trinitate nihil quod absit aliquid putandum est visibile, corporale, palpabile, vel comprehensibile. Omnipotens namque sancta Trinitas, invisibilis, incorporalis, impalpabilis, incomprehensibilis, incircumscripta, infinita, immensa et sempiterna, omnia nutu et imperio suo gubernat. Nam etsi legitur oculus Domini vel brachium sive dextera, et cetera, non membrorum positionem, vel molem corporis, sed effectum summae et inenarrabilis divinae potentiae, integra rectae fidei credulitate debemus intelligere. Nam quia omnia videt, et omnia penetrat, et cuncta nuda et aperta sunt ante eum,

oculos habere dicitur, quia vero nos sua virtute creavit, regit, protegit et defendit, brachium vel dexteram habere perhibetur, et his similia.

De hac autem ineffabili Trinitate, sola Verbi Dei persona, id est, Filius, in ultimis diebus propter nos et propter nostram salutem, secundum propositum secretae dispensationis arbitrium, descendit de caelis, unde nunquam recesserat. Incarnatus est de Spiritu sancto, et ex semper Virgine Maria verus homo factus est, verusque permanet Deus. Nec obfuit humana et temporalis nativitas divinae illi et intemporali nativitati, sed in una Christi Iesu persona verus Dei verusque hominis filius. Non alter hominis filius, et alter Dei, sed unus idemque Dei hominisque filius, in utraque natura, divina scilicet et humana, Deus verus et homo verus. Non putativus Dei filius, sed verus, non adoptivus, sed proprius, quia nunquam fuit propter hominem quem assumpsit, a Patre alienus. Solus enim sine peccato natus est homo, quoniam solus est incarnatus de Spiritu sancto et immaculata virgine novus homo. Consubstantialis Deo Patri in sua, id est, divina, consubstantialis etiam Matri, sine sorde peccati, in nostra, id est, humana natura. Et ideo in utraque natura proprium eum et non adoptivum Dei Filium confitemur, quia inconfusibiliter ac inseparabiliter, assumpto homine, unus idemque est Dei et hominis filius. Naturaliter Patri secundum divinitatem,

naturaliter matri secundum humanitatem, proprius tamen Patri in utroque, quoniam, sicut dictum est, non sunt duo filii, alter Dei, et alter hominis, sed unus Christus Iesus propter unam personam Dei et hominis filius, Deus verus, et homo verus, in anima rationali et vera carne. Perfectus homo secundum humanitatem, perfectus Deus secundum divinitatem. Qui in eadem natura, id est, humana, quam sumpsit ex Virgine, humanas pertulit infirmitates, non fragilitatem peccandi, sed in eadem dignatus est crescere per incrementa temporis, esurire, sitire, fatigari, contumelias et opprobria sustinere. Dignatus est flagellari, crucis patibulum subire, lanceam in latere excipere, clavis transfigi, fel et acetum gustare. In eadem dignatus est mori, sepeliri, ad inferos descendere, tertia die resurgere, cum discipulis conversari, et post triumphum victricis gloriae eamdem humanam naturam, ascendendo super omnes caelos, exaltatam super omnes angelos, in Patris dextra collocavit. In eadem iterum venturus est iudicare viuos et mortuos, et saeculum per ignem, redditurus unicuique secundum opera sua, impiis utique supplicium sempiternum, iustis vero vitam aeternam. Divina autem illa ineffabilis natura, in qua Deus est aequalis Patri sanctoque Spiritui, impassibilis, immutabilis, inconvertibilis, ubique praesens, semperque omnipotens, inviolata permanens, in qua regnat in unitate et Trinitate cum Patre et sancto Spiritu, et nunc, et semper, et per cuncta saecula saeculorum. Amen.

Professio Fidei Carolus Magnus Rex Francorum et Longobardorum

Council of Frankfort

794

Hadrianus PP I

Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem caeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Credimus et in unum Dominum nostrum Iesum Christum, Filium Dei unigenitum, natum ex Patre ante omnia saecula, et ante omnia tempora, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, natum, non factum, naturalem, non adoptivum, per quem omnia condita sunt, caelestia et terrestria, unius essentiae et unius substantiae cum Patre. Credimus et in Spiritum sanctum, Deum verum, vivificatorem omnium, a Patre et Filio procedentem, cum Patre et Filio coadorandum et conglorificandum. Credimus eamdem sanctam Trinitatem, Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, unius esse substantiae, unius potentiae et unius essentiae tres personas, et singulam quamque in Trinitate personam plenum Deum, et totas tres personas unum Deum omnipotentem, Patrem ingenitum, Filium genitum, Spiritum sanctum procedentem ex Patre et Filio, nec Patrem aliquando coepisse, sed sicut semper est Deus, ita semper et Pater est, quia semper habuit Filium. Aeternus Pater, aeternus Filius, aeternus et Spiritus sanctus ex Patre Filioque procedens, unus Deus

omnipotens, Pater et Filius et Spiritus sanctus ubiquepraesens, ubique totus, Deus aeternus, ineffabilis, incomprehensibilis. In qua sancta Trinitate nulla est persona vel tempore posterior, vel gradu inferior, vel potestate minor, sed per omnia aequalis Patri Filius, aequalis Patri et Filio Spiritus sanctus divinitate, voluntate, operatione et gloria. alius tantummodo in persona Pater, alius in persona Filius, alius in persona Spiritus sanctus. Non aliud, sed unum natura, potentia et essentia Deus Pater, et Filius, et Spiritus sanctus.

Credimus ex hac sancta Trinitate Filii tantummodo personam, pro salute humani generis de Spiritu sancto et Maria virgine incarnatam, ut qui erat de divinitate Dei Patris Filius, esset et in humanitate hominis matris Filius, perfectus in divinitate Deus, perfectus in humanitate homo, Deus ante omnia saecula, homo in fine saeculi, verus in utraque substantia Dei Filius, non putativus, sed verus, non adoptione, sed proprietate, una persona Deus et homo, unus mediator Dei et hominum, in forma Dei aequalis Patri, in forma servi minor Patre, in forma Dei creator, in forma servi redemptor. Unus in utroque Dei Filius proprius et perfectus, ad implendam humanae salutis dispensationem, passus est vera carnis passione, mortuus vera corporis sui morte, surrexit vera carnis suae resurrectione, et vera animae resumptione, et eodem corpore, quo passus est, et resurrexit, ascendit ad caelos, sedens in dextera Dei Patris, et in

eadem forma, qua ascendit, venturus iudicare vivos ac mortuos, cuius regni non erit finis.

Praedicamus unam sanctam Dei Ecclesiam toto orbe diffusam, locis separatam, fide et charitate coniunctam, et veram remissionem peccatorum in eadem Ecclesia, sive per baptismum, sive per poenitentiam, divina donante gratia, et bona voluntate hominis cooperante. Credimus et omnes homines resurrecturos esse, et singulos secundum sua opera iudicari, impios aeternis suppliciis damnandos cum diabolo et angeli eius, sanctos vero aeterna gloria coronandos, cum Christo et sanctis angelis eius in saecula sempiterna.

Haec est fides catholica, et ideo nostra, optamus etiam et vestra, quia una est fides, et unum baptisma, et unus Dominus noster Iesus Christus, qui est Deus verus, et verus homo, verus Deus, et verus Dei Filius, in utraque natura unus idemque mediator Dei et hominum homo Iesus Christus, qui est Deus benedictus in saecula.

Professio Fidei Eadwulf Episcopus Lindissi

Eadwulf, Bishop of Lindsey

796

Leo PP III

Credo Deum Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, atque in Trinitate Deum plenum confirmans et totas tres personas unum Deum, incarnationem quoque Divinam non in Patre factam neque in Spiritu Sancto sed in Filio tantum, ut qui erat in Divinitate Dei Patris Filius, ipse fieret in homine hominis matris Filius, Deus verus ex Patre, homo verus ex matre, qui est unus Deus, creator omnium quae sunt cum Patre et Spiritu Sancto. Qui passus est vera carnis passione et resurrexit vera carnis resurrectione et animae resumptione, in qua veniet iudicare vivos ac mortuos iudicio perenni. Hoc absque ambiguitate credo, hoc laudo, hoc confiteor et per populos praedicare desidero.

Professio Fidei Deneberti Episcopi Vicciorum

Denebert, Bishop of Worcester

798

Leo PP III

Ego autem iuxta ritum sacri nostri canonis et secundum ecclesiasticam regulam, quemadmodum virium possibilitas permittit, omnem obedientiae famulatum cum intima cordis devotione, una cum omnibus qui mecum sunt in Domino, tuis piis praeceptis exhibiturum esse, veridico fine tenus profiteor ore, insuper et orthodoxam catholicam apostolicamque fidem sicut didici, paucis exponam verbis, quia scriptum est quicunque vult salvus esse ante omnia opus est illi ut teneat catholicam fidem. Fides autem catholica haec est, ut unum Deum in Trinitate et Trinitatem in Unitate veneremur, neque confundentes personas neque substantiam separantes. Alia enim est persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti. Sed Patris et Filii et Spiritus Sancti una est Divinitas, aequalis gloria, coaeterna Maiestas. Pater a nullo factus est, nec creatus, nec genitus. Filius a Patre solo est, non factus, nec creatus sed genitus. Spiritus Sanctus a Patre et Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens. In hac Trinitate nihil prius aut posterius, nihil maius aut minus, sed totae tres personae coaeternae sibi sunt et coaequales. Ita ut per omnia sicut supra dictum est, et

Trinitas in Unitate et Unitas in Trinitate veneranda sit. Suscipio etiam decreta pontificum, et sex synodos catholicas antiquorum heroicorum virorum, et praefixam ab eis regulam sincera devotione conservo. Haec est fides nostra, evangelicis et apostolicis traditionibus atque auctoritate firmata, et omnium quae in hoc mundo sunt catholicarum Ecclesiarum societate fundata, in qua nos per gratiam Dei omnipotentis permanere usque ad finem vitae huius confidimus et speramus. Amen.

Confessio Fidei Catholicae quam a Sanctis Patribus Accepimus Tenemus et Puro Corde Credimus

…

circa 800

…

Credimus in Deum Patrem omnipotentem, cunctorum visibilium et invisibilium conditorem. Credimus et in Dominum nostrum Iesum Christum per quem omnia creata sunt, verum Deum, unigenitum, et verum Dei Filium, non factum aut adoptivum, sed genitum et unius cum Patre substantiae, atque ita per omnia aequalem Deo Patri, ut nec tempore nec gradu nec potestate esse possit inferior, tantumque esse confitemur illum qui est genitus quantus est ille qui genuit. Non autem quia dicimus genitum a Patre Filium, divinae et ineffabili generationi aliquod tempus ascribimus, sed nec Patrem aliquando coepisse nec Filium, non enim aliter confiteri possumus aeternum Patrem, nisi confiteamur etiam coaeternum Filium, ex Filio enim Pater dicitur, et qui semper Pater fuit, semper habuit Filium. Credimus et in Spiritum sanctum, Deum verum ex Patre et Filio procedentem, aequalem per omnia Patri et Filio, voluntate, potestate, aeternitate, substantia, nec est prorsus aliquis in Trinitate gradus, nihil quod inferius superiusve dici possit, sed tota Deitassui perfetione aequalis est, ut exceptis vocabulis quae proprietatem

personarum indicant, quidquid de una persona dicitur, de tribus dignissime possit intelligi, atque ut confundentes Arium unam eamdemque dicimus Trinitatis esse substantiam, et unum in tribus personis fatemur Deum, ita impietatem Sabellii declinantes, tres personas expressas sub proprietate disiungimus, non ipsum sibi Patrem, ipsum sibi Filium, ipsum Spiritum sanctum esse dicentes, sed aliam Patris, aliam Filii, aliam Spiritus sancti esse personam. Non enim nomina tantummodo, sed etiam nominum proprietates, id est personas, vel, ut Graeci exprimunt, ὑποστάσεις, hoc est subsistentias, confitemur. Nec Pater Filii aut sancti Spiritus personam aliquando excludit, nec rursus Filius aut Spiritus sanctus Patris nomen personamque recipit, sed Pater semper Pater est, Filius semper Filius, Spiritus sanctus semper Spiritus sanctus, itaque substantia unum sunt, personis ac nominibus distinguuntur. Ipsum autem Dei Filium, qui absque initio aeternitatem cum Patre et Spiritu sancto possidet, dicimus in fine saeculorum perfectum naturae nostrae hominem suscepisse ex Maria semper virgine, et Verbum carnem esse factum assumendo hominem, non permutando deitatem, nec, ut quidam sceleratissime opinantur, Spiritum sanctum dicimus fuisse pro semine, sed potentia ac virtute Creatoris operatum. Sic autem confitemur in Christo unam Filii esse personam, ut dicamus duas perfectas atque integras esse substantias, id est, deitatis et humanitatis, quae ex anima continetur

et corpore, atque ut condemnamus Photinum qui solum et nudum hominem confitetur in Christo, ita anathematizamus Apollinarem et eius similes, qui dicunt Dei Filium minus aliquid de humana suscepisse natura, et vel in carne vel in anima, vel in sensu assumptum hominem his propter quos assumptus est fuisse dissimilem, quem absque sola peccati macula quae naturalis non est nobis confitemur esse conformem. Illorum quoque similiter exsecramur blasphemiam, qui novo sensu asserere conantur a tempore susceptae carnis omnia quae erant deitatis in hominem demigrasse, et rursum quae erant humanitatis in Deum esse transfusa, ut quod nulla unquam haeresis dicere ausa est videatur hac confusione, utraque exinanita substantia scilicet deitatis et humanitatis, et a proprio statu in aliud esse mutata, qui tam Deum imperfectum in Filio quam hominem confitentur, ut nec Deum vere nec hominem tenere credantur. Nos autem ita dicimus, susceptum a Dei Filio passibile nostrum, ut deitas impassibilis permaneret. Passus enim Filius non putative sed vere, omnia quae Scriptura testatur, id est esuriem, sitim, lassitudinem, dolorem, mortem et caetera huiusmodi secundum illud passus est quod pati poterat, id est, non secundum illam substantiam quae assumpsit, sed secundum illam quae assumpta est. Ipse enim Dei Filius secundum deitatem suam impassibilis est ut Pater, incomprehensibilis ut Pater, invisibilis ut Pater, inconvertibilis ut Pater. Et quamvis propria persona Filii, id

est, Dei Verbum suscepit passibilem hominem, ita tamen eius habitatione secundum suam substantiam deitas Verbi nihil passa est, ut tota Trinitas quam impassibilem necesse est confiteri. Mortuus est ergo Dei Filius secundum Scripturas, iuxta id quod mori poterat, resurrexit tertia die, ascendit in caelum, sedet ad dexteram Dei Patris manente ea natura carnis in qua natus et passus est, in qua etiam resurrexit. Non enim exinanita est humanitatis substantia, sed glorificata, in aeternum cum deitate mansura. Accepta ergo a Patre potestate omnium quae in caelo sunt et in terra, venturus est ad iudicium vivorum ac mortuorum, ut et iustos remuneret et puniat peccatores. Resurrectionem carnis ita credimus ut dicamus nos in eadem in qua nunc sumus veritate membrorum esse reparandos, qualesque semel post resurrectionem fuerimus effecti in perpetuo mansuros, unam esse vitam sanctorum, sed praemia pro labore diversa, e contrario pro modo delictorum peccatorum quoque esse supplicia. Baptisma unum tenemus, quod hisdem sacramenti verbis in infantibus quibus etiam in maioribus esse celebrandum. Hominem si post baptismum lapsus fuerit, per poenitentiam credimus posse salvari. Novum et Vetus Testamentum recipimus in eorum librorum numero quem sanctae catholicae Ecclesiae tradidit auctoritas. Animas a Deo dari credimus quas ab ipso factas dicimus, anathematizantes eos qui animas quasi partem Dei divinae dicunt esse substantiae. Eorum quoque condemnamus

errorem qui eas ante peccasse vel in caelis conversatas fuisse dicunt quam in corpora mitterentur.

Exsecramur etiam eorum blasphemiam qui dicunt impossibile aliquid homini a Deo esse praeceptum, et mandata Dei non a singulis, sed ab omnibus in commune posse servari, vel qui primas nuptias cum Manichaeo, aut secundas cum Cataphrygis damnant. Anathematizamus etiam illos qui Dei Filium necessitate carnis mentitum esse dicunt, et eum propter assumptum hominem non omnia facere potuisse quae voluit. Ioviniani quoque damnamus haeresin, qui dicit nullam in futuro meritorum esse distantiam, nosque eas ibi habituros virtutes quas hic habere neglexerimus. Liberum sic confitemur arbitrium ut dicamus nos semper Dei indigere auxilio, et tam illos errare qui cum Manichaeo dicunt hominem peccatum vitare non posse, quam illos qui cum Ioviniano asserunt hominem non posse peccare, uterque enim tollit arbitrii libertatem. Nos vero dicimus hominem semper et peccare et non peccare posse, ut semper nos liberi confiteamur esse arbitrii. Haec est catholicae traditionis fidei vera integritas, quam sincero corde credimus et fatemur, et in hoc opere beati Hieronymi verbis expressam taxavimus. Haec est vera fides, hanc confessionem conservamus atque tenemus, quam quisque inconvulse et intemerate custodierit, perpetuam salutem habebit.

Professio Fidei ex Liber Diurnus Romanorum Pontificium

…

before 800

…

First Text

In nomine sanctae et individuae Trinitatis, Amen. Ego N. sanctae Romanae Ecclesiae Diaconus vel Presbyter, vel Episcopus Cardinalis electus, ut fiam per Dei gratiam huius sanctae Apostolicae sedis humilis minister, profiteor tibi, beate Petre Apostolorum Princeps, cui claves regni caelestis ad ligandum atque solvendum in caelo et in terra creator et redemptor Dominus noster tradidit, inquiens, Quaecumque ligaveris super terram, erunt ligata et in caelo, et quaecumque solveris super terram, erunt soluta et in caelis, sanctaeque tuae Ecclesiae, quam hodie tuo praesidio regendam suscipio, quod quamdiu in hac misera vita constitutus fuero, ipsam non deseram, non relinquam, non abnegabo, non abdicabo aliquatenus, nec ex quacumque causa, cuiuscumque metus vel periculi occasione dimittam, nec me segregabo ab ipsa.

Sed verae fidei rectitudinem, quam Christo auctore tradente per te, et beatissimum tuum coapostolum Paulum, et per discipulos

successores vestros usque ad exiguitatem meam prolatam in tua sancta Ecclesia reperi totis conatibus usque ad sanguinem custodire.

Tam de sanctae et individuae Trinitatis mysterio, quae est unus Deus, quam de dispensatione, quae secundum carnem facta est, unigeniti Filii Dei Domini nostri Iesu Christi, et de caeteris Ecclesiae dogmatibus, sicut in universalibus Conciliis, et Constitutionibus Apostolicorum Pontificum, probatissimorumque Ecclesiae Doctorum scriptis sunt commendata, id est, quae ad rectitudinem nostrae vestraeque orthodoxae fidei, a te traditae, respiciunt, conservare.

Sanctaque octo universalia Concilia, id est, Nicaenum, Constantinopolitanum, et Ephesinum primum, Chalcedonense, quintum quoque et sextum item Constantinopolitana, et septimum item Nicaenum, octavum quoque Constantinopolitanum, usque ad unum apicem, immutilate servare. Et pari honore et veneratione digna habere, et quae praedicaverunt et statuerunt, omnimode sequi et praedicare, quaeque condemnaverunt, condemnare ore et corde.

Diligentius autem et vivacius, quamdiu vixero, omnia decreta canonica praedecessorum Apostolicorum nostrorum Pontificum, quaecumque ipsi Synodaliter statuerunt et probata sunt. Confirmare

et indiminuta servare, et sicut ab eis statuta sunt, in sui vigoris stabilitate custodire, quaeque vel quoscumque condemnaverunt, vel abdicaverunt, simili sententia condemnare vel abdicare.

Disciplinam et ritum, sicut invenimus a sanctis praedecessoribus meis canonice traditum, quamdiu vita in istis comes fuerit, illibate custodire.

Et indiminutas res Ecclesiae conservare, neque alienare, seu in feudum, censum, vel emphytheusim dare, quomodolibet, ex quacumque causa, et ut indiminutae custodiantur, operam dare.

Nihil de traditione, quam a probatissimis praedecessoribus meis canonice traditam et servatam reperi, diminuere vel mutare, aut aliquam novitatem admittere, sed ferventer, ut eorum discipulus et sequipeda, totis mentis meae conatibus, quae tradita canonice reperio, servare et venerari.

Si qua vero emerserint contra canonicam disciplinam, communicatione filiorum meorum sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium cum quorum consilio, directione, et rememoratione ministerium meum geram et peragam, emendare, aut patienter, excepta fidei et christianae religionis gravi offensione, tua et

beatissimi tui coapostoli Pauli procurante intercessione, tolerare, sacrosque canones et sacrorum Pontificum decreta, ut divina et caelestia mandata, Deo auxiliante, custodire, utpote Deo et tibi sciens me redditurum de omnibus, quae profiteor et quamdiu vixero, egero, vel obliviscar, districtam in divino iudicio rationem, cuius sanctissimae sedi divina dignatione, te patrocinante, praesideo, et vicem intercessionibus tuis adimpleo.

Eris autem mihi in illa terribili die haec conanti et diligenter servare conanti propitius. Adiutorium quoque ut praebeas obsecro in hac corruptibili vita constituto, ut irreprehensibilis appaream ante conspectum iudicis omnium Domini nostri Iesu Christi, dum terribiliter de commissis advenerit iudicare, ut faciat me dextrae partis participem, et inter fideles discipulos et successores tuos esse consortem.

Hanc autem professionem meam, per notarium et scriniarium sanctae Romanae Ecclesiae me iubente scriptam, propria manu subscripsi, et tibi, Apostole Petre, et Apostolorum omnium Principi, pura mente et devota conscientia, super sanctum corpus tuum, et altare tuum sinceriter obtuli.

Second Text

Apostolicae sedis officium, dilectissimi, ad quod, superna gratia ita providente ac suffragante, pervenimus, cum tanto cordis stupore ac humilitate nos suscipere debere perpendimus, quantum ad eius accessum nostram pusillitatem incomparabiliter imparem esse cognoscimus, quia neque pro meritis praecedentibus hoc nobis collatum advertimus, neque propter solertiam gubernandi commissum fuisse permittimus. Sed clementissimi Dei nostri misericorditer inclinata sublimitas hoc fieri vestris obsecrationibus annuit, et eligentium nos atque concurrentium sententiam, tanquam iugum piae nobis dispensationis, impressit.

Id circo, carissimi, pusillanimitatem, quam in nobis aspicitis, crebris orationibus adiuvate, pro nobis apud Dei clementiam cum fletibus intercedite, ut impotentiam quae in nobis est, Dei nostri omnipotentia roboret, et qui omnes filii sui pretioso sanguine dignatus est redimere, etiam nostrae fragilitatis officium placatus dignetur aspicere.

Verum etsi virtutum indoles nequaquam in nobis est, Evangelicae tamen atque Apostolicae fidei salutaris integritas inlibata atque perfecta, Christo annuente, et nunc in nobis est, et eadem fine tenus permanebit.

Quamquam ergo merita Pontificum praedecessorum, nec imitari possumus, nec condigne pensare, horum tamen spiritales regulas medullitus conservamus, et salutiferis sanctorum Patrum doctrinis innitimur, hisque tanquam inexpugnabili muro praecincti, confidimus, cuncta inimicorum fidei tela destruere, et veritatem oppugnantes mentes, eorum et praesidio et autoritate prosternere.

Horum traditionibus iuxta capacitatem instructi, devota menteomni Ecclesiae profitemur, et coram Deo conscientiarum teste satisfacimus, quaecumque ad stabilitatem Christianae religionis et rectitudinem Catholicae fidei congruunt, quod et fidelium de nobis expectat optatus, et audire designat intuitus, nos facturos.

Cognoscat itaque vestra dilectio, et integra nos satisfactione praedicare, tenere, ac defendere, praedicaturosque esse confidat fidem Christi, quam Apostoli tradiderunt, Apostolorum discipuli docuerunt, eorumque successores Apostolici nostri ac probatissimi praedecessores immutabiliter servaverunt ac defenderunt.

Etenim huius Apostolicae traditionis normam inviolabiliter custodiemus, quam venerandum sanctorum trecentorum decem et octo Patrum Concilium, quod in Nicaea, sub magno Principe Constantino, convenit, Dei gratia revelante, redegit in Symbolum, et

consubstantialem Patri Filium praedicavit, et Verbum Dei Deum verum esse confirmans Dominum nostrum Iesum Christum, Arium deitatem blasphemantem, cum suis consortibus expulit, et ut diaboli ministros aeterno anathemate condemnavit.

Dehinc secundum Constantinopolitanum adaeque sanctum, centum quoque quinquaginta Patrum, concilium, sub imperialis memoriae maiore Theodosio, in Regiam urbem concurrens, quod Symbolo deesse putabatur, exposuit, et gratia Spiritus sancti inlustrante, Deum esse Spiritum sanctum, Patrique et Filio, utpote consubstantialem, coadorandum annexit, unde Macedonium rebellem Spiritus sancti, et Apollinarem cum suis sacrilegis complicibus, perpetui anathematis censura prostravit.

Per haec duo sacra Concilia sanctam et insepabilem Trinitatem, unum Deum, unamque Trinitatis substantiam esse cognoscimus, Trinitatemque in unitate, et unitatem in Trinitate palam praedicare didicimus, ut unum Deum, propter unitatem essentiae, fateamur, et Trinitatem inseparabilem, propter substantiarum atque personarum differentiam, doceamus, dum de Patre Filius aeternaliter nascitur, Spitus sanctus de Patre procedere confirmatur, eundem Dei Filius de suo accipere perhibet, et in nomine suo mitti a Patre Spiritum sanctum manifestat, et insufflando discipulis, Accipite Spiritum

sanctum, ut potede se procedentem, adnuntiat, et in caelos ascendens, ut promiserat, Paraclitum ad discipulos mittit.

Ex hoc ergo vivaciter edocemur, et unicam divinitatis essentiam, et propter inconfusas subsistentiarum proprietates, Trinitatem praedicare perfectam. Patris igitur et Filii et Spiritus sancti, sicut una vere est divinitas, ita una est gloria, imperium, maiestas, virtus, atque potentia, una quoque eorum naturalis voluntas, et una est operatio.

Quibus duobus universalibus venerandisque Conciliis Tertium generale ducentorum sanctorum Patrum accessit Concilium, quod sub principalis quidem memoriae Theodosio Augusto factum est, ex auctoritate tamen Coelestini Apostolicae sedis Antistitis, cum beato Cyrillo Alexandrinae Ecclesiae Praesule, prius in Ephesinam urbem convenit, in quo unitio in Christo convenientium naturarum, id est, deitatis atque humanitatis in Christo connexio secundum subsistentiam, salubriter praedicata est, et profanus hominicola Nestorius dominicae dispensationi infestus, utpote qui adorandae Incarnationis arcanum, Deum ab homine separando, disiunxerat, et sanctam virginem Mariam Dei genitricem blasphemis vocibus obiurgabat,per duodecim veneranda capitula, multiplici anathemate in perpetuam condemnationem cum sociis suis deiectus est,

confiteri veraciter nolens, quod Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, id est, Deus Verbum, idemque Filius Dei, pro nobis factus est homo,id quod erat manens, factus est quod non erat, et quia simul caro, simul Verbi caro animata anima rationali, in Verbo quippe hoc ipsum subsistere habuit.

Pro huiusmodi ergo de incarnatione Dei Verbi regulis explanandis, etiam Quartum sanctum sexcentorum triginta Patrum sanctorum Concilium, sub augustae memoriae Marciano Imperatore, in Chalcedona concurrit, cui Apostolicus Papa Leo per Legatos et Vicarios praefuit, cuius, Dei gratia reserante,venerabili tomo firmati Patres sententialiter promulgaverunt, ex duabus et in duabus naturis, sive substantiis, id est, deitate atque humanitate, unum eundemque Filium Dei Dominum Iesum Christum, et quod in nullo perempta sit differentia naturarum, magis autem, salva proprietate, utraque natura in unam personam atque subsistentiam concurrerit, etenim ex quibus eum veraciter subsistere credimus, in eisdem inconfuse inseparabiliter et indivise, et esse, et contemplari nihilominus praedicamus. Quibus acquiescere nolentes blasphemus Dioscorus, simul et delirus Eutyches, anathematis iusti censura, cumfautoribus suis, percussi sunt.

Haec igitur sancta atque universalia quatuor Concilia, etiam sanctum Quintum Concilium venerandum assecutum est, et sub piae memoriae Iustiniano Principe, apud Constantinopolitanam urbem est congregatum, cuius salutari consultu,unus esse de sancta Trinitate Dominus noster Iesus Christus veraciter praedicatus est, et confundentes ac dividentes sacrae eius incarnationis arcanum, istius vocis spirituali mucrone prostrati sunt.

In hoc Origenes, cum impiis discipulis et sequacibus, Didymo et Evagrio, et qui creatorem omnium Deum et omnem rationalem eius creaturam gentilibus fabulis prosecuti sunt, aeternae sunt condemnationi submissi.

In eo Theodorus Mopsuestenus autor Nestorii, pariterque Diodorus, et omnes execrandae divisionis discipuli, qui et Semi-Nestoriani vocati sunt, sub anathematis aeterna censura ab Ecclesia Dei proiecti sunt. Cum his et epistola, quae Ibae dicitur ad Marim Persam, et scripta Theodoriti adversus beatissimum Cyrillum, cum condemnatione proiecta sunt.

In hoc Severus Acephalus, cum Petro et Zoara, caeterisque eorum impiae confusionis consortibus atque sequacibus, perpetua condemnatione prostrati sunt, et omnes qui ex duabus et in duabus

naturis sive substantiis, cum earum proprietatibus, unum eundemque Dominum nostrum Iesum Christum Filium Dei cognoscere renuunt. Qui cum Deus sit consubstantialis Patri atque coaeternus, propter nos nostramque salutem descendit de caelo, et incarnatus est de Spiritu sancto, id est, operatione sancti Spiritus virgo Dei filium concepit, carne animam habente rationalem atque intellectualem, in qua carne et crucifixus est, et mortuus est, et tertia die, sicut voluit, resurrexit a mortuis, mortis nostrae dissolvens imperium, in qua carne, quam ex nobis assumpsit absque solo peccato, sedet ad dexteram Patris, in ea venturus iudicare vivos et mortuos, cuius regni non erit finis.

Inter haec veneranda universalia quinque Concilia etiam sanctum Sextum Concilium universale centum septuaginta quinque venerabilium Praesulum praedicamus, quod favente Deo, et votumpiae memoriae magni Principis nostri Domini Constantini clementer implente, in Urbe regia, eo praesidente, celebratum est, cui Apostolicae recordationis Agatho Papa per Legatos suos et Responsales praefuit, cuius venerabilem tomum celebriter assequentes, eos qui novo et haeretico dogmate immaculatam Dei Ecclesiam polluere nitebantur, et errasse manifestius probaverunt, et cum sui errorisautoribus, atque fautoribus, perpetuo anathemate damnaverunt.

Recte atque veraciter statuentes, sicut duas unius Domini nostri Iesu Christi naturas, id est, deitatem et humanitatem, cuius duas nativitates esse cognoscimus, de Patre videlicet, ex aeterno, de matre, de qua humanitas ei accessit, ex tempore, ita duas quoque substantias unius eiusdemque personae confitemur, iuxta subsistentiam unitas, ex quibus et in quibus idem Dominus noster Iesus Christus Filius Dei, et adnuntiatur, et creditur, quia totus Deus totus factus est homo, et in suis integer manens, etiam in nostris perfectus apparuit, absque solo peccato, quia in se salvare totum hominem venerat, ita quoque et duas naturales habere voluntates, duasque naturales operationes, secundum sanctorum Patrum doctrinam, decreverunt.

Autores vero novi haeretici dogmatis Sergium, Pyrrhum, Paulum, et Petrum Constantinopolitanos, una cum Honorio, qui pravis eorum assertionibus fomentum impendit, pariterque et Theodorum Pharanitanum, et Cyrum Alexandrinum, cum eorum imitatoribus, simulque et hos, qui haeretica dogmata contra veritatem fidei synodaliter declaratam atque praedicatam, pertinaciter defendebant.

Pessimum etiam et Deo odibilem Macarium cum eius discipulo, et magistro impietatis, Stephano, et Polychronio deliro sene, novo Simone, cum omnibus haereticis scriptis atque sequacibus nexu perpetui anathematis devinxerunt, qui unam execrabiliter asserebant voluntatem, et unam operationem in Christo, quam neque divinam, neque humanam, neque inconditam, neque conditam poterant demonstrare, sed velut confusam atque congregatam. Sicut de naturis impius Eutyches, ita de naturalibus voluntatibus atque operationibus Christi, iuxta haereticorum praestigias, nitebantur defendere.

Sed et eos, qui unam simul et duas voluntates et operationes in Christo dicere praesumebant, sive nec unam, nec duas, vel qui proprietates naturarum Christi confundere vel extinguere nisi sunt, vel nituntur, pari cum eis anathemate multaverunt.

Propterea quosquos, vel quaeque sancta sex universalia Concilia abiecerunt, simili etiam nos condemnatione percellimus anathematis,

Cum supra fatis haereticis, Sabellium, Paulum Samosatenum, Marim Persam, Montanum, Donatum, Eunomium, Novatum, Sabbatium, Acacium, Anthimum, Iulianum Halicarnasseum, Theodosium,

Gaianum, Priscillianum, Pelagium, Caelestium, et Iulianum eorum discipulum, et cum eis simul omnes haereticos eorumque simul sequaces execramur ac condemnamus.

Quosque vero, vel quaeque eadem sex sancta Concilia susceperunt, ut rectae fidei consortes suscipimus, et cum eadem reverentia ore et corde veneramur.

Sed et hoc vestrae caritati, Christo annuente, pollicemur, cuncta, quae huius Apostolicae sedis praefati Pontifices Apostolici praedecessores nostri synodaliter statuerunt, cum toto mentis studio et puritate nos esse conservaturos, et ad defendendam rectae fidei puritatem, eorumdem praesidio, coram hominibus esse sequipedam.

Unde et districti anathematis interdictioni subiicimus, si quis unquam, seu nos, sive est alius, qui novum aliquid praesumat contra huiusmodi evangelicam traditionem, et orthodoxae fidei Christianaeque religionis integritatem, vel quidquam contrarium annitendo immutare, sive subtrahere de integritate fidei nostrae tentaverit, vel ausu sacrilego hoc praesumentibus consentire.

Ut sinceritas perfectae nostrae fidei vestrae caritati manifestius clareat, praesentem nostrae professionis paginam per illum notarium scriptam, cum nostrae manus subscriptione, coram omnibus relectam, in confessione beati Petri Apostolorum Principis, deposuimus, tanquam ipso testificante de puritate conscientiae nostrae, cui claves ligandi atque solvendi in terra et in caelo omnium Salvator et Dominus tradidit.

Ille gratia Dei Episcopus sanctae catholicae et Apostolicae Ecclesiae urbis Romae huic professioni rectae et orthodoxae fidei, sicut superius legitur, subscripsi, eamque ad corpus tuum, beate Petre Apostole, obtuli consolidandam.

Third Text id est After Ordination

Credimus in unum Deum, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, Trinitatem inseparabilem, Patrem scilicet ex quo omnia, Filium per quem omnia, Spiritum Sanctum in quo omnia, Patrem quidem ingenitum, Filium autem ex Patre unigenitum, Spiritum vero Sanctum nec genitum nec ingenitum sed de Patre Filioque procedentem, unam sanctae Trinitatis essentiam, unam virtutem, unam dominationem, unam naturalem voluntatem atque operationem unam. Trinitatis nomine credentes baptizati sumus, et credendum fideliter praedicamus, unum igitur sanctae Trinitatis,

hoc est Dei Verbum, qui natus est de Patre ante omnia saecula, eundem in ultimis temporibus descendisse de caelis, incarnatum esse de Spiritu Sancto et de semper virgine beata Dei genitrice Maria, et humanatum, consubstantialem Patri secundum deitatem, et consubstantialem eundem nobis secundum humanitatem, de Patre quidem natum sine tempore et aeterne, de matre autem absque semine in tempore, unde et duas eius nativitates praedicamus, unum eundemque Dei Filium, eundemque hominis filium, ex duabus et in duabus naturis, hoc est divina et humana, incondita et condita, impassibilem et passibilem, in unam personam atque subsistentiam concurrentibus, et in sua proprietate inconfusae et immutabiliter eisdem naturis manentibus, ex quibus et ineffabilis adunatio facta est, Deus Verbum, mediante rationali anima carni quam de sancta et immaculata virgine assumpsit. Qua de re vere ac proprie Theotokon, id est Dei genitricem sanctam semperque virginem praedicamus, eo quod unum eundemque Deum et Dominum lesum Christum genuit, non in duas personas duosve filios partitum, sed eundem, deitate quidem impassibilem, passum autem carne, crucifixum et sepultum carne, resurrexisse et ascendisse in caelis carne, unde nunquam de divinitate discessit, sedentem ad dexteram Patris in eadem carne, et ita venturum iudicare vivos et mortuos, et sic semper in eadem carne mansurum. Propterea detestamur eos atque condemnamus, quicumque ante

adunationem duas naturas et post adunationem unam Christi naturam errantes adseverant, nec non et illos qui in duas personas vel duos filios unum Dominum nostrum Iesum Christum dividentes blasphemant. Nos igitur in omnibus sequentes sanctarum quinque synodorum instituta nec non et probabilium catholicae ecclesiae patrum atque doctorum venerabiles traditiones, confitemur atque praedicamus iuxta duarum Christi naturarum proprietates, ita nihilominus et duas naturales voluntates atque operationes unius eiusdemque Domini nostri Iesu Christi.

Ad haec quoque profitemur etiam cuncta decreta pontificum apostolicae sedis praedecessorum meorum, praesertim quae a sanctae memoriae Martino universali papae ad confirmationem praedictarum quinque synodorum definita sunt atque decreta, in omnibus custodire, maxime quae adversus novas promulgata sunt quaestiones, quibus zizaniorum scandala huc atque illuc dessiminata sunt. Quorum sanctorum patrum et apostolicae sedis pontificum auctoritate moniti ac freti, quae vel synodice susceperunt, vel praedicaverunt, sine aliqua diminutione suscipimus et praedicamus, simili modo et quaeque damnaverunt, cum suis auctoribus et sectatoribus sub anathemate damnamus. Profitemur etiam nos, secundum illa quae a praedecessoribus meis statuta sunt, nunquam aliquod novi contra catholicam atque orthodoxam fidem

suscepturos, vel talia temerarie praesumentibus, si opportunum fuerit etiam mori, Dei gratia nos corroborante, quoquo modo consensum praebituros.

Ad haec vero suscipio et amplector et veneror definitionem, quam, Deo auspice, fecit sancta et universalis ac magna sexta synodus, quae nuper in regia Constantinopoli urbis, in qua et apostolicae sedis legatos praesidere manifestum est, quae et per decretum Christianissimi ac piissimi Deoque coronati Constantini principis congregata est, et quae suscepit, suscipio, et quae vel quos abiecit, abicio, similiter et quos anathematizavit atque damnavit, anathematizo et damno.

Professio Generalis Ordinandi Archiepiscopi

…

circa 800

…

Ego huius sedis ordinandus Archiepiscopus, et sacro ministerio vestro, sancti patres, praedicationis officium suscepturus, confiteor sanctam, atque ineffabilem Trinitatem, Patrem et Filium, et Spiritum sanctum, unum Deum naturaliter esse, unius substantiae, vnius naturae, unius maiestatis, atque virtutis. Dominum quoque nostrum Iesum Christum de Deo Patre ante tempora genitum, eundemque sub tempore de Spiritu sancto conceptum, et de Maria Virgine natum credo. Qui passus est pro redemptione humani generis, ad inferna descendit, indeque victor resurgens, et in caelos ascendens, venturus est in fine saeculi, ut reddat singulis, prout gesserunt in corpore positi, siue bonum, siue malum.

Praeterea constitutiones quatuor principalium Conciliorum, Nicaeni, Constantinopolitani, Ephesiní, et Calchedonensis, canones quoque Synodorum, et decreta, quae orthodoxa fides suscipit et complectitur, me suscipere, tenere, et praedicare velle confiteor. Haereses vero et schismata, quae catholica Ecclesia anathematizat, et quicquid sanae fidei adversatur, condemno, respuo,

anathematizo. Beato vero Petro, et vicario eius, debitam subiectionem et obedientiam, Suffraganeis vero nostris adiutorium me exhibiturum profiteer, et huic professioni meae, coram Deo et angelis, sub testimonio quoque praesentis Ecclesiae, subscribo.

Professio Fidei Alcuini Eboracensis

Alcuin of York

802

Leo III PP

First Text

Credimus sanctissimam Trinitatem, id est, Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, unum Deum omnipotentem, unius substantiae, unius essentia, unius potestatis, creatorem omnium creaturarum, a quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. Credimus Patrem a seipso, non ab alio, Filium a Patre genitum, Deum verum de Deo vero, lumen verum de lumine vero, non tamen duo lumina, sed unum lumen. Spiritum sanctum a Patre et Filio aequaliter procedentem, consubstantialem, coaeternum Patri et Filio. Pater plenus Deus in se, Filius plenus Deus a Patre genitus, Spiritus sanctus plenus Deus a Patre et Filio procedens. Non tamen tres deos dicimus, sed unum Deum omnipotentem, aeternum, invisibilem, incommutabilem, qui totus ubique est, totus ubique praesens, non per partes divisus, sed totus in omnibus non localiter, sed potentialiter. Qui sine communicatione sui, mutabilia creavit et creata gubernat, semper manens quod est. Cui nihil accidens esse poterit, quia simplici divinitatis naturae nil addi, vel minui potest, quia semper est quod est, cui proprium est, cui sempiternum est,

cui idem est, esse, vivere, et intelligere. Et haec tria unus Deus, et unus Deus haec tria, idem Deus et Dominus vera et sempiterna Trinitas in personis, vera et sempiterna unitas in substantia, quia una est substantia Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Haec vero sancta Trinitas, nil maius est in tribus personis simul nominatis quam in una qualibet persona semel dicta, quia unaquaeque persona plena est substantia in se, non tamen tres substantiae, sed unus Deus, una substantia, una potentia, una essentia, una aeternitas, una magnitudo, una bonitas Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Nec aliud est Pater in natura quam Filius vel Spiritus sanctus, nec aliud Filius, et Spiritus sanctus quam Pater in natura, quibus est una natura. Sed alius est Pater in persona, alius Filius in persona, alius Spiritus sanctus in persona. In Patre aeternitas, in Filio aequalitas, in Spiritu sancto aeternitatis aequalitatisque connexio. Unum omnes in substantia, et essentia, omnipotentia, et deitate. Sicut enim eadem sancta Trinitas inseparabilis est in substantia, ita inseparabilis est in operibus, quamvis quaedam opera Dei quibusdam personis specialiter conveniant, sicut Patri vox illa, quae de caelo sonuit super Christum baptizatum, et ad Filii personam humanitatis tantummodo pertinet susceptio, et Spiritus sancti personae proprie congruit illa columba, in cuius specie idem Spiritus sanctus descendit super eundem Filium Dei secundum hominem baptizatum, tamen absque omni dubitatione illam vocem, et illam

columbam, et Christi humanitatem tota sancta Trinitas operata est, cuius opera inseparabilia sunt.

Credimus eundem Filium Dei, Verbum Dei aeternaliler natum de Patre, consubstantialem Patri per omnia, temporaliter natum de Spiritu sancto et Maria semper virgine, duas habentem nativitates, unam ex Patre aeternam, alteram ex matre temporalem, qui etiam Filius Dei suae carnis conceptione conceptus est, et suae carnis nativitate natus est. Deum vero confitemur conceptum, et Deum verum natum, eundem verum Deum et verum hominem, unum Christum, unum Filium Dei unigenitum, proprium et perfectum in duabus naturis, in unius personae singularitate. Impassibilem et passibilem, mortalem atque immortalem, crucifixum in infirmitate nostra, eundemque semper viventem in virtute sua. Qui mortuus est carnis suae morte, et sepultus, atque ab inferis, damnato et spoliato principe totius iniquitatis, rediens, tertia die resurrexit, atque cum triumpho gloriae videntibus discipulis caelum ascendit, sedens in dextera Patris, id est, maiestate divinitatis. Inde iam venturus iudicare vivos et mortuos, quem impii videbunt iudicantem in ea forma qua crucifixus est, non in ea humilitate qua iniuste iudicatus est, sed in ea claritate qua iuste iudicaturas est mundum. Cuius maiestatis visio aeterna erit omnium sanctorum beatitudo et

gloria. Gratia, et pax a Deo Patre et Filio eius Iesu Christo Domino nostro sit ista confitenti in omnia saecula saeculorum.

Second Text

Credimus sanctissimam Trinitatem, id est, Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, unum Deum omnipotentem, unius substantiae, unius essentiae, unius potestatis, creatorem omnium creaturarum, a quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. Credimus Patrem a seipso, non ab alio, Filium a Patre genitum, Deum verum de Deo vero, lumen verum de lumine vero, non tamen duo lumina, sed unum lumen. Spiritum sanctum a Patre et Filio aequaliter procedentem, consubstantialem, coaeternum Patri et Filio. Pater plenus Deus in se, Filius plenus Deus a Patre genitus, Spiritus sanctus plenus Deus a Patre et Filio procedens. Non tamen tres deos dicimus, sed unum Deum omnipotentem, aeternum, invisibilem, incommutabilem, qui totus ubique est, totus ubique praesens, non per partes divisus, sed totus in omnibus non localiter, sed potentialiter. Qui sine communicatione sui, mutabilia creavit et creata gubernat, semper manens quod est. Cui nihil accidens esse poterit, quia simplici divinitatis naturae nil addi, vel minui potest, quia semper est quod est, cui proprium est, cui sempiternum est, cui idem est, esse, vivere, et intelligere. Et haec tria unus Deus, et unus Deus haec tria, idem Deus et Dominus vera et sempiterna

Trinitas in personis, vera et sempiterna unitas in substantia, quia una est substantia Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Haec vero sancta Trinitas, nil maius est in tribus personis simul nominatis quam in una qualibet persona semel dicta, quia unaquaeque persona plena est substantia in se, non tamen tres substantiae, sed unus Deus, una substantia, una potentia, una essentia, una aeternitas, una magnitudo, una bonitas Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Nec aliud est Pater in natura quam Filius vel Spiritus sanctus, nec aliud Filius, et Spiritus sanctus quam Pater in natura, quibus est una natura. Sed alius est Pater in persona, alius Filius in persona, alius Spiritus sanctus in persona. In Patre aeternitas, in Filio aequalitas, in Spiritu sancto aeternitatis aequalitatisque connexio. Unum omnes in substantia, et essentia, omnipotentia, et deitate. Sicut enim eadem sancta Trinitas inseparabilis est in substantia, ita inseparabilis est in operibus, quamvis quaedam opera Dei quibusdam personis specialiter conveniant, sicut Patri vox illa, quae de caelo sonuit super Christum baptizatum, et ad Filii personam humanitatis tantummodo pertinet susceptio, et Spiritus sancti personae proprie congruit illa columba, in cuius specie idem Spiritus sanctus descendit super eundem Filium Dei secundum hominem baptizatum, tamen absque omni dubitatione illam vocem, et illam columbam, et Christi humanitatem tota sancta Trinitas operata est, cuius opera inseparabilia sunt.

Credimus eundem Filium Dei, Verbum Dei aeternaliter natum de Patre, consubstantialem Patri per omnia, temporaliter natum de Spiritu sancto et Maria semper virgine, duas habentem nativitates, unam ex Patre aeternam, alteram ex matre temporalem, qui etiam Filius Dei suae carnis conceptione conceptus est, et suae carnis nativitate natus est. Deum vero confitemur conceptum, et Deum verum natum, eundem verum Deum et verum hominem, unum Christum, unum Filium Dei unigenitum, proprium et perfectum in duabus naturis, in unius personae singularitate. Impassibilem et passibilem, mortalem atque immortalem, crucifixum in infirmitate nostra, eundemque semper viventem in virtute sua. Qui mortuus est carnis suae morte, et sepultus, atque ab inferis, damnato et spoliato principe totius iniquitatis, rediens, tertia die resurrexit, atque cum triumpho gloriae videntibus discipulis caelum ascendit, sedens in dextera Patris, id est, maiestate divinitatis. Inde iam venturus iudicare vivos et mortuos, quem impii videbunt iudicantem in ea forma qua crucifixus est, non in ea humilitate qua iniuste iudicatus est, sed in ea claritate qua iuste iudicaturus est mundum. Cuius maiestatis visio aeterna erit omnium sanctorum beatitudo et gloria. Gratia, et pax a Deo Patre et Filio eius Iesu Christo Domino nostro sit ista confitenti in omnia saecula saeculorum.

Symbolum Orthodoxae Fidei Leonis Papae

Leo PP III

809

Leo PP III

Credimus sanctam Trinitatem, id est, Patrem, Filium, et Spiritum sanctum, unum Deum omnipotentem, unius substantiae, unius essentiae, unius potestatis, creatorem omnium creaturarum, a quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, Patrem a seipso, non ab alio, Filium a Patre genitum, Deum verum de Deo vero, lumen verum de lumine vero, non tamen duo lumina, sed unum lumen, Spiritum sanctum a Patre et a Filio aequaliter procedentem, consubstantialem, coaeternum Patri et Filio. Pater plenus Deus in se, Filius plenus Deus a Patre genitus, Spiritus sanctus plenus Deus a Patre et Filio procedens. Non tamen tres Deos dicimus, sed unum Deum omnipotentem, aeternum, invisibilem, iucommutabilem, qui totus est ubique praesens, non per partes divisus, sed totus in omnibus, non localiter, sed personaliter, qui sine commutatione sui mutabilia creavit et creata gubernat, semper manens id quod est, cui nihil accidens esse poterit, quia simplici divinitatis naturae nihil addi vel minui potest, quia semper quod est, cui semper primum est, cui sempiternum est, cui idem est esse, vivere, et intelligere. Et haec tria unus Deus. Haec tria idem Deus et Dominus, vera et

sempiterna trinitas in personis, vera et sempiterna unitas in substantia, quia una est substantia Pater et Filius et Spiritus sanctus. Haec vero sancta Trinitas nihil est in tribus personis simul nominatis quam in una qualibet persona semel dicta, quoniam unaquaeque persona plena est substantia in se, non tamen tres substantiae, sed unus Deus, una substantia, una essentia, una aeternitas, una magnitudo, una bonitas, Pater et Filius et Spiritus sanctus. Nec aliud est Pater in natura quam Filius vel Spiritus sanctus, nec aliud Filius et Spiritus sanctus quam Pater in natura, quibus est una natura. Sed alius est Pater in persona, alius Filius in persona, alius Spiritus sanctus in persona. In Patre aeternitas, in Filio aequalitas, in Spiritu sancto aeternitatis aequalitatisque connexio. Unum omnes in substantia et essentia, omnipotentia, et divinitate. Sicut enim eadem sancta Trinitas inseparabilis est in substantia, ita inseparabilis est in operibus, quamvis opera Dei quibusdam personis specialiter conveniant, sicut Patri vox illa quae de caelo sonuit super Christum baptizatum, et ad Filii personam humanitatis tantummodo pertinet susceptio, et Spiritus sancti personae proprie congruit illa columba, in cuius specie idem Spiritus sanctus descendit super eundem Filium secundum hominem baptizatum. Tamen absque omni dubitatione illam vocem et illam columbam in Christi humanitatem tota sancta Trinitas operata est, cuius opera inseparabilia sunt. Credimus eundem Filium Dei Verbum

aeternaliter natum de Patre, consubstantialem Patri per omnia, temporaliter natum de Spiritu sancto et Maria Virgine, duas habentem nativitates, unam ex Patre aeternam, alteram ex matre temporalem, qui etiam Filius Dei, suae carnis conceptione conceptus est et suae carnis nativitate natus. Deum verum confitemur conceptum et Deum verum natum, eundem verum Deum verum hominem unam Christum Filium Dei unigenitum, per primum et perfectum in duabus naturis in unius personae singularitate impassibilem et passibilem, mortalem atque immortalem, crucifixum in infirmitate nostra, eundemque semper viventem in virtute sua, qui mortuus est carnis suae morte et sepultus, atque ab inferis, damnato et spoliato principe totius iniquitatis, rediens tertia die resurrexit, atque cum triumpho gloriae videntibus discipulis caelum ascendit, sedens in dextera Patris, id est, maiestate divinitatis, inde iam venturus iudicare vivos et mortuos, quem impii iudicantem videbunt in ea forma qua crucifixus est, non in ea humilitate qua iniuste iudicatus est, sed in ea claritate qua iuste iudicaturus est mundum, cuius maiestatis visio aeterna est omnium sanctorum beatitudo. Qui secundum hanc fidem rectam non crediderit, hunc damnat sancta, catholica et apostolica Ecclesia, quae fundata est ab ipso Iesu Christo Domino nostro, cui est gloria in saecula. Amen.

Professio Fidei Amalarius Fortunatus Archiepiscopi Trevirensis

Amalarius, Archbishop of Treves

812

Leo PP III

Credimus unum Deum vivum et verum semper esse immutabilem, tamen mutabilia operantem, nunquam esse sine sua sapientia, hoc est sine Filio suo, neque sine eius voluntate, hoc est sine Spiritu sancto. Deus Pater in bona voluntate sua omnia creavit per sapientiam. Credimus tres personas, Patris et Filii et Spiritus sancti, et recepimus versus Sedulii, non quia qui summus Pater est et Filius hic est, sed quia quod summus Pater est et Filius hoc est. Filium solum assumpsisse carnem humanam, ut visibilis foret hominibus, hunc baptizatum quia oportebat nos baptizari, hunc mortuum corpore mundo ut nos moreremur peccatis, hunc resurrexisse a mortuis ut nos speraremus resurrectionem, hunc venturum in novissimo iudicio, quando segregabit oves ab haedis, et postea solos malos in inferno hoc est in poenis victuros, iustos solos in regno Dei beate regnaturos.

Professio Fidei Hunberght Episcopus Lichfeldensis

Hunberght, Bishop of Lichfield

832 / 836

Gregorius PP IV

In primis credo in unum Deum Patrem Omnipotentem conditorem visibilium et invisibilium rerum, credo et in Iesum Christum Filium eius unicum Dominum nostrum conceptum de Spiritu Sancto et natum ex Maria virgine, Deum hominemque perfectum, passum sub Pontio Pilato, a Iudaeis crucifixum et sepultum, ad infernos descendentem, tertia die resurgentem ex mortuis, ascendentem in caelos ubi nunquam defuit, considentem in dextera Patris, Dei virtutem et Dei sapientiam, eundemque venturum sub fine saeculi cum angelis suis reddere retributionem bonorum operum iustis et iniustis damnationem malorum operum. Credo et in Spiritum Sanctum procedentem a Patre et Filio, vivificantem universa quae in caelis et quae in terris sunt, et unam sanctam catholicam apostolicamque Ecclesiam, confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum et carnis resurrectionem et vitam aeternam futuri saeculi.

Suscipio etiam decreta Pontificum et sex synodos catholicas antiquorum heroicorum virorum, et praefixam ab eis regulam

sincera devotione conservo, et quae anathematizaverunt anathematizo et quae damnaverunt toto ex corde respuo.

Professio Fidei Derwulfi Episcopi Lundoniensis

Deorwulf, Bishop of London

845 - 860

…

In primis cartulam meae confessionis et desponsionis componens atque subscribens, secundum normulam praecedentium patrum, ego confiteor Deum Patrem omnipotentem ante omne saeculum consistentem, et in sua Divina potestate omnem creaturam creantem ac regentem, et Filium unigenitum ex Patre, venientemque in mundum sicut per ora patriarcharum et prophetarum promissum est, et Spiritum Sanctum procedentem ex Patre et Filio, eundemque Filium Dei pro salute mundi passum et sepultum tertiaque die incorruptibili corpore resurrexisse, et in caelum ascendentem in dexteraque Dei Patris sedentem, sic etiam contra inimicos Christianae fidei visibiles sive invisibiles dimicare, et Ecclesiam Dei defendere omnibus viribus meis confiteor.

Professio Fidei Hincmari Archiepiscopi Rhemensis

Hincmar, Archbishop of Reims

May 845

Sergius II PP

Ego Hincmarus huius sedis ordinandus archiepiscopus, et sacro ministerio vestro, sancti Patres, praedicationis officium suscepturus,

Confiteor sanctam atque ineffabilem Trinitatem Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum, unum Deum naturaliter esse, unius substantiae, unius naturae, unius maiestatis, atque virtutis. Dominum quoque nostrum Iesum Christum de Deo Patre ante tempora genitum, eundemque sub tempore de Spiritu Sancto conceptum, et de Maria Virgine natum credo. Qui passus pro redemptione humani generis, ad inferna descendit, indeque victor resurgens, et in caelos ascendens, venturus est in fine saeculi, ut reddat singulis prout gesserunt in corpore positi, sive bonum, sive malum.

Praeterea constitutiones quatuor principalium conciliorum, Nicaeni, Constantinopolitani, Ephesini et Chalcedonensis, canones quoque synodorum, et decreta quae orthodoxa fides suscipit et complectitur, me suscipere, tenere et praedicare velle confiteor.

Haereses vero et schismata, quae catholica ecclesia anathematizat, et quidquid sanae fidei adversatur, condemno, respuo et anathematizo. Beato vero Petro et vicario eius debitam subiectionem et obedientiam, suffraganeis vero nostris adiutorium me exhibiturum profiteor, et huic professioni meae coram Deo et angelis eius, sub testimonio quoque praesentis ecclesiae subscribo.

Professio Fidei Diorlafi Episcopi Herefordensis

Deorlaf, Bishop of Hereford

857 / 866

…

In primis itaque credo in unum Deum Patrem Omnipotentem conditorem visibilium et invisibilium rerum. Credo et in Iesum Christum, Filium eius unicum, Dominum nostrum, conceptum de Spiritu Sancto, et natum ex Maria Virgine, Deum verum hominemque perfectum, sub Pontio Pilato passum, a Iudaeis crucifixum et sepultum, ad inferos descendentem, die tertia resurgentem ex mortuis, ascendentem in caelos, ubi nunquam defuit, considentem in dextera Dei, Patris virtutem et Dei sapientiam, eundemque venturum post finem saeculi iudicare vivos ac mortuos et saeculum per ignem. Credo et in Spiritum Sanctum, procedentem a Patre et Filio, vivificantem omnia quae in caelis sunt, et in terris, et unam sanctam catholicam et apostolicam Ecclesiam, confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum, et carnis resurrectionem, et vitam aeternam futuri saeculi. Suscipio etiam decreta pontificum, et sex sinodos catholicas antiquorum heroicorum virorum, et praefixam ab eis regulam sincera devotione conservo, et anathematizaverunt anathematizo, et quae damnaverunt toto ex corde respuo.

Professio Fidei Concilium Vvormatiense

Council of Worms

16 May 868

Hadrianus PP II

Confitemur et credimus sanctam atque ineffabilem Trinitatem, Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum, unum Deum naturaliter esse, unius substantiae, unius naturae, unius maiestatis atque virtutis. Et Patrem quidem non genitum, non factum, sed ingenitum profitemur. Fons ergo et origo ipse est totius Trinitatis. Pater namque ineffabili substantia Filium genuit, nec tamen aliud quam quod ipse est, genuit, Deus Deum, lux lucem. Filium quoque de substantia Patris sine initio ante saecula natum, nec tamen factum, fatemur. Igitur non sicut Filius a Patre, ita Pater a Filio est, quia non Pater a Filio, sed Filius a Patre generationem accepit. Filius ergo Deus de Patre, Pater autem Deus, sed non de Filio. Si enim Pater semper fuit, semper habuit Filium, cui Pater esset, et ob hoc Filium de Patre natum sine initio confitemur. Spiritum enim sanctum, qui est tertia in Trinitate persona, unum atque aequalem cum Deo Patre et Filio credimus esse Deum, unius substantiae, unius quoque naturae, nec tamen genitum vel creatam, sed a Patre Filioque procedentem, amborum esse spiritum. Nec enim procedit de Patre in Filium, nec de Filio tantum procedit ad sanctificandam creaturam,

sed ab utrisque procedere monstratur, quia caritas sive sanctitas amborum esse agnoscitur. Et nec Patris tantum, nec Filii tantum, sed simul Patris et Filii spiritus dicitur. In relativis vero personarum nominibus, Pater ad Filium, Filius ad Patrem, Spiritus Sanctus ad utroque refertur. Quae cum relative tres personae dicantur, una tamen natura vel substantia creditur, nec sicut tres personas, ita tres substantias praedicamus, sed unam substantiam, tres autem personas. Quod enim Pater est, non ad se, sed ad Filium, et quod Filius est, non ad se, sed ad Patrem est. Similiter Spiritus Sanctus non ad se, sed ad Patrem et Filium relative refertur in eo, quod spiritus Patris et Filii praedicatur. In hac ergo sancta Trinitate tres personas, unum Deum confitemur. Ergo non ipsum qui est Pater, dicimus esse Filium, vel Spiritum Sanctum, nec ipsum Filium Patrem aut Spiritum Sanctum fatemur, nec Spiritum Sanctum Patrem vel Filium dicere valemus, sed quod Pater est, hoc esse Filium, hoc esse et Spiritum Sanctum sine ulla ambiguitate pronuntiamus, personas enim distinguimus, non naturam deitatis separamus. Tres ergo illas unius atqueinseparabilisnaturae personas, sicut non confundimus, ita separabiles nullatenus praedicamus, cum nulla ante aliam, nulla post aliam, nulla sine alia vel extirisse, vel quidpiam operasse aliquando creditur. Inseparabiles ergo inveniuntur, et in eo quod sunt, et in eo quod faciunt. Habet enim Pater aeternitatem sine

nativitate, Filius aeternitatem cum nativitate, Spiritus vero sanctus aeternitatem processionis a Patre et a Filio sine nativitate.

De his vero tribus personis, sola Filii persona hominem verum sine peccato, pro liberatione humani generis, ex Maria virgine, novo ordine, novaque nativitate assumpsit. Novo ordine, quia invisibilis divinitate, visibilis monstratur in carne. Nova autem nativitate est genitus, quia incorrupta virginitas et virilem coitum nescivit, et secunda per Spiritum Sanctum, carnis materiam ministravit. Dei enim filius non personam hominis accepit, sed naturam. Naturam quippe nostram in unitatem suae personae assumpsit, et idcirco filius Dei, et filius hominis, unus est Christus. In eo namque quod filius est Dei, aequalis est Patri, et in eo quod est filius hominis, minor est Patre. Qui etiam, ex quo homo est, pro delictis nostris passionem sustinuit, mortique addictus et cruci, veram carnis mortem accepit. Tertia quoque die virtute propria suscitatus, de sepulcro surrexit. Hoc ergo exemplo capitis nostri, in hac carne qua nunc sumus et movemur, resurrecturos nos credimus. Idem autem Dominus et Salvator noster peracto resurrectionis suae triumpho, paternam sedem repetiit, a qua per divinitatem nunquam discessit. Inde in fine saeculorum venturus iudicabit vivos et mortuos, reddetque singulis prout quisque gessit in corpore, sive bonum, sive malum.

Ecclesiam catholicam pretio sui sanguinis redemptam, cum eo credimus in perpetuum regnaturam. Credimus et confitemur unum baptisma in remissionem omnium peccatorum. Hanc ergo fidem professionis nostrae inviolatam nos retinere, et ab ea nunquam deviare promittimus, hancque, qui salvus esse cupit, sine ulla ambiguitate retinere studeat.

Professio Fidei Adalberti Episcopi Morinensis

Adalbertus, Bishop of Terouanne

871

Hadrianus PP II

Profiteor unam fidem esse, eamque operante gratia superni largitoris me tenere, praedicare, atque defendere, quam a Deo inspiratam, et ab Apostolis traditam, atque a successoribus eorum custoditam habemus. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum, unam Apostolicam et universalem Ecclesiam, in qua sola possunt relaxari peccara, in nomine Patris, et Filii, et Spíritus sancti, tam per catholicum baptismum, quam et per dignos poenitentiae fructus, et Apostolicae auctoritatis largitam sibi a Domino potestatem. Extra hanc Ecclesiam carholicam neminem salvari posse confiteor.

Sex denique sanctas et generales de fide Synodos, quas sancta et Apostolica Ecclesia recipit, me recipere et venerari profiteor. Videlicet Nicaenam trecentorum octodecim patrum sub Silvestro Papa et Constantino Imperatore contra Arium et eius sectarores celebratam, Constantinopolitanam centum quinquaginta patrum contra Macedonium et Eudoxium, temporibus Damasi Papae, et Gratiani principis actam, Ephesinam ducentorum patrum contra

Nestorium sub Theodosio principe, et Papa Celestino, cui per suos vicarios praesedit idem beatus Papa Celestinus, et sanctae memoriae Cyrillus Alexandrinus Episcopus, Chalcedonensem sexcentorum triginta patrum, cui prasedit per vicarios suos sanctus Leo Papa, temporibus Marciani principis, contra Eutychem nefandissimum Praesulem monachorum celebratam. Item Constantinopolitanam temporibus Vigilii Papae, sub lustiniano principe, contra Theodorum, et omnes haereticos. Item Constantinopolitanam centum quinquaginta patrum sub Agathone Papa, Constantini, et Heraclii, ac Tiberii principum temporibus, pro adunatione facienda sanctarum Dei Ecclesiarum, de duabus naturis, et operationibus in una persona Dei et hominis filii domini nostri lesu Christi. Hos autem, quicumque ab eisdem sanctis Patribus in memoratis Synodis, vel postea similiter per Spiritum sanctum sentientibus, diversis vicibus litteris divinitus inspiratis damnati leguntur, eamdem venerandam partum auctoritatem sequens condemno. Sed et epistolam beatae recordationis Leonis, Apostolicae sedis Antistitis, ad Flavianum Constantinopolitanum Episcopum datam, et omnes eius epistolas de fidei firmitate perscriptas, per omnia et in omnibus inviolabiliter custodire, et me libere semper praedicare profiteor. ln quibus inter cetera, sicut et in sermone Beati Athanasii, quem Ecclesia catholica venerando usu frequentare consuevit, qui ita incipit, Quicumque vult salvus esse,

ante omnia opus est ut teneat catholicam fidem, post documentum, quo docemur quomodo Trinitas personarum in unitate divinitatis, et unitas Deitatis in Trínitate personarum veneranda sit, evidentissime continetur, unam ex eadem sancta Trinitate personam, dominum et Salvatorem nostrum Iesum Christum, Dei hominisque filium, ex duabus, et in duabus naturis, hoc est, divina et humana, in una persona consistentibus, et in sua proprietate differentiaque manentibus, esse credendum et praedicandum, qui secundum Apostolicum symbolum de semper Virgine Maria, quae veraciter Dei est genitrix, secundum carnem natus, passus, mortuus, resurrexit, et in caelos ascendit, sedet quoque ad dexteram Dei Patris omnipotentis, inde venturus iudicare vivos et mortuos. Ad cuius adventum omnes homines resurgent cum corporibus suis, et reddent de factis propriis rationem, et recipiet unusquisque prout gessit, et in factis suis perseveraverit, ab eodem iusto iudice, et sine fine regnante, cum ibunt impii in ignem aeternum, iusti autem in vitam aeternam.

Anathematizo quoque omnes haereses ac schismata, que catholica et Apostolica Ecclesia anathematizat, et quicquid sanae fidei intelligentiae contradicit, respuo et anathematizo, et quicquid catholica et Apostolica Ecclesia recipit et tenet, me adiuvante Domino recipere, et sequi, et a sacris canonibus atque a regularibus

decretis Apostolicae sedis, de Ecclcsiasticis ordinibus et disciplinis canonum promulgatis, seu a Synodalibus constitutionibus, quas catholica Ecclesia ad auctoritatem recipit, me per contemptum pertinaciter non deviaturum profiteor.

Privilegio etiam Metropolis Remorum Ecclesiae, ac eius Praesulis, secundum sacrosanctos Conciliorum canones, et decreta sedis Apostolicae ex sacris canonibus et legibus promulgata, pro scire et posse, absque dolo et simulatione, vel indebita et pertinaci contradictione, me obeditarum profiteor. Sed et observationes ac regulatia mandata, sacrosanctorumque Conciliorum placita, quee post ordinationem Episcopalem in litteris canonicis, secundum morem Ecclesiasticum, propriis subscriptionibus roboratis collecta, et mihi tradenda coram omnibus praedixistis, me servaturum profiteor, et omnibus suprascriptis cum cordis et oris professione subscribo.

Professio Fidei Pilgrimi Archiepiscopi Laureacensis

Pilgrim, Bishop of Lorch

974

Benedictus PP VI / VII

Confiteor et credo sanctam atque ineffabilem Trinitatem, Patrem et Filium et Spiritum sanctum, unum Deum naturaliter esse. Unius substantiae, unius naturae, unius maiestatis et virtutis, et Patrem quidem non genitum, non factum, sed ingenitum profiteor, fons ergo et origo ipse est totius Trinitatis. Pater namque ineffabili substantia Filium genuit, nec tamen aliud, quam quod ipse est genuit, Deus Deum, lux lucem, Filium quoque de substantia Patris, sine initio natum ante saecula, nec tamen factum fateor. Igitur non sicut Filius a Patre, ita Pater a Filio est, quia non Pater a Filio, sed Filius a Patre generationem accepit, Filius ergo Deus de Patre, Pater autem Deus, sed Deus non de Filio. Si enim fuit, Pater semper habuit Filium, cuius Pater esset Deus, et ob hoc Filium de Patre natum sine initio confiteor. Spiritum enim sanctum, qui est tertia in Trinitate persona, unum atque aequalem cum Deo Patre et Filio credo esse Deum, unius substantiae, unius quoque naturae, nec tamen genitum vel creatum, sed a Patre, Filioque procedentem amborum esse Spiritum. Nec enim procedit de Patre in Filium, nec de Filio tantum procedit ad sanctificandam creaturam, sed ab utrisque

procedere monstratur, quia caritas, sive sanctitas amborum esse cognoscitur, et nec Patris tantum, nec Filii tantum, sed similiter Patris et Filii et Spiritus Dei. In relativis vero personarum nominibus Pater ad Filium, Filius ad Patrem, Spiritus sanctus ad utrosque refertur. Quae cum relative tres personae dicantur, una tamen natura vel substantia creditur. Nec sicut tres personas, ita tres substantias praedico, sed unam substantiam, tres autem personas. Quod enim Pater est, non ad alium, sed ad Filium, et quod Filius est, non ad se, sed ad Patrem est, similiter Spiritus sanctus non ad se, sed ad Patrem et Filium relative refertur in eo, quod Spiritus Patris et Filii praedicatur. In hac ergo sancta Trinitate tres personas unum Deum Confiteor. Ergo non ipsum, qui Pater est, dico etiam Filium vel Spiritum sanctum, nec ipsum Filium Patrem aut Spiritum sanctum fateor, vel eum, qui est Spiritus sanctus, Patrem vel Filium dicere valeo, sed quod Pater est, hoc Filium esse, hoc esse Spiritum sanctum, sine ulla ambiguitate pronuncio. Personas enim distinguo, non naturam Deitatis separo. Tres ergo illas unius atque inseparabilis naturae personas, sicut non confundo, ita separabiles nullatenus praedico. Cum nulla ante aliam, nulla post aliam, nulla sine alia vel exstitisse, vel quippiam operata fuisse aliquando credatur, inseparabiles enim inveniuntur in eo quod sunt et in eo quod faciunt. Habet enim Pater aeternitatem sine nativitate, Filius

aeternitatem cum nativitate, Spiritus vero sanctus aeternitatem processionis a Patre & Filio sine nativitate.

De his ergo tribus personis, sola Filii persona hominem verum sine peccato pro liberation generis humani ex Maria virgine novo ordine novaque nativitate sumpsit. Novo ordine quia invisibilis in divinitate, visibilis monstratur in carne, nova autem nativitate est genitus, quia incorrupta virginitas et virilem coitum nescivit, et faecunda per Spiritum sanctum carnis materiam ministravit. Dei enim Filius non personam hominis accepit, sed naturam. Naturam enim nostrum in unitatem suae personae assumpsit, et idcirco Filius Dei et Filius hominis unus est Christus. In eo namque quod Filius est Dei, aequalis est Patri, et in eo, quod Filius est hominis, minor est Patre. Qui etiam ex quo homo est, pro delictis nostris passionem sustinuit, mortique addictus et cruci veram carnis mortem accepit. Tertia quoque die virtute propria suscitatus de sepulchro.

Hoc ergo exemplo capitis nostri in hac carne, qua nunc sum et moveor, resurrecturum me credo. Idem autem Dominus et Salvator noster peracto resurrectionis suae triumpho Paternam Sedem repetiit, a qua per divinitatem nunquam recessit. Inde in finem seculorum venturus iudicabit vivos et mortuos, reddetque singulis, prout gessit quisque in corpore, sive bonum, sive malum. Ecclesiam

sane Catholicam prețio sui sanguinis redemptam, cum eo credo in perpetuo regnaturam. Credo et confiteor unum baptisma in remissionem omnium peccatorum. Hanc ergo fidem professionis meae inviolatam me retinere, et ab ea nunquam deviare promitto.

Professio Fidei Gerberti Archiepiscopi Remorum

Gerbert de Aurillac, Archbishop of Reims

June 991

Ioannes PP XV

Ego Gerbertus gratia Dei praeveniente mox futurus Archiepiscopus Remorum, ante omnia fidei documenta verbis simplicibus assero, id est, Patrem et Filium et Spiritum sanctum unum Deum esse confirmo, totamque in Trinitate divinitatem coessentialem et consubstantialem et coaeternalem et coomnipotentem praedico. Singulam quamque in Trinitate personam verum Deum, et totas tres personas unum Deum profiteor.

Incarnationem divinam non in Patre, neque in Spiritu sancto, sed in Filio tantum credo, ut qui erat in divinitate Dei patris filius, ipse fieret in homine matris filius, deus verus ex Patre, homo verus ex matre. Carnem ex matris visceribus et animam humanam rationale, simul in eo utriusque naturae, id est, hominem et Deum, unam personam, unum filium, unum Christum, unum Dominum, creaturarum omnium, quae sunt, et auctorem et dominum et rectorem cum Patre et Spiritu sancto confiteor. Passum esse vera carnis passione, mortuum vera corporis sui morte, resurrexisse vera

carnis suae resurrectione, et vera animae resurrectione, in qua veniet iudicare vivos et mortuos, assero.

Novi et Veteris Testamenti unum undemque credo auctorem et dominum et Deum. Diabolum non per conditionem, sed per arbitrium factum esse malum. Credo huius, quam gestamus, et non alterius, carnis resurrectionem. Credo iudicium futurum, et recepturos singulos pro his, quae gesserunt, vel poenas vel praemia. Nuptias non prohibeo, secunda matrimonia non damno. Carnium perceptionem non culpo. Poenitentibus reconciliatis communicari debere confiteor. In baptismo omnia peccata, id est tam illud originale contractum, quam ea, quae voluntarie admissa sunt, dimitti credo. Et extra Ecclesiam Catholicam nullum salvari confiteor. Sanctas Synodos sex, quas universalis mater Ecclesia confirmat, confirmo.

PART 3

1001 - 1500 AD

Professio Fidei Gauzlini Abbatis Floriacensis

Gauzlinus, Abbot of Fleury in Saint Benoît sur Loire

1022

Benedictus PP VIII

Ego inquiens, Gauzlinus gratia Dei preveniente prius Floriacensium abba, post Archiepiscopus Bituricensium, ante omnia fidei documenta verbis simplicibus assero, id est Patrem et Filium et Spiritum Sanctum unum Deum esse confîrmo, totamque in Trinitate deitatem coessentionalem et consubstantialem et coaeternalem et omnipotentem predico, singularem quamque in Trinitate personam, plenum Deum et totas tres personas unum Deum profiteor. Incarnationem divinam non in Patre neque in Spiritu Sancto sed in Filio tantum credo, ut qui erat in divinitate Dei Patris Filius, ipse fieret in homine hominis matris Filius, Deus verus ex Patre, homo verus ex matre, carnem ex matris visceribus habentem et animam humanam rationalem, simul in eo utriusque naturae, id est hominem et Deum, unam personam, unum Filium, unum Christum, unum Dominum creaturarum omnium, quae sunt, et auctorem et Dominum et rectorem cum Patre et Spiritu Sancto confiteor, passum esse vera carnis passione, mortuum vera corporis sui morte, resurrexisse vera carnis suae resurrectione et vera animae resurrectione, in qua veniet iudicare vivos et mortuos assero. Novi

et Veteris Testamenti unum eundemque credo auctorem et Dominum et Deum, diabolum non per conditionem sed per arbitrium factum malum. Credo huius, quam gestamus, et non alterius carnis resurrectionem. Credo iudicium futurum et recepturos singulos pro his, quae gesserunt, vel poenas, vel praemia. Nuptias non prohibeo, secunda matrimonia non dampno, carnium perceptionem non culpo, poenitentibus reconciliatis communicari debere confiteor. In baptismo omnia peccata, id est tam illud originale contractum, quam ea, quae voluntariae admissa sunt, dimitti credo, et extra ecclesiam catholicam nullum salvari confiteor. Sanctas sinodos sex, quas universalis et mater ecclesia confirmat, confirmo.

Sancti Odilonis Abbatis Cluniacensis Credulitas

Odilo, Abbot of Cluny in Saône et Loire

994 - 1049

…

Credo et confiteor Patrem et Filium et Spiritum sanctum, trinum personis, unum in Deitate et substantia, atque sicut sancti patriarchae et prophetae praedixerunt, angelus Gabriel de caelis ad Virginem missus enarravit, sancti apostoli denuntiaverunt, evangelistae evangelizaverunt, martyres praedicaverunt, confessores docuerunt et sanctae virgines confessae sunt. Credo et confiteor illud Verbum, quod in principio erat, et apud Deum erat, et Deus erat, pro mea et totius mundi liberatione et redemptione, ex sacratissima et intemerata virgine Maria, in veritate nostri corporis, sine humana concupiscentia temporaliter proreatum et natum, secundum legem Moysi octava die cum impositione nominis Iesu circumcisum, quadragesimo die in templo a matre cum hostiis et muneribus praesentatum, Magis manifestatum, a Ioanne baptizatum, in desertis diabolo tentatum nec superatum, post multa et innumerabilia miraculorum, sanitatum concessa beneficia, et praedicationem Evangelii, statuto et praeordinato tempore a discipulo proprio traditum, a Iudaeis comprehensum, ligatum, flagellatum, colaphizatum, sputis illitum, spinis coronatum, aceto

potatum, crucifixum, mortuum et sepultum, tertia die, devicto diabolo et spoliato inferno, a mortuis propria virtute resuscitatum, per quadraginta dies apostolis in carne qua crucifixus est manifestatum, quadragesimo die videntibus eisdem apostolis et multis aliis fidelibus super caelos exaltatum, inde venturum ad iudicandum vivos et mortuos et saeculum per ignem. Credo etiam Spiritum sanctum, super eundem Dominum nostrum in columbae specie et super sanctos apostolos in linguis igneis descendisse eisque omnium linguarum scientiam distribuisse, et invictam contra omnium persecutionem inimicorum constantiam dedisse. Credo sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum, et exspecto resurrectionem mortuorum, vitam futuri saeculi. Amen.

Symbolum Fidei Leonis Noni Papa

Leo PP IX

13 April 1053

Leo PP IX

Firmiter enim credo sanctam Trinitatem, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, unum Deum omnipotentem esse, totamque in Trinitate deitatem coessentialem et consubstantialem, coaeternam et coomnipotentem, uniusque voluntatis, potestatis et maiestatis, creatorem omnium creaturarum, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, quae sunt in caelo et in terra, visibilia et invisibilia. Credo etiam singulas quasque in Sancta Trinitate personas, unum Deum verum, plenum et perfectum.

Credo quoque ipsum Dei Patris Filium, Verbum Dei aeternaliter natum ante omnia tempora de Patre, consubstantialem, coomnipotentem et coaequalem Patri per omnia in divinitate, temporaliter natum de Spiritu Sancto ex Maria semper virgine, cum anima rationali, duas habentem nativitates, unam ex Patre aeternam, alteram ex matre temporalem, duas voluntates et operationes habentem, Deum verum et hominem verum, proprium in utraque natura atque perfectum, non commixtionem atque divisionem passum, non adoptivum, neque phantasticum, unicum et

unum Deum, Filium Dei in duabus naturis, sed in unius personae singularitate, impassibilem et immortalem divinitate, sed in humanitate pro nobis et pro nostra salute passum vera carnis passione et sepultum, ac resurrexisse a mortuis die tertia vera carnis resurrectione, propter quam confirmandam cum discipulis nulla indigentia cibi, sed sola voluntate et potestate comedisse, die quadragesimo post resurrectionem cum carne, qua surrexit, et anima ascendisse in caelum et sedere in dextera Patris, inde decimo die misisse Spiritum Sanctum et inde, sicut ascendit, venturum iudicare vivos et mortuos, et redditurum unicuique secundum opera sua.

Credo etiam Spiritum Sanctum, plenum et perfectum verumque Deum, a Patre et Filio procedentem, coaequalem et coessentialem et coomnipotentem et coaeternum per omnia Patri et Filio, per prophetas locutum.

Hanc sanctam et individuam Trinitatem non tres Deos, sed in tribus personis et in una natura sive essentia unum Deum omnipotentem, aeternum, invisibilem et incommutabilem ita credo et confiteor, ut Patrem ingenitum, Filium unigenitum, Spiritum Sanctum nec genitum nec ingenitum, sed a Patre et Filio procedentem, veraciter praedicem.

Credo sanctam, catholicam et apostolicam, unam esse veram Ecclesiam, in qua unus datur baptismus et vera omnium remissio peccatorum. Credo etiam veram resurrectionem eiusdem carnis, quam nunc gesto, et vitam aeternam.

Credo etiam Novi et Veteris Testamenti, legis et Prophetarum et Apostolorum unum esse auctorem, Deum et Dominum omnipotentem. Deum praedestinasse solummodo bona, praescivisse autem bona malaque. Gratiam Dei praevenire et subsequi hominem credo et profiteor, ita tamen, ut liberum arbitrium rationali creaturae non denegem. Animam non esse partem Dei, sed ex nihilo creatam, et absque baptismate originali peccato obnoxiam, credo et praedico.

Porro anathematizo omnem haeresim extollentem se adversus sanctam Ecclesiam catholicam, pariterque eum, quicunque aliquas scripturas praeter eas, quas catholica Ecclesia recipit, in auctoritate habendas esse crediderit vel veneratus fuerit. Quattuor Concilia omnimode recipio et velut quattuor evangelia veneror, quia per quattuor partes mundi universalis Ecclesia, in his tanquam in quadro lapide, fundata consistit. Primum, Nicaenum trecentorum et octodecim patrum sub beato Silvestro papa Romano et Constantino Augusto Magno, cui praefuerunt Victor et Vincentius Romani

presbyteri. Secundum, Constantinopolitanum primum centum quinquaginta patrum sub Damaso papa et Theodosio maiore. Tertium, Ephesinum primum ducentorum patrum sub Coelestino papa et iuniore Theodosio. Quartum, Chalcedonense sexcentorum et triginta patrum sub beato Leone papa et Marciano Augusto.

Pari modo recipio et veneror reliqua tria concilia, id est, secundum Constantinopolitanum sub Vigilio papa et Iustiniano Augusto, deinde tertium Constantinopolitanum contra Monothelitas sub Agathone papa et Constantino nepote Heraclii, ultimum secundum Nicaenum sub Adriano papa et Constantino Irenes filio pro reverendis Domini Iesu Christi et sanctorum imaginibus. Quidquid supra dicta septem sancta et universalia Concilia senserunt et collaudaverunt, sentio et collaudo, et quoscunque anathematizaverunt, anathematizo.

Hanc fidem sancta Romana et Apostolica sedes corde credit ad iustitiam, et ore confitetur ad salutem. Secundum hanc vivere Domino donante studet, et pro eius defensione, si oportuerit, mori parata est.

Professio Fidei in Eucharistiam Berengario Praescripta

Berengarius, Deacon of Saint Maurice in Angers

1059

Nicholaus PP II

Ego Berengarius indignus Sancti Mauritii Andegavensis Ecclesiae diaconus, cognoscens veram Catholicam et apostolicam fidem, anathematizo omnem haeresim, praecipue eam de qua hactenus diffamatus sum, quae astruere conatur panem et vinum quae in altari ponuntur, post consecrationem solummodo sacramentum, et non verum corpus et sanguinem Domini nostri Iesu Christi esse, et non posse sensualiter, nisi in solo sacramento manibus sacerdotum tractari vel frangi, aut fidelium dentibus atteri. Consentio autem sanctae Romanae et apostolicae fidei. Sed ore et corde profiteor de sacramentis Dominicae mensae, eamdem fidem me tenere, quam Dominus et venerabilis papa Nicolaus et haec sancta synodus auctoritate evangelica et apostolica tenendam tradidit, mihique confirmavit, scilicet panem et vinum quae in altari ponuntur post consecrationem, non solum sacramentum, sed etiam verum corpus et sanguinem Domini nostri Iesu Christi esse, et sensualiter non solum in sacramento, sed in veritate manibus sacerdotum tractari, frangi, et fidelium dentibus atteri, iurans per sanctam et omousion Trinitatem, et per haec sacrosancta Christi Evangelia, eos qui contra

hanc fidem venerunt, cum dogmatibus et sectatoribus suis aeterno anathemate dignos esse pronuntio. Quod si ego ipse aliquando aliquod contra haec praesentire aut praedicare praesumpsero, canonum severitati subiaceam, lecto et perlecto sponte scripsi.

Professio Fidei Concilium Rothomagense

Council of Rouen

1063

Alexander PP II

Corde credimus et ore profitemur, panem in mensa Dominica propositum, panem tantummodo esse ante consecrationem, sed in ipsa consecratione, ineffabili potentia Divinitatis, converti naturam et substantiam panis in naturam et substantiam carnis, carnis vero, non ullius alterius, sed illius, quae concepta est de Spiritu sancto, nata ex Maria Virgine, quae etiam propter nos, et propter nostram salutem, flagellis caesa, iacuit in sepulcro, tertia die resurrexit a mortuis, et sedet ad dexteram Dei Patris.

Similiter vinum, quod aqua mixtum in calice sacrificandum proponitur, vere et essentialiter converti in eum sanguinem, qui per lanceam militis, de vulnere Dominici lateris in redemptionem mundi feliciter manavit.

Anathematizamus contra hanc sanctam et apostolicam fidem superbe atque haeretice sentientes, et impia temeritate garrientes.

Confessio Fidei Catholicae Domini Werneri Abbatis

Werner, Abbot of Saint Blaise in Black Forest

1065

Alexander PP II

Assertio nostrae fidei, hoc est, ut unum Deum esse dicamus, non duos aut tres. Tres deos esse dicit qui divinitatem separat Trinitatis. Nos autem Patrem, et Filium et Spiritum sanctum unum Deum esse confitemur, ita ut in trinitate perfecta et plenitudo sit divinitatis, et unitas potestatis. Deus enim unus est. Deus nomen est magnificentiae, nomen potestatis. Si ergo unus Deus, unum nomen, una potestas, una est trinitas. Denique dicit, “Ite baptizantes in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.” In nomine itaque, non in nominibus unum nomen est, ubi est una divinitas, una substantia, una maiestas. Hoc nomen est in quo oportet omnes salvos fieri. Item, “Ego et Pater unum sumus.” Unum dixit, ne fiat discretio potestatis. Sumus addidit, ut personas cognoscamus. Non enim Pater ipse qui Filius, sed ex Patre genitus Filius, ex Deo Deus, ex pleno plenus. Non sunt ergo haec nuda nomina, sed virtutis indicia, plenitudo divinitatis in Patre, plenitudo in Filio, sed non discrepans, nec confusum quod unum est, nec multiplex quod indifferens. Quomodo Filius a Patre genitus sit, impossibile est scire, mens deficit, lingua silet, non hominum tantum, sed et angelorum, supra

angelos, supra cherubim, supra seraphim, supra omnem sensum est. Credere iubemur, non discutere permittimur. Aufer argumenta ubi fides quaeritur.

Credimus unum Deum, Patrem et Filium et Spiritum sanctum, Patrem eo quod habeat Filium, Filium eo quod Patrem, Spiritum eo quod fit ex Patre et Filio. Pater ergo principium deitatis, qui sicut nunquam fuit non Deus, ita nunquam non fuit non Pater. A Patre Filius natus, ab eo vero et a Filio procedit Spiritus. Pater aeternus eo quod habeat Filium aeternum, cuius aeternus sit Pater. Filius aeternus eo quod sit Patri et Spiritui sancto coaeternus. Spiritus sanctus aeternus dicitur, eo quod Patri et Filio sit coaeternus, non confusa, ut Sabellius dicit, Trinitas in persona, neque separata aut divisa in natura divinitatis, ut Arius blasphemat, sed alter in persona Pater, alter Filius, alter Spiritus sanctus, unus in natura, in trinitate Deus, Pater et Filius, et Spiritus sanctus. Item, Non Pater carnem assumpsit, nec Spiritus sanctus, sed Filius tantum, ut, qui erat in divinitate Patris Dei Filius, ipse fieret in homine hominis filius, neque Filii nomen ad alterum transiret, qui non esset nativitate Filius. Dei ergo nativitate filius hominis factus est Filius, natus secundum veritatem naturae, ex Deo Dei filius, secundum veritatem naturae, ex homine hominis filius, ut veritas geniti, non adoptione, nec

appellatione, sed in utraque nativitate filii nomen nascendo haberet, et esset verus Deus, verus homo, unus filius.

Item non ergo duos christos, neque duos filios, sed Deum et hominem unum Filium. Quem propterea Unigenitum dicimus, manentem in duabus substantiis, sicut ei veritas naturae contulit, non confusis naturis, neque immistis. Ita enim Filius assumpsit hominem, ut qui suscepit, et quod suscepit, una esset in trinitate persona. Neque enim homine assumpto quaternitas facta est. Sed trinitas mansit, assumptione illa ineffabiliter faciente personae unius in Deo et homine veritatem, quoniam non Deum tantum, nec hominem tantum dicimus Christum, sed Deum verum natum de Deo Patre, et verum hominem natum de homine matre, nec eius humanitatem minorem Patre minuere aliquid eius divinitati quae aequalis est Patri. Hoc ergo utrumque unus est Christus qui secundum Deum dixit, “Ego et Pater unum sumus.” Et secundum hominem, “Pater maior me est,” ex quo homo coepit esse, non aliud coepit esse quam Dei Filius, et hoc unigenitus, et propter Deum verbum, quo, illo suscepto, caro factum est, ut quemadmodum est una persona quilibet homo, anima scilicet rationalis et caro, ita sit Christus una persona, Verbum et homo. Christus Iesus Dei Filius est, et Deus et homo, Deus, quia Dei Verbum, homo, quia in unitate personae accessit Dei Verbo, anima rationalis et caro. Et qui unicus

Dei Filius est, etiam et filius hominis, id est ipse utrumque ex utroque unus Christus, unus Dei Filius, idemque hominis filius, non duo filii, Deus et homo, sed unus Filius.

Item Deus hominem assumpsit, homo in Deum transivit, non naturae versibilitate, sed Dei dignatione, ut nec Deus mutaretur in humanam substantiam assumendo hominem, nec homo in divinam glorificatus in Deum. Quia mutatio vel versibilitas naturae vel diminutionem vel abolitionem facit, creditur a nobis sine confusione coniuncta Trinitas, sine separatione distincta.

Item nihil creatum, aut serviens in Trinitate credendum est, nihil inaequale, nihil gratiae aequale, nihil anterius, nihil posterius, aut minus, nihil extraneum aut officiale alteri, nihil sibi invisibile, nihil creaturis visibile, nihil moribus vel voluntate diversum, nihil de Trinitatis essentia ad creaturarum naturam deductum, nihil officio singulare, nec alteri communicabile, nihil confusum, sed totum perfectum, quia totum ex uno, et unum, non tamen solitarium.

Item homousion ergo in divinitate Patri Filius, homousion Patri et Filio Spiritus sanctus, Homousion Deo et homini, unus Filius manens Deus in homine suo. In gloria Patris desiderabilis videri ab angelis, sic Pater et Filius, et Spiritus sanctus adoratur ab angelis et omni

creatura, non homo propter Deum, vel Christus cum Deo, sed homo in Deo, et in homine Deus.

Confessio Guitmundus Aversanus

Guitmund, Bishop of Aversa

1070

Alexander II PP

Credo sacrosanctae Divinitatis aeternam Unitatem, credo in eadem unitate coaeternam Trinitatem, Creator enim omnium unus est Deus et trinus autem, quia Pater est, et Filius et Spiritus sanctus. Non dico quod idem ipse sit Pater, et Filius et Spiritus sanctus, sed dico quod idem ipsum est Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Cum dico ipse ostendo personam quae est Pater, Filius, vel Spiritus sanctus, cum vero dico ipsum, ostendo substantiam quae est Deus. Creditur itaque per singulos alia persona, sed non creditur in tribus nisi una substantia.

Sumamus nunc aliquod exemplum inter nos, per quod aliquantulum valeamus ascendere super nos. Videmus aliquem hominem filium genuisse, videmus eum patrem filii esse. Si igitur a me quaeras quid sit ille pater qui genuit filium, respondeo, homo. Si quaeras quid sit filius, respondeo, homo. Cum dixi homo, substantiam patris et filii indicavi. Vides igitur quia eadem substantia est patris hominis, et filii hominis. Si enim diceretur, Pater homo, et filius equus, quis aliud quam monstrum aut horrendum aliquid cogitare posset? Mox enim

ut a me patris et filii diversas substantias audires, aut iocari, aut insanire potius quam veritatem dicere me non dubitares. Sed si iterum quaeras quis est ille, dico, pater illius est. Si quaeras de filio, quis est ille, dico, filius illius est. Vides, charissime, quia in personis diversa nomina posui quae sunt pater et filius, in substantia vero unum nomen ostendi, quod est homo. Quod in homine vides, hoc in multis creaturis videre potes. Si igitur in creaturis ut in una substantia sunt plures personae, et in pluribus personis una substantia, natura postulat, et Deus hoc facit, quanto magis in Deo qui omnia creavit. Verumne Creatori creaturam coaequamus? Absit! Quamvis enim in creaturis de patre dicam quia homo est, et de filio quia homo est, et ita patris et filii una substantia est, tamen iterum dico, quia pater homo, et filius homo duo homines sunt. De Deo autem, valde aliter. Sic namque dico de Patre, quia Deus est, et de Filio quia Deus est, et de Spiritu sancto quia Deus est, ut nulli tamen credere liceat quod tres dii sunt. Iam nunc annuente eo de quo loquimur, de eadem Trinitate aliquid apertius loquamur. Creata consideremus, et in creaturis Creatorem admirantes laudemus. Caelum itaque, terram, mare et quae in eis sunt videmus, et haec omnia creasse unum Deum corde retinemus, ore confitemur. Haec tanta et tam multa, et tam admiranda ineffabili prorsus sapientia condidit, quam ipse non fecit, nec creavit, sed genuit. Quemadmodum enim in anima nostra videmus quoniam ipsa gignit

consilium suum, et illud consilium quasi proles est animae quod apud se habet, et per illud omnia exteriora operatur, ita Deus (quomodo Deum decet) Sapientiam suam de seipso genuit, per quam omnia quaecunque sunt ab eo facta sunt, et disponuntur. Haec igitur est sapientia Dei Filius, Deus de Deo genitus, de quo Patri Deo dicitur, Omnia in sapientia fecisti. Sed quid Deus per sapientiam suam faceret, si eamdem sapientiam ipse non diligeret? Aut quid in illa diligeret, si et ipsa cum a quo genita est similiter non amaret? Constat igitur quia a Patre procedit amor ad Filium, et a Filio procedit ad Patrem suum. Iste amor est Spiritus sanctus, qui ab utroque ita procedit, ut semper in utroque maneat, et ita semper in utroque manet, ut ab utroque semper procedat. Coaeternus autem est Patri Filius, quia Pater sine sapientia sua nunquam fuit. Coaeternus Patri et Filio Spiritus sanctus, quia utrorumque unam substantiam ipse amor inseparabilis, qui est eadem substantia, semper univit. Totum autem se sapit Pater et totum se diligit quidquid est, tanta est igitur sapientia sua, et tanta charitas quantus ipse est. Aequalis est ergo Patri Filius et Spiritus sanctus. Quod si de Patris volumus substantia cogitare quid sit, prius de eius sapientia cogitemus, quantum possumus, quid et ipsa sit. Ipsa enim est quae dixit, Nemo venit ad Patrem nisi per me. Et, Qui videt me, videt et Patrem meum. In sapientia itaque nec latitudinem nec longitudinem, nec rotunditatem, nec ullam quantitatem, aut

qualitatem videmus. Non in ea diversorum membrorum, quemadmodum in corpore nostro, distinctiones invenimus. Nihil igitur corporale in sapientiae essentia invenitur, sed totum est Spiritus, quidquid de ea recte cogitatur. Errant igitur vehementer qui Deo Patri figuram hominis tribuunt, quia qualis est Filius, talem utique Patrem et Spiritum sanctum, qui non credunt, desipiunt. Iste autem Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, ubique est totus, unus Deus, ubique incircumscriptus, ubique indivisus. Quod ut aliquantulum intelligamus, diligentius attendamus. Ponamus itaque coram nobis aliquod minutissimum corpus, vel ipsam ungulam nostram, quae praesto est aspiciamus, et in ipsa quomodo Deus totus sit videamus si possumus, si videre non possumus, credamus. Video in ungula mea quinque superiora, inferiora, dextra et sinistra, et media, haec omnia per sapientiam suam Deus iam fecit, et modo etiam ut subsistant, disponit. Non est autem sapientiae Dei pars dextro ungulae lateri, et altera sinistro lateri, et alia superiori, atque alia inferiori ungulae eiusdem praesens est parti, alia medietati, sed sicut tota omnia operatur, sic tota praesens est omnibus. Eius enim praesentia non localiter, sed potentialiter est aestimanda. Quae quoniam eadem hora et eodem momento quo ista facit, etiam caetera omnia prout sibi voluntas est disponit, praesentem se utique semper et simul et in omnibus ostendit. Quod de sapientia, id est, de Filio vidimus, hoc de Patre, hoc de Spiritu sancto

sentiamus, quia eos inseparabiles esse omnino necesse est ut credamus. Ad imaginem Dei, quae est anima nostra, redeamus, et in ipsa si possibile fuerit, Trinitatem in unitate videamus. Anima nostra, spiritus utique non corpus est. Quae habet in se et de se, id est, de substantia sua tria, intellectum, memoriam, voluntatem. Horum singula in omnibus sunt, quia intellectus intelligit seipsum, intelligit memoriam suam, intelligit voluntatem suam. Ecce intellectus in memoria et in voluntate est. Memoria recolit seipsam, et intellectum suum, et voluntatem suam. Voluntas vult, id est diligit seipsam et intellectum suum, et memoriam suam. Ita sunt in omnibus. Omnia vero sunt in singulis, quia eadem ratione, intellectus, memoria et voluntas, omnia simul in uno sunt. Et haec non nisi una substantia sunt, quae est anima. Dicamus igitur similiter de Patre, et Filio, et Spiritu sancto. Pater vita est, Filius sapientia, Spiritus sanctus charitas. Vita itaque vivit, et sapientia vivit, et charitas vivit. Sapientia sapit, et vita sapit, et charitas sapit. Charitas diligit, et vita diligit, et sapientia diligit. Et haec tria non nisi una substantia, quod est Deus.

Cavendum est tamen ne vel animam nostram Deo nostro aequare velimus, ne forte, dum eius similitudinem supra nos appetimus, ab hoc, quod per eum sumus, decidamus. Sicut igitur in opere imaginem vidimus operantis, sic iterum videamus quod factum est

quantum distet ab eo qui condidit. In anima quippe intellectus, memoria, et voluntas una substantia est, quae mens vocatur, non tamen intellectus est memoria vel voluntas, neque memoria est intellectus, vel voluntas, neque voluntas memoria, vel intellectus. Aliud est enim in anima praeteritorum meminisse, aliud praesentia intelligere, et aliud quod meminerit, et quod intellexerit, velle. Unde intelligitur plus esse in anima tria haec intelligere, meminisse, velle quam solum velle, vel solum intelligere, vel solum meminisse. Intellectus enim intelligit sibi et memoriae, et voluntati, memoria recolit sibi, et intellectui, et voluntati. Voluntas autem vult sibi, et memoriae, et intellectui. In Deo autem qui omnino simplex est natura, non est aliud vivere, aliud scire, aliud diligere, nec plus tria haec quam unum, nec unum minus quam tria credimus esse. Quod ita potest intelligi. Pater est vivens, Filius sapiens, Spiritus sanctus diligens. Et Pater, vivens, sapiens, diligens. Et singulus quisque itidem. Quoniam vero Deus omnium simplex est natura, sic vivens, ut sit vita, sic sapiens, ut sit sapientia, sic diligens, ut sit dilectio, singulus quisque autem Deus, singulus quisque igitur vita, sapientia et dilectio. Inconsequens autem est credere in simplici natura aliud esse vitam, aliud sapientiam, aliud dilectionem. Redigamus igitur haec tria ad unum, et dicamus, Pater et Filius et Spiritus sanctus vita, vel sapientia, vel dilectio. Ergo manifestum est non plus esse tria quam unum, nec minus unum quam tria. Videndum est tamen

ne confundamus personas. Ita enim est Pater sapientia vel dilectio ut tamen Filius sit sapientia Patris, et Spiritus sanctus dilectio Patris et Filii. Hic oritur quaestio difficilis, si enim Pater sapiens, et Filius sapientia, quaeritur utrum sit sapiens sapientia sua, quae est Filius suus. Omnis enim sapiens, sapientia sapiens est. At quod ita respondetur, De hoc est sapientia quod est essentia. Si igitur Pater a Filio suo sapiens est, a Filio habet sapientiam, ab ipso ergo et essentiam. Pater igitur a Filio, non Filius a Patre. Atqui Pater non est a Filio, non igitur sapientiam habet a Filio. Quod similiter disseritur de Spiritu sancto, qui dilectio est utrorumque. Credendum est ergo quia Pater perfecta vita est, et sapientia, et dilectio a seipso, et Filius perfecta vita, et sapientia, et dilectio est a Patre suo, et Spiritus sanctus hoc idem a Patre et Filio. Hanc trinam Unitatem, et unam Trinitatem, Adam ante peccatum incorrupta imagine Dei anima sua, lucide intellexit, quam lucem peccatum commissum obscuravit. Peccavit autem hominis anima voluntate, corpus opere. Utrumque igitur mortuum est, quia ab utroque peccatum commissum est. Quoniam vero mortuus est homo per insipientiam, oportuit eum vivificari per sapientiam. Incarnata est igitur Dei sapientia, ut deleretur hominis insipientia. Sed insipientia hominis animam rationalem et corpus occidit, Dei vero sapientia, id est Filius, et animam rationalem et corpus assumpsit. Et sicut ille sine peccato de immaculata terra factus est, ita iste sine peccato de incorrupta

Virgine natus est, assumpsit autem ita Deus hominem ut nec Deus in hominem mutaretur, nec homo absorberetur in Deum. Si enim Deus in hominem mutaretur, iam non esset Deus, sed homo solus, et ideo non adiuvaret.

Si vero homo absorberetur in Deum, iam non homo, sed Deus solus, et ideo mori non posset. Mori autem cum aliae multae rationes quibus nos redimeret suppeterent, voluit, ut et diabolum iustitia magis quam potentia vinceret. Iustum enim erat ut, qui hominem vicerat, ab homine vinceretur, et nobis, quanta charitate reducat nos, ostenderet. Hinc est quod de Spiritu sancto conceptus dicitur quia Spiritus sanctus charitas est, et totum hoc mysterium charitas operata est. Factus itaque homo est cum Deo una persona, sed conservata est utrique propria substantia. Homo iste sine peccato vixit, ut vinceret diabolum, et dolores sustinuit, ut deleret hominis peccatum. Miracula fecit, quia Deus erat, mortuus est, quia homo erat. Seipsum mortuum suscitavit, ut Deus crederetur, in carne palpabili postea apparuit ne homo esse dubitaretur. Corpus quidem in cruce mortuum in lapide sepeliri permisit, anima vero viva, cum Deo permanens, in infernum, non ut pateretur, sed ut dominaretur, descendit, quae, liberatis inde quos dignos iudicaverat, caeteris vero dimissis, corpus suum tertia die resumpsit. Ressuscitato autem corpore, cum discipulis, non continue, sed certis vicibus apparens et

etiam comedens, quadraginta diebus mansit. Quadragesimo die, videntibus illis caelos ascendit. Quod vero post resurrectionem comedit, non indigentia, sed argumentum manifestae resurrectionis fuit. Regnat itaque Dominus noster Iesus Christus in gloria Patris, venturus ad iudicium omnibus in manifestatione carnis, reprobos traditurus aeternis tormentis, electis se ostensurus in perpetuis gaudiis, in quibus nos regnemus per aevum et cum ipso Domino Iesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Professio Fidei Concilium Pictaviense

Council of Poitiers

1075

Gregorius PP VII

Credimus corde et ore confitemur panem illum et vinum illut que in altari ad sacrificandum ponuntur, ipsum eundem panem et ipsum idem vinum, post consecrationem que ibi fit virtute Spiritus sancti per manum sacerdotis, substantialiter transmutatum in verum corpus et in verum sanguinem Christi in ipsum scilicet corpus quod natum est de Maria virgine, quod passum est et crucifixum pro nobis, quod surrexit a mortuis, quod sedet ad dexteram Dei patris, et in ipsum eundem sanguinem qui de latere illius pendentis in cruce emanavit, nulla ibi remanente panis et vini substancia vel natura preter ipsam similitudinem quam ibi corporeis oculis idemus, ne aborreamus sacramentum propter horrorem cruoris. Si enim deinceps aliter credidero quam his habeatur insertum et inscriptum, ipsius eiusdem Christi patiar maledictam. Et dampno Berengarium et omnes sequaces eius qui discordant ab huius sacramenti sententia, iurans per sanctam et homousyon trinitatem et per hec sancta quatuor evangelia me deinceps sic docere et sic tenere.

Iusiurandum Berengarii

Sixth Council of Rome

11 February 1079

Gregorius PP VII

Ego Berengarius corde credo et ore confiteor, panem et vinum, quae ponuntur in altari, per mysterium sacrae orationis et verba nostri Redemptoris substantialiter converti in veram et propriam ac vivificatricem carnem et sanguinem Iesu Christi Domini nostri et post consecrationem esse verum Christi corpus, quod natum est de Virgine et quod pro salute mundi oblatum in cruce pependit, et quod sedet ad dexteram Patris, et verum sanguinem Christi, qui de latere eius effusus est, non tantum per signum et virtutem sacramenti, sed in proprietate naturae et veritate substantiae. Sicut in hoc Brevi continetur et ego legi et vos intelligitis, sic credo, nec contra hanc fidem ulterius docebo. Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia.

Professio Fidei Ludovici VI Rex

Louis VI, King of France

1137

Innocentius PP II

Ego peccator Ludovicus confiteor unum et verum Deum, Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, unam ex hac sancta Trinitate personam, videlicet unigenitum et consubstantialem, et coaeternum Dei Patris Filium, de sacratissima Virgine incarnatum, passum, mortuum, et sepultum, tertia die resurrexisse, caelos ascendisse, ad dexteram Dei Patris consedere, vivos et mortuos, extremo et magno iudicio iudicare.

Hanc autem sacratissimi corporis eius eucharistiam, illud idem credimus corpus quod assumptum est de Virgine, quod discipulis suis ad confoederandum et uniendum et in se commanendum contradidit. Hunc sacratissimum sanguinem illum eundem, qui de latere eius in cruce pendentis defluxit, et firmissime credimus et ore et corde confitemur, hocque securissimo viatico decessum nostrum muniri, et contra omnem aeriam potestatem certissima protectione defendi praeoptamus.

Professio Fidei Synodi Remensiana

Council of Reims

1148

Eugenius PP III

Credimus et confitemur simplicem naturam divinitatis esse Deum, nec aliquo sensu catholico posse negari, quin divinitas sit Deus et Deus divinitas. Si vero dicitur, Deum sapientia sapientem, magnitudine magnum, aeternitate aeternum, unitate unum, divinitate Deum esse et alia huiusmodi, credimus non nisi ea sapientia, quae est ipse Deus, sapientem esse, non nisi ea magnitudine quae est ipse Deus, magnum esse, non nisi ea aeternitate quae est ipse Deus, aeternum esse, non nisi ea unitate quae est ipse Deus, unum esse, non nisi ea divinitate Deum, quae est ipse, id est, se ipso sapientem, magnum, aeternum, unum Deum. Cum de tribus personis loquimur, Patre et Filio et Spiritu Sancto, ipsas unum Deum, unam divinam substantiam esse fatemur. Et e converso cum de uno Deo, una divina substantia loquimur, ipsum unum Deum, unam divinam substantiam esse tres personas profitemur.

Credimus solum Deum Patrem et Filium et Spiritum Sanctum aeternum esse, nec aliquas omnino res, sive relationes, sive

proprietates, sive singularitates vel unitates dicantur, et huiusmodi alia, adesse Deo, quae sint ab aeterno, quae non sint Deus. Credimus ipsam divinitatem, sive substantiam divinam, sive naturam dicas, incarnatam esse, sed in Filio.

Professio Fidei Petro Valdes

Peter Waldo

1180

Alexander PP III

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti atque beatissimae semperque virginis Mariae.

Pateat omnibus fidelibus quod ego Valdesius et omnes fratres mei, praepositis nobis sacrosanctis evangeliis, corde credimus, fide intelligimus, ore confitemur et simplicibus verbis affirmamus Patrem et Filium et Spiritum Sanctum tres personas esse, unum Deum totamque deitatis Trinitatem coessentialem et consubstantialem et coaeternalem et coomnipotentem et singulas quasque in Trinitate personas plenum Deum, et totas tres personas unum Deum, sicut in “Credo in Deum”, et in “Credo in unum Deum” et in “Quicumque vult” continetur.

Patrem quoque et Filium et Spiritum Sanctum unum Deum, de quo nobis sermo, esse creatorem, et factorem, et gubernatorem et, loco congruo et tempore, dispositorem omnium visibilium et invisibilium, caelestium et aeriarum, aquaticarum et terrenarum, corde et ore credimus et confitemur.

Novi et veteris testamenti, id est legis Moysi et prophetarum et apostolorum, unum eundemque et Deum auctorem credimus, qui in Trinitate, ut dictum est, permanens, omnia creavit, Iohannemque baptistam ab ipso missum esse sanctum et iustum et in utero matris suae Spiritu Sancto repletum.

Incarnationem divinitatis non in Patre neque in Spiritu Sancto factam, sed in Filio tantum, corde credimus et ore confitemur, ut qui erat in divinitate Dei Patris Filius, Deus verus ex Patre, esset et homo verus ex matre, veram carnem habens ex visceribus matris et animam humanam rationabilem, simul in eo utriusque naturae, id est Deus et homo, una persona, unus Filius, unus Christus, unus Deus cum Patre et Spiritu Sancto, omnium rector et auctor, natus ex virgine Maria vera nativitate carnis, et manducavit, et bibit, et dormivit, et fatigatus ex itinere quievit, qui passus est vera carnis suae passione, et mortuus est vera corporis sui morte, et resurrexit vera carnis suae resurrectione et vera animae resumptione, in qua postquam manducavit et bibit, ascendit in caelum, sedet ad dexteram Patris et in eadem venturus est iudicare vivos et mortuos, corde credimus et ore confitemur.

Unam ecclesiam catholicam, sanctam, apostolicam et immaculatam, extra quam neminem salvari, credimus.

Sacramenta quoque, quae in ea celebrantur, inaestimabili atque invisibili virtute Spiritus Sancti cooperante, licet a peccatore sacerdote ministrentur, dum ecclesia eum recipit, nullo modo reprobamus, neque ecclesiasticis officiis vel benedictionibus ab eo celebratis detrahimus, sed benivolo animo tamquam a iustissimo amplectimur.

Approbamus ergo baptismum infantium, ut, si defuncti fuerint post baptismum antequam peccata comitant, fatemur eos salvari et credimus. In baptismate vero omnia peccata, tam illud orginale peccatum contractum, quam illa, quae voluntarie commissa sunt, dimitti credimus. Confirmationem quoque ab episcopo factam id est impositionem manuum, sanctam et venerandam accipiendam esse censemus. Sacrificium id est panem et vinum, post consecrationem esse corpus et sanguinem Iesu Christi, firmiter credimus et simpliciter affirmamus, in quo nihil a bono maius nec a malo minus perficitur sacerdote. Peccatoribus corde penitentibus et ore confitentibus et opere secundum scripturas satisfacientibus veniam a Deo posse consequi concedimus, et eis libentissime communicamus. Unctionem infirmorum cum oleo consecrato veneramur. Coniugia carnalia esse contrahenda secundum apostolum non negamus, contracta vero ordinarie, disiungere omnino prohibemus, nec etiam secunda matrimonia damnamus.

Ordines vero ecclesiasticos, idest episcopatum et presbyteratum et ceteros infra et supra, et omne quod in ecclesia ordinabiliter sanctitum legitur aut canitur, humiliter conlaudamus et fideliter veneramur.

Diabolum non per condicionem sed per arbitrium malum esse factum credimus.

Carnium perceptionem minime culpamus. Corde credimus et ore confitemur huius carnis, quam circumgestamus, et non alterius resurrexionem. Iudicium quoque futurum et singulos pro his, quae in hac carne gesserunt, recepturos vel praemia vel poenas, firmiter credimus et affirmamus. Eleemosynas et sacrificium ceteraque beneficia fidelibus posse prodesse defunctis non dubitamus.

Et quia fides secundum Iacobum apostolum “sine operibus mortua est”, saeculo abrenuntiavimus, et quae abebamus, velut a Domino consultum est, pauperibus erogavimus et pauperes esse decrevimus, ita ut de crastino solliciti esse non curamus, nec aurum nec argentum vel aliquid tale praeter victum et vestitum cottidianum a quoquam accepturi sumus.

Concilia quoque evangelica velut praecepta servare proposuimus. Remanentes autem in saeculo et sua possidentes, eleemosynas ceteraque beneficia ex suis rebus agentes, praecepta Domini servantes salvari eos omnino fatemur et credimus. Qua propter discretionem vestram omnino depossimus, quod si forte contigerit aliquos venire ad vestras partes dicentes se esse ex nobis, si hanc fidem non habuerint, ipsos ex nostris non fore pro certo sciatis.

Professio Fidei Durandus de Osca

Durand of Huesca

18 December 1208

Innocentius PP III

Pateat omnibus fidelibus, quod ego Durandus de Osca, et Guillelmus de Sancto Antonino, et omnes fratres nostri, corde credimus, fide intelligimus, ore confitemur, et simplicibus verbis affirmamus, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum tres personas esse, unum Deum, totamque Trinitatem coessentialem et consubstantialem et coaeternalem et coomnipotentem, et singulas quasque in Trinitate personas plenum Deum, sicut in Credo in Deum, in Credo in unum Deum, et in Quicumque vult continetur. Patrem quoque et Filium et Spiritum Sanctum unum Deum, de quo nobis sermo, esse creatorem, factorem, gubernatorem et dispositorem omnium corporalium et spiritualium, visibilium et invisibilium, corde credimus et ore confitemur. Novi et Veteris Testamenti unum eundemque auctorem esse Dominum credimus, qui in Trinitate, ut dictum est, permanens, de nihilo cuncta creavit. Iohannemque Baptistam ab eo missum, esse sanctum et iustum et in utero matris suae Spiritu Sancto repletum.

Incarnationem divinitatis non in Patre neque in Spiritu Sancto factam, sed in Filio tantum, corde credimus et ore confitemur. Ut qui erat in divinitate, Dei Patris Filius Deus verus ex Patre, esset in humanitate hominis filius homo verus ex matre, veram carnem habens ex visceribus matris et animam humanam rationabilem, simul utriusque naturae, id est Deus et homo, una persona, unus Filius, unus Christus, unus Deus cum Patre et Spiritu Sancto, omnium auctor et rector, natus ex virgine Maria vera carnis nativitate, manducavit et bibit, dormivit et fatigatus ex itinere quievit, passus vera carnis suae passione, mortuus vera corporis sui morte, et resurrexit vera carnis suae resurrectione et vera animae ad corpus resumptione, in qua postquam manducavit et bibit, ascendit in caelum, sedet ad dexteram Patris et in eadem venturus est iudicare vivos et mortuos.

Corde credimus et ore confitemur unam Ecclesiam, non haereticorum, sed sanctam Romanam catholicam et apostolicam, extra quam neminem salvari credimus.

Sacramenta quoque, quae in ea celebrantur, inaestimabili atque invisibili virtute Spiritus Sancti cooperante, licet a peccatore sacerdote ministrentur, dum Ecclesia eum recipit, in nullo reprobamus, nec ecclesiasticis officiis vel benedictionibus ab eo

celebratis detrahimus, sed benevolo animo tamquam a iustissimo amplectimur, quia non nocet malitia episcopi vel presbyteri, neque ad baptismum infantis, neque ad Eucharistiam consecrandam, nec ad caetera ecclesiastica officia subditis celebrata.

Approbamus ergo baptismum infantium, qui si defuncti fuerint post baptismum antequam peccata committant, fatemur eos salvari et credimus, et in baptismate omnia peccata, tam illud originale peccatum contractum quam illa, quae voluntarie commissa sunt, dimitti credimus. Confirmationem ab episcopo factam, id est impositionem manuum, sanctam et venerande esse accipiendam censemus. In sacrificio Eucharistiae, quae ante consecrationem erant panis et vinum, post consecrationem esse verum corpus et verum sanguinem Domini nostri Iesu Christi, firmiter et indubitanter corde puro credimus et simpliciter verbis fidelibus affirmamus. In quo nihil a bono maius, nec a malo minus perfici credimus sacerdote, quia non in merito consecrantis, sed in verbo efficitur Creatoris et in virtute Spiritus Sancti. Unde firmiter credimus et confitemur, quod quantumcumque quilibet honestus, religiosus, sanctus et prudens sit, non potest nec debet Eucharistiam consecrare, nec altaris Sacrificium conficere, nisi sit presbyter, a visibili et tangibili episcopo regulariter ordinatus. Ad quod officium tria sunt, ut credimus, necessaria, scilicet certa persona, id est

presbyter ab episcopo, ut praediximus, ad illud proprie officium constitutus, et illa sollemnia verba, quae a sanctis Patribus in canone sunt expressa, et fidelis intentio proferentis. Ideo firmiter credimus et fatemur, quod quicumque sine praecedenti ordinatione episcopali, ut praediximus, credit et contendit, se posse sacrificium Eucharistiae facere, haereticus est, et perditionis Chore et suorum complicum est particeps atque consors, et ab omni sancta Romana Ecclesia segregandus. Peccatoribus vere poenitentibus veniam concedi a Deo credimus et eis libentissime communicamus. Unctionem infirmorum cum oleo consecrato veneramur. Coniugia carnalia esse contrahenda, secundum Apostolum non negamus, ordinarie vero contracta disiungere omnino prohibemus. Hominem quoque cum sua coniuge salvari credimus et fatemur, nec etiam secunda et ulteriora matrimonia condemnamus.

Carnium perceptionem minime culpamus. Non condemnamus iuramentum, immo credimus puro corde, quod cum veritate et iudicio et iustitia licitum sit iurare. De potestate saeculari asserimus, quod sine peccato mortali potest iudicium sanguinis exercere, dummodo ad inferendam vindictam, non odio, sed iudicio, non incaute, sed consulte procedat.

Praedicationem necessariam valde et laudabilem esse credimus, tamen ex auctoritate vel licentia Summi Pontificis, vel praelatorum permissione, illam credimus exercendam. In omnibus vero locis, ubi manifeste haeretici manent, et Deum et fidem sanctae Romanae Ecclesiae abdicant et blasphemant, credimus quod disputando et exhortando modis onmibus secundum Deum debeamus illos confundere et eis verbo Dominico, veluti Christi et Ecclesiae adversariis, fronte usque ad mortem libera contraire. Ordines vero ecclesiasticos et omne quod in sancta Romana Ecclesia sancitum legitur aut canitur, humiliter collaudamus et fideliter veneramur.

Diabolum non per conditionem, sed per arbitrium malum esse factum credimus. Corde credimus et ore confitemur huius carnis quam gestamus, et non alterius resurrectionem. Iudicium quoque per Iesum Christum esse futurum, et singulos pro iis quae in hac carne gesserunt recepturos, vel poenas, vel praemia, firmiter credimus et affirmamus eleemosynas, sacrificium, caeteraque beneficia, fidelibus posse prodesse defunctis credimus. Remanentes in saeculo et sua possidentes, eleemosynas et caetera beneficia, ex rebus suis agentes, praecepta Domini servantes, salvari fatemur et credimus. Decimas, primitias et oblationes ex praecepto Domini credimus clericis persolvendas.

Professio Fidei Bernardus Primus

Bernardus Primus

14 Iune 1211

Innocent PP III

Pateat omnibus fidelibus, quod ego Bernardus Primus, et omnes fratres mei, propositis nobis sacrosanctis Evangeliis corde credimus, fide intelligimus, ore confitemur, et simplicibus verbis, id est sine duplicitate, fideliter affirmamus, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum tres personas esse, unum Deum, et sicut in Credo in Deum, et in Credo in unum Deum, et in Quicumque vult continetur confitemur esse per omnia sentiendum. Item corde credimus et ore confitemur, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, unum Deum de quo nobis est sermo, esse creatorem, et gubernatorem ac dispositorem omnium rerum visibilium et invisibilium, corporalium et spiritualium. Item corde credimus et ore confitemur, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, unum Deum, legem Moysi dedisse, et ipsum in Prophetis locutum fuisse, et Iohannem Baptistam ab ipso missum esse, sanctum et iustum, et in utero matris suae Spiritu Sancto repletum.

Item corde credimus et ore confitemur incarnationem Domini nostri Iesu Christi, ut qui erat Filius Dei in divinitate, Patri aequalis, fieret

homo in utero Sanctae Mariae Matris suae veram carnem assumens, ex visceribus matris qui natus est vera carnis nativitate, et manducavit et bibit, et cetera, dormivit et fatigatus ex itinere quievit, et passus vera carnis suae passione, et mortuus est vera carnis sui morte, et resurrexit vera carnis suae resurrectione, in qua postquam veraciter manducavit et bibit, ascendit in caelum, et sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis, in de venturus est iudicare vivos et mortuos.

Item corde credimus et ore confitemur unam esse Ecclesiam, catholicam et apostolicam, sanctam et immaculatam, extra quam neminem salvari fatemur.

Sacramenta vero quae in ea celebrantur, inaestimabili atque invisibili virtute Spiritus Sancti, licet a peccatore sacerdote ministrentur, dum Ecclesia eum recipit, in nullo reprobamus, neque ecclesiasticis officiis vel benedictionibus ab eo celebratis detrahimus, sed benevolo animo, tamquam a iustissimo amplectimur.

Approbamus quoque baptismum infantium, et si defuncti fuerint post baptismum antequam peccata committant, fatemur eos salvari. Confirmationem ab episcopo factam, id est impositionem

manuum, sanctam et venerande accipiendam esse censemus. In sacrificio Eucharistiae, quae fuerant panis et vinum ante consecrationem, post consecrationem esse corpus et sanguinem Iesu Christi, simpliciter affirmamus et credimus. In quo nihil a bono maius, nec a malo minus perficitur sacerdote.

Peccatores veraciter poenitentes veniam a Deo consequi concedimus ut eis libentissime communicamus. Unctionem infirmorum cum oleo consecrato veneramur. Coniugia carnalia esse contrahenda secundum Apostolum Paulum non negamus, legitime vero contracta disiungere omnino prohibemus. Ordines ecclesiasticos, id est episcopatum et presbyterium ac caeteros, et omne quod in Ecclesia ordinabiliter sancitum legitur aut canitur, humiliter collaudamus et fideliter veneramur.

Item corde credimus et ore confitemur resurrectionem huius carnis quam gestamus, et non alterius, et vitam aeternam, et unumquemque hominem secundum opera sua esse recepturum. Eleemosynas et Sacrificium caeteraque beneficia fidelibus defunctis prodesse non dubitamus. Et quia fides sine operibus mortua est, ut dicit aposotlus Iacobus, saeculo abrenuntiavimus, et quae habebamus, velut a Domino consultum est, pauperibus erogavimus, et paupers esse decrevimus. Ita quod soliciti esse de crastino non

curamus, nec aurum, vel argentum, vel aliquid tale praeter vestimentum et victum quotidianum a quoquam accepturi sumus. Concilia quoque evangelica velut praecepta servare proposuimus. Remanentes autem in saeculo, et sua possidentes, et hanc fidem supradictam firmiter et integre credentes, praeceptaque Domini servantes, salvari fatemur.

Ad haec in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti et beatissimae Virginis Mariae, ad aedificationem universalis sanctae Dei Ecclesiae, et ad salute animarum omnium, ad quorum aures pervenit, sicut fideliter credimus corde, fidem praedictam ore firmiter confiteri, et nuntiare proposuimus, et usque ad animam et sanguinem adversus omnes haeresum defendere viriliter.

Consistentes sub magisterio et regimine unius et viri magistri Domini nostril Iesu Christi, ac piisimi vicarii eius Papae Innocentii et successorum eius semper permanents, tam corpore quam spiritu, in communione sanctae Romanae ac universalis Ecclesiae, quam sanctam et catholicam et apostolicam supra diximus.

Quam credimus esse, omnes baptizatos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, nisi a supradicta fide recesserunt, ubi boni cum malis convenient, permixta quippe est diversitate filiorum, cui Ecclesiae

praefatum dominum Innocentium Papam credimus praeesse pastorem, et ipsum, et omnes episcopos, et sacerdotes, et caeteros ordinatos, fidem supradictam tenentes, in ipsa Ecclesia ministros esse fatemur et credimus.

Id circo ab ipsis, et non ab aliis, petimus et cupimus suscipere ecclesiastica sacramenta. Specialiter autem de fractione panis, super qua infamati sumus, diximus, et dicimus, quia nunquam factum fuit causa praesumptionis, nec causa contemptus sacrificii sacerdotis, sed causa ardoris fidei, et charitatis, et causa deliberationis, ne indurarentur simplices fideles inter haereticos permanentes, et sacramentum Eucharistiae non accipientes, sed nunc et in perpetuum abdicamus, et abiicimus, et abdicabimus a nobis, et ab omnibus nobis credentibus, secundum nostrum posse, ab opera et a credulitate, corde credentes, et ore confitentes sacramentum Corporis et Sanguinis Christi, nec esse conficiendum, nec posse confici, nisi a sacerdote per impositionem manus visibilis episcopi secundum morem Ecclesiae visibiliter ordinato.

Habemus autem mandatum orare, ut Deus mittat operarios in messem suam, id est praedicatores in populum suum, qui debent benigne et humiliter impetrare sibi dari, ex licentia Summi Pontificis, et praelatorum Ecclesiae, ut possint admonere et exhortari in

doctrina sana, et adversus omnes haereticos, gratia Dei adiuvante, cum omni virtute animi, et studio, ut eos ad fidem catholicam convertant, desudare et credentes eorum privatis et publicis admonitionibus, sicut decet, ab eorum credulitate et haeresi separare, et Ecclesiae supradictae incorporare, et ab omnibus vitiis et peccatis compescere, tam seipsos, quam suos auditores, a superbia scilicet, et inani Gloria, invidia, ira, cupiditate, et avaritia, gulositate, luxuria, mendacio, detractione, blasphemia, odio, fraude, periurio et homicidio.

Et quamvis ista nos praedicemus, tamen potestatem saecularem secundum leges officium suum in malefactors peragentem non iudicamus, neque ob hoc damnandum esse dicimus, vel credimus. Verumtamen sicut filii Ecclesiae reos sanguinis defendimus piis interventionibus, quia scriptum est, reos sanguinis defendat Ecclesia. Quamvis autem propter vitandum periurium non sit appetandum iuramentum, iurantes tamen ex deliberation causa necessitates cum veritate, et iudicio, et iustitia non culpamus, neque propter hoc credimus condemnandos.

Professio Fidei Concilii Lateranensis IV

Forth Council of Lateran

1215

Innocentius PP III

Firmiter credimus et simpliciter confitemur, quod unus solus est verus Deus, aeternus, immensus et incommutabilis, incomprehensibilis omnipotens et ineffabilis, Pater et Filius et Spiritus Sanctus, tres quidem personae, sed una essentia, substantia seu natura simplex omnino, Pater a nullo, Filius a Patre solo, ac Spiritus Sanctus pariter ab utroque, absque initio, semper ac sine fine, Pater generans, Filius nascens, et Spiritus Sanctus procedens, consubstantiales et coaequales et coomnipotentes et coaeterni, unum universorum principium, creator omnium visibilium et invisibilium, spiritualium et corporalium, qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, ac deinde humanam, quasi communem ex spiritu et corpore constitutam. Diabolus enim et alii daemones a Deo quidem natura creati sunt boni, sed ipsi per se facti sunt mali. Homo vero diaboli suggestione peccavit. Haec sancta Trinitas, secundum communem essentiam individua, et secundum personales proprietates discreta, primo per Moysen et sanctos Prophetas aliosque famulos suos,

iuxta ordinatissimam dispositionem temporum, doctrinam humano generi tribuit salutarem.

Et tandem unigenitus Dei Filius Iesus Christus, a tota Trinitate communiter incarnatus, ex Maria semper Virgine Spiritus Sancti cooperatione conceptus, verus homo factus, ex anima rationali et humana carne compositus, una in duabus naturis persona, viam vitae manifestius demonstravit. Qui cum secundum divinitatem sit immortalis et impassibilis, idem ipse secundum humanitatem factus est passibilis et mortalis, qui etiam pro salute humani generis in ligno crucis passus et mortuus, descendit ad infernos, resurrexit a mortuis et ascendit in caelum, sed descendit in anima, et resurrexit in carne, ascenditque pariter in utroque, venturus in fine saeculi, iudicaturus vivos et mortuos, et redditurus singulis secundum opera sua, tam reprobis quam electis, qui omnes cum suis propriis resurgent corporibus, quae nunc gestant, ut recipiant secundum opera sua, sive bona fuerint sive mala, illi cum diabolo poenam perpetuam, et isti cum Christo gloriam sempiternam.

Una vero est fidelium universalis Ecc1esia, extra quam nullus omnino salvatur, in qua idem ipse sacerdos est sacrificium Iesus Christus, cuius corpus et sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis et vini veraciter continentur, transsubstantiatis pane in

corpus, et vino in sanguinem potestate divina, ut ad perficiendum mysterium unitatis accipiamus ipsi de suo, quod accepit ipse de nostro. Et hoc utique sacramentum nemo potest conficere, nisi sacerdos, qui rite fuerit ordinatus, secundum claves Ecclesiae, quas ipse concessit Apostolis eorumque successoribus Iesus Christus. Sacramentum vero baptismi quod ad Dei invocationem et individuae Trinitatis videlicet Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, consecratur in aqua tam parvulis, quam adultis in forma Ecclesiae a quocunque rite collatum proficit ad salutem. Et si post susceptionem baptismi quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram potest semper paenitentiam reparari. Non solum autem virgines et continentes, verum etiam coniugati, per rectam fidem et operationem bonam placentes Deo, ad aeternam merentur beatitudinem pervenire.

Professio Fidei Ignatius III David

Ignatius III David, Syrian Patriarch of Antioch

1247

Innocentius PP IV

First Letter

Dicimus igitur, quod nos Christiani Orientales vocati Iacobitae credimus in Patrem et Filium et Spiritum sanctum, unam naturam, tres hypostases, tres personas. Et cum Pater sit principium Filii et Spiritus sancti, principium Filii generative, et Spiritus sancti principium spiritativi. At ut, quia est una natura divinitatis, non oportet nos confiteri unam hypostasim et unam personam, nec iterum quia sunt tres hypostases et tres personae perfectae, oportet nos confiteri tres naturas esse, sed unam naturam, unam potentiam, unam voluntatem, unum actum naturalem Patris et Filii et Spiritus sancti.

Et iterum confitemur, quod Deus Verbum unigenitus Patris de voluntate Patris et Spiritus sancti descendit, habitavit in utero virginis Mariae, et natus est ex ea nativitate secunda, cum natus sit a Patre nativitate aeterna. Et factus est ex ea homo perfectus, animatus anima rationali intellectiva, similis nobis in omnibus praeter peccatum, et ipse est perfectus Deus, et perfectus homo

sine mixtione, sine confusione, et ipse est unus Deus, unus Christus, una persona, sicut dicit Athanasius, et Cyrillus, quod Deo Verbo est una natura incarnata. Et propter hoc confitemur, quod Maria est mater Dei in veritate, quia ipsa peperit Deum incarnatum, qui natus est pro salute nostra, et crevit in dimensionibus humanis, et complevit gubernationem, et passus est, et mortuus secundum carnem, et surrexit tertia die, et cum impleret divina, erat in veritate perfectus Deus, et perfectus homo, et iterum cum operaretur humana, erat perfectus Deus et perfectus homo unus post unionem. Non recepimus igitur eos, qui confitentur dualitatem divisiam unitatis, nec iterum eos, qui confitentur mixtionem et confusionem, sicut Eutyches excommunicatus, sed recipimus omnes, qui sequuntur fidem principis Apostolorum, et incedunt per viam Beati Petri Nicaeni Concilii, quicumque sint illi de doctoribus Ecclesiae sanctae, quorum veritas nota est apud excelsum Deum. Item damnamus et excommunicamus omnem deviantem a fide Beati Petri, et Concilii Nicaeni, et corrumpentem rectitudinem fidei Christianae a tempore Simonis magi usque ad diem hanc, quicumque sint illi, et ipsi noti sunt apud Deum.

Haec est igitur fides nostra et confessio nostra, et nobiscum Aegyptii, et Armeni, et Lybi, et Aethiopes. Confitemur iterum, quod sacrosancta Ecclesia Romana est mater et caput omnium

Ecclesiarum, et ipsa est in qua sunt reposita corpora beatorum Petri et Pauli.

Second Letter

Credimus in Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, unam naturam et tres personas. Pater est gignens, Filius genitus ab eo, et Spiritus sanctus procedens a Patre, accipiens a Filio.

In ultimis autem temporibus ex voluntate Patris et Spiritus sancti, Verbum aeternum descendit de caelo, et habitavit in utero Virginis, et natum est ex ea nativitate secunda, et conservavit ei virginitatem suam post partum, ideo credimus et confitemur eam Dei genitricem. Circumcisus est, et evacuavit circumcisionem, ieiunavit siquidem, et tentatus est a diabolo, et passus est et mortuus est secundum carnem, et resurrexit, et post resurrectionem suam quadraginta diebus mundo apparuit, ut iustificaret resurrectionem suam, ascendit ad caelum, sedet ad dexteram Patris, in de venturus est iudicare vivos et mortuos. Et ipse in veritate est perfectus Deus, et perfectus homo, unus Christus ex duabus naturis divina et humana. Et est divina natura conservata in sancta sua essentia, et in suis proprietatibus, et facta unio inter ipsas sine confusione, sine mixtione, sine corruptione.

Concordamus si quidem cum Beato Petro, et confitemur eum fundamentum esse Ecclesiae, sicut nominavit eum Christus petram dicens, Super hanc petram aedificabo Ecclesiam measm, et ideo Ecclesia, in qua est corpus eius repositum, est mater omnium Ecclesiarum in universo mundo, et dicimus, et praedicamus, quod ipsa est lampas lucens, ex qua omnes aliae lampades succenduntur. Dicimus etiam, quod animae iustorum, qui voluntatem Dei impleverint, quando separantur a corpore, requiescunt in regno caelorum. Peccatores qui moriuntur sine confessione, flagellantur in inferno. Illi vero, qui peccaverint, tamen confessi sunt peccata sua, sed non compleverunt poenitentiam, affligentur usque ad poenitentiae complementum.

Dicimus siquidem quod oportet Christianum discipulum Iesu Christi diligere Christianum fratrem suum, sicut Christus dilexit nos, et posuit animam suam pro nobis. Christianus vero, qui odit fratrem suum, non est Christianus, quia est praevaricator mandatorum Iesu Christi, sed ut discipulus illius, qui invidit Adae, et odivit eum. Haec autem sunt, quae breviter diximus ad ostensionem fidei nostra.

Professio Fidei Clementis IV

Clement PP IV

04 March 1267

Clemens PP IV

Credimus sanctam Trinitatem, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, unum Deum omnipotentem totamque in Trinitate deitatem, coessentialem et consubstantialem, coaeternam, et coomnipotentem, unius voluntatis, potestatis et maiestatis, creatorem omnium creaturarum, a quo omnia, in quo omnia, per quem omnia, quae sunt in caelo et in terra, visibilia, invisibilia, corporalia et spiritualia. Credimus singulam quamque in Trinitate personam unum verum Deum, plenum et perfectum.

Credimus ipsum Filium Dei, Verbum Dei, aeternaliter natum de Patre, consubstantialem, coomnipotentem et aequalem per omnia Patri in divinitate, temporaliter natum de Spiritu Sancto et Maria semper Virgine, cum anima rationali, duas habentem nativitates, unam ex Patre nativitatem aeternam, alteram ex matre temporalem, Deum verum et hominem verum, proprium in utraque natura atque perfectum, non adoptivum, nec phantasticum, sed unum et unicum Filium Dei, in duabus et ex duabus naturis, divina scilicet et humana, in unius personae singularitate, impassibilem et

immortalem divinitate, sed in humanitate pro nobis et salute nostra passum vera carnis passione, mortuum et sepultum, et descendisse ad inferos, ac tertia die resurrexisse a mortuis vera carnis resurrectione, die quadragesima post resurrectionem cum carne, qua resurrexit, et anima ascendisse in caelum et sedere ad dextram Dei Patris, inde venturum iudicare vivos et mortuos, et redditurum unicuique secundum opera sua, sive bona fuerint sive mala.

Credimus et Spiritum Sanctum, plenum et perfectum verumque Deum ex Patre Filioque procedentem, coaequalem et consubstantialem et coomnipotentem et coaeternum per omnia Patri et Filio. Credimus hanc sanctam Trinitatem non tres Deos, sed unicum Deum omnipotentem, aeternum et invisibilem et incommutabilem.

Credimus sanctam catholicam et apostolicam unam esse veram Ecclesiam, in qua unum datur sanctum baptisma et vera omnium remissio peccatorum. Credimus etiam veram resurrectionem huius carnis, quam nunc gestamus, et vitam aeternam. Credimus etiam Novi et Veteris Testamenti, Legis, ac Prophetarum et Apostolorum, unum esse auctorem Deum ac Dominum omnipotentem.

Haec est vera fides catholica, et hanc in supradictis articulis tenet et praedicat sacrosancta Romana Ecclesia. Sed propter diversos errores, a quibusdam ex ignorantia et ab aliis ex malitia introductos, dicit et praedicat, Eos, qui post baptismum in peccata labuntur, non rebaptizandos, sed per veram paenitentiam suorum consequi veniam peccatorum.

Quod si vere paenitentes in caritate decesserint, antequam dignis paenitentiae fructibus de commissis satisfecerint et omissis, eorum animas poenis purgatoriis post mortem purgari, et ad poenas huiusmodi relevandas prodesse eis fidelium vivorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes et eleemosynas et alia pietatis officia, quae a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundum Ecclesiae instituta.

Illorum autem animas, qui post sacrum baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quae post contractam peccati maculam, vel in suis manentes corporibus, vel eisdem exutae, prout superius dictum est, sunt purgatae, mox in caelum recipi.

Illorum autem animas, qui in mortali peccato vel cum solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas.

Eadem sacrosancta Ecclesia Romana firmiter credit et firmiter asseverat, quod nihilominus in die iudicii omnes homines ante tribunal Christi cum suis corporibus comparebunt, reddituri de propriis factis rationem.

Tenet etiam et docet eadem sancta Romana Ecclesia, septem esse ecclesiastica sacramenta, unum scilicet baptisma, de quo dictum est supra, aliud est sacramentum confirmationis, quod per manuum impositionem episcopi conferunt, chrismando renatos, aliud est paenitentia, aliud Eucharistia, aliud sacramentum ordinis, aliud est matrimonium, aliud extrema unctio, quae secundum doctrinam beati Iacobi infirmantibus adhibetur. Sacramentum Eucharistiae ex azymo conficit eadem Romana Ecclesia, tenens et docens, quod in ipso sacramento panis vere transsubstantiatur in corpus et vinum in sanguinem Domini nostri Iesu Christi. De matrimonio vero tenet, quod nec unus vir plures uxores simul, nec una mulier permittitur habere plures viros. Soluto vero legitimo matrimonio per mortem coniugum alterius, secundas et tertias deinde nuptias successive

licitas esse dicit, si impedimentum canonicum aliud ex causa aliqua non obsistat.

Ipsa quoque sancta Romana Ecclesia summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam catholicam obtinet, quem se ab ipso Domino in beato Petro Apostolorum principe sive vertice, cuius Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit. Et sicut prae ceteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et si quae de fide subortae fuerint quaestiones, suo debent iudicio definiri. Ad quam potest gravatus quilibet super negotiis ad ecclesiasticum forum pertinentibus appellare, et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad ipsius potest iudicium recurri, et eidem omnes ecclesiae sunt subiectae, ipsarum praelati oboedientiam et reverentiam sibi dant. Ad hanc autem sic potestatis plenitudo consistit, quod ecclesias ceteras ad sollicitudinis partem admittit, quarum multas et patriarchales praecipue diversis privilegiis eadem Romana Ecclesia honoravit, sua tamen observata praerogativa tum in generalibus conciliis, tum in aliquibus aliis semper salva.

Professio Fidei Michaelis Palaeologi Imperatoris

Michael VIII Palaiologos, Emperor of Byzantium

February 1274

Gregorius PP X

Credimus sanctam Trinitatem, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, unum Deum omnipotentem totamque in Trinitate deitatem, coessentialem et consubstantialem, coaeternam, et coomnipotentem, unius voluntatis, potestatis et maiestatis, creatorem omnium creaturarum, a quo omnia, in quo omnia, per quem omnia, quae sunt in caelo et in terra, visibilia, invisibilia, corporalia et spiritualia. Credimus singulam quamque in Trinitate personam unum verum Deum, plenum et perfectum.

Credimus ipsum Filium Dei, Verbum Dei, aeternaliter natum de Patre, consubstantialem, coomnipotentem et aequalem per omnia Patri in divinitate, temporaliter natum de Spiritu Sancto et Maria semper Virgine, cum anima rationali, duas habentem nativitates, unam ex Patre nativitatem aeternam, alteram ex matre temporalem, Deum verum et hominem verum, proprium in utraque natura atque perfectum, non adoptivum, nec phantasticum, sed unum et unicum Filium Dei, in duabus et ex duabus naturis, divina scilicet et humana, in unius personae singularitate, impassibilem et

immortalem divinitate, sed in humanitate pro nobis et salute nostra passum vera carnis passione, mortuum et sepultum, et descendisse ad inferos, ac tertia die resurrexisse a mortuis vera carnis resurrectione, die quadragesima post resurrectionem cum carne, qua resurrexit, et anima ascendisse in caelum et sedere ad dextram Dei Patris, inde venturum iudicare vivos et mortuos, et redditurum unicuique secundum opera sua, sive bona fuerint sive mala.

Credimus et Spiritum Sanctum, plenum et perfectum verumque Deum ex Patre Filioque procedentem, coaequalem et consubstantialem et coomnipotentem et coaeternum per omnia Patri et Filio. Credimus hanc sanctam Trinitatem non tres Deos, sed unicum Deum omnipotentem, aeternum et invisibilem et incommutabilem.

Credimus sanctam catholicam et apostolicam unam esse veram Ecclesiam, in qua unum datur sanctum baptisma et vera omnium remissio peccatorum. Credimus etiam veram resurrectionem huius carnis, quam nunc gestamus, et vitam aeternam. Credimus etiam Novi et Veteris Testamenti, Legis, ac Prophetarum et Apostolorum, unum esse auctorem Deum ac Dominum omnipotentem.

Haec est vera fides catholica, et hanc in supradictis articulis tenet et praedicat sacrosancta Romana Ecclesia. Sed propter diversos errores, a quibusdam ex ignorantia et ab aliis ex malitia introductos, dicit et praedicat, Eos, qui post baptismum in peccata labuntur, non rebaptizandos, sed per veram paenitentiam suorum consequi veniam peccatorum.

Quod si vere paenitentes in caritate decesserint, antequam dignis paenitentiae fructibus de commissis satisfecerint et omissis, eorum animas poenis purgatoriis seu catharteriis, sicut nobis frater Iohannes (Parastron OFM) explanavit, post mortem purgari, et ad poenas huiusmodi relevandas prodesse eis fidelium vivorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes et eleemosynas et alia pietatis officia, quae a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundum Ecclesiae instituta.

Illorum autem animas, qui post sacrum baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quae post contractam peccati maculam, vel in suis manentes corporibus, vel eisdem exutae, prout superius dictum est, sunt purgatae, mox in caelum recipi.

Illorum autem animas, qui in mortali peccato vel cum solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas.

Eadem sacrosancta Ecclesia Romana firmiter credit et firmiter asseverat, quod nihilominus in die iudicii omnes homines ante tribunal Christi cum suis corporibus comparebunt, reddituri de propriis factis rationem.

Tenet etiam et docet eadem sancta Romana Ecclesia, septem esse ecclesiastica sacramenta, unum scilicet baptisma, de quo dictum est supra, aliud est sacramentum confirmationis, quod per manuum impositionem episcopi conferunt, chrismando renatos, aliud est paenitentia, aliud Eucharistia, aliud sacramentum ordinis, aliud est matrimonium, aliud extrema unctio, quae secundum doctrinam beati Iacobi infirmantibus adhibetur. Sacramentum Eucharistiae ex azymo conficit eadem Romana Ecclesia, tenens et docens, quod in ipso sacramento panis vere transsubstantiatur in corpus et vinum in sanguinem Domini nostri Iesu Christi. De matrimonio vero tenet, quod nec unus vir plures uxores simul, nec una mulier permittitur habere plures viros. Soluto vero legitimo matrimonio per mortem coniugum alterius, secundas et tertias deinde nuptias successive

licitas esse dicit, si impedimentum canonicum aliud ex causa aliqua non obsistat.

Ipsa quoque sancta Romana Ecclesia summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam catholicam obtinet, quem se ab ipso Domino in beato Petro Apostolorum principe sive vertice, cuius Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit. Et sicut prae ceteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et si quae de fide subortae fuerint quaestiones, suo debent iudicio definiri. Ad quam potest gravatus quilibet super negotiis ad ecclesiasticum forum pertinentibus appellare, et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad ipsius potest iudicium recurri, et eidem omnes ecclesiae sunt subiectae, ipsarum praelati oboedientiam et reverentiam sibi dant. Ad hanc autem sic potestatis plenitudo consistit, quod ecclesias ceteras ad sollicitudinis partem admittit, quarum multas et patriarchales praecipue diversis privilegiis eadem Romana Ecclesia honoravit, sua tamen observata praerogativa tum in generalibus conciliis, tum in aliquibus aliis semper salva.

Suprascripta fidei veritate, prout plene lecta est et fideliter exposita, veram sanctam, catholicam et orthodoxam fidem cognoscimus et

acceptamus, et ore ac corde confitemur, quod vere tenet et fideliter docet et praedicat sancta Romana Ecclesia, inviolabiliter observare eamdem professionem, et in ea omni tempore perseverare, nec ullo unquam tempore ab ea discedere quoquomodo, aut deviare vel discordare promittimus. Primatum quoque eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae, sicut in praemissa serie continetur, ad ipsius sanctae Ecclesiae obedientiam venientes, confitemur et recognoscimus, acceptamus et sponte suscipimus.

Professio Fidei Ioannes Beccus

John XI Bekkos, Patriarch Constantinople

& Council of Constantinople

April 1277

Ioannes PP XXI

Credimus enim in unum Deum ingenitum Patrem omnipotentem, immortalem, invisibilem, impalpabilem, universum implentem, et super omnia exsistentem, conditorem totius creaturae visibilis et invisibilis, corporalis et spiritualis. Et in unum Dominum Iesum Christum, Verbum, unigenitum Filium, aeternum ab aeterno Patre, principium de principio, lumen de lumine, Deum de Deo, omnipotentem de omnipotente, aequalem incommutabiliter generanti Patri, prout ipse Dominus in evangelio asserit, dicens, *Qui videt me, videt et Patrem*, qui ante omnia saecula natus, ineffabilem, et intelectu incomprehensibilem habet nativitatem, *Generationem eius quis enarrabit* sacra fatentur eloquia, hoc est, nullus. In consummatione saeculorum descendit inseparabiliter ex paterno sinu intemeratam et semper virginem Mariam, et nostram ex ipsa assumpsit naturam, carnem videlicet humanam cum anima rationali, non secundum phantasiam, sed secundum veritatem, neque supernam et temporalem nativitatem adoptatus, neque secundum inferiorem temporalem, naturalis enim exsistens et verus

Filius Dei, naturalis et verus semper virginis Mariae ipse idem filius exsistit, qui carnem accepit ex ipsa, visibilem invbisibilis, mortalem immortalis, passibilem impassibilis, palpabilem impalpabilis, in qua carne et pro nobis sponte suscepit passionem vera carnis passione. Mortuus et sepultus et descendens ad infernos, et tertia die, secundum scripturam, resurgens a mortuis vera carnis resurrectione. Post quadraginta a resurrectione sua a mortuis, ascendit ad caelos cum eadem, qua resurrexit, carne et anima, et sedet ad dexteram Dei Patris, introitum in caeleste regnum nobis elargiens. Qui venturus est iterum iudex vivorum et mortuorum, redditurus unicuique secundum opera sua.

Credimus eodem modo et in Spiritum sanctum, *omnia scrutantem, etiam profunda Dei*, qui naturaliter inest Deo et Patri et essentialiter insitus est, ut ita dicamus, et indivisibiliter ex ipso procedens, naturaliter inest et Filio, et essentialiter illi insitus est, et indivisibiliter ex ipso procedit. Profunditur quod enim idem procedit, quemadmodum a fonte, Deo et Patre, Profunditur autem et ab ipso Filio, quemadmodum a fonte, velut utique et ex ipso Deo et Patre. Sed licet Pater fons Spiritus sit, et Filius fons Spiritus sit, non tamen duo fontes Spiritus sunt Pater et Filius. Unum enim fontem Spiritus Patrem et Filium fidelis et pia intelligentia tenet, et propter hoc communem Patris et Filii Spiritum sanctae ecclesiae luminaria et

doctores theologizarunt. Sicut enim de substantia Patris naturaliter Spiritus est, sic et ex substantia Filii naturaliter Spiritus, et sicut secundum substantiam exsistit Dei et Patris, ita et secundum substantiam Filii exsistit, et ut proprius est essentiae Patris, et non extra hanc procedens in esse, ita et essentiae Filii proprius est, et non extra hanc procedens in esse. Naturalium enim bonorum Dei et Patris essentialiter exsistens Filius communicator, habet Spiritum, sicut unusquisque nostrum, proprium in seipso continens spiritum, et ex intimis visceribus ad extra profundit ipsum. Propter quod et corporaliter ipsum discipulis insufflavit, quia inspiratione Filii Spiritum novimus, et sensum Christi Spiritum esse, ab Apostolo edocti sumus. Unde unam esse Catholicam et sanctam Apostolicam ecclesiam confitentes, in qua unum datur baptisma, et vera remissio omnium peccatorum, tribus personis, scilicet Patri, et Filio, et Spiritui sancto, in quibus, et ad quas personas baptizamur, gloriam referimus, sicut uni Deo, et ipsas tres esse cognoscentes personas, unum Deum omnipotentem ipsas cognoscimus, totamque in Trinitate deitatem coessentialem, coaeternam, et coomnipotentem, unius dignitatis, unius potentiae, unius voluntatis, unius operationis, singulam sanctae Trinitatis personam Deum plenum et perfectum praedicantes, et confitentes. Et ita credentes, gloriam offerimus Patri, gloriam offerimus Filio, gloriam offerimus Spiritui sancto.

Credimus veram resurrectionem nostrae carnis, quam in praesenti vita gestamus, et futuram vitam, aeternam, perpetuam exspectamus. Credimus etiam ipsum et unum Deum auctorem esse et Dominum omnipotentem veteris et novi testamenti, Prophetarum et Apostolorum, in Trinitate unum cognitum Deum benedicentes nunc et in saecula. Amen. Et hoc quidem usque in tantum.

Ex quo autem sancta Romana ecclesia propter diversos errores, a quibusdam ex ignorantia, ab aliis ex malitia introductos, dicit et praedicat eos, qui post baptismum in peccata labuntur, non rebaptizandos, sed per veram poenitentiam suorum posse consequi veniam peccatorum, et si vere poenitentes in caritate decesserint, antequam dignis poenitentiae fructibus de commissis satisfecerint et omissis, eorum animas in igne purgatorii post mortem purgari, et ad poenas huiusmodi relevandas, prodesse iis fidelium vivorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes, eleemosynas, et alia pietatis officia, quae a fidelibus fieri consueverunt, secundum ecclesiae instituta, et illorum quidem animas, quae post sacrum baptismum susceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerint, illas etiam, quae post baptismum maculam peccati contraxerunt, vel in suis manentes corporibus, vel eisdem exutae, sicut superius dictum est, sunt purgatae, mox in caeleste regnum recipi, illorum

autem animas, qui cum mortali peccato, vel cum solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis disparibus puniendas, et quod nihilominus in die iudicii omnes homines ante tribunal Christi cum suis corporibus comparebunt, reddituri de factis propriis rationem, quoniam quidem sancta ecclesia Romana sic dicit et praedicat, recipimus haec et confitemur, quoniam sanctorum Patrum divinae scripturae ipsa continent.

Cum autem iterum cum supradictis sancta Apostolica ecclesia Romana dicit et praedicat, quod septem sunt ecclesiastica sacramenta, Baptismus, de quo dictum est supra, sacramentum Confirmationis, quod per manus impositionem episcopi conferunt chrismando renatos, Poenitentia, Eucharistia, sacramentum Ordinis, Matrimonium, et Extrema Unctio, quae secundum doctrinam beati Iacobi infirmantibus exhibetur, dicimus et de iis haec, Baptismum hoc recipimus, et confitemur, sicut secundum Confirmationis sacramentum, licet apud ecclesiam Romanam per impositionem manuum soli episcopi conferant, chrismando renatos, apud nos autem indifferenter praelati et presbyteri hoc faciunt, tamen nos eam, quae hactenus apud nos obtenta fuit consuetudo, in ipsa ordinatione conservantes, quod a Romana ecclesia super ipsa sit, sanctificativum et perfectivum esse confitemur. Poenitentiam et ipsam amplectentes confitemur et recipimus. Eucharistiam, et

ipsum sacramentum Eucharistiae, per sanctam ecclesiam Romanam ex azymo pane confectum, secundum ipsius antiquam consuetudinem per ipsam hactenus veneratam, similiter illud quod per nos conficitur sacramentum dicimus esse indistanter, credentes et nos ipsum azymum panem in ipso sacro officio Eucharistiae vere transsubstantiari in corpus Domini nostri Iesu Christi, et vinum in sanguinem eius, per suam sanctissimi Spiritus virtutem et operationem, a nobis iterum ex fermentato confectum pane, sacramentum etiam illud cognoscimus. Quod et conservantes sicut a principio nobis traditum, credimus similiter, ipsum panem vere transsubstantiari in corpus, et vinum in sanguinem Domini nostri Iesu Christi, per sanctissimi Spiritus, ut dictum est, virtutem et operationem. Sacramentum Ordinis et ipsum amplectentes confitemur et recipimus. Matrimonium, de quo tenet ipsa ecclesia Romana, quod nec unus vir plures uxores simul, nec una mulier simul habere permittitur plures viros, soluta vero lege matrimonii per mortem alterius coniugum, secundas et tertias, et deinde nuptias legitime factas, successive licitas esse dicit, si impedimentum canonicum, et causa alia non obsistat, recipimus eodem modo, et de ipso idem dicimus nos. Extremam Unctionem etiam ipsam recipimus similiter cum aliis, quae et a nobis celebrata eptapapadum nominatur. Unum summatim dicimus, cum haec omnia sic veneretur et praedicat dicta sancta ecclesia Romana,

credimus et dicimus quod vere, fideliter, et orthodoxe docet et praedicat ipsa sancta ecclesia Romana, tamen et sic debemus nos permanere incommutabiliter in ritibus, qui a principio obtenti sunt in ecclesia nostra. Haec omnia suprascripta ad confirmationem plenissimam exponentes abnegationis schismatis, et purae ac verae nostrae obedientiae ad primatum ecclesiae Romanae, et repraesentationem et demonstrationem, quod concors sit plenissime et sine defectu nostra ecclesia secundum fidei orthodoxae intellectum sanctae Apostolicae matris omnium ecclesiarum ecclesiae Romanae, nostra bulla consueta roboravimus, mense Aprilis, quintae indictionis, sexti milleni septimi centeni octuagesimi quinti anni, secundo anno pontificatus nostri.

Symbolum Fidei Catholicae ad Hyabalaha III

Roman Curia

7 April 1288

Nicolaus PP IV

Credimus sanctam Trinitatem Patrem et Filium et Spiritum Sanctum unum Deum omnipotentem, totamque in Trinitate deitatem coessentialem et consubstantialem, coaeternam et coomnipotentem, unius voluntatis et potestatis et maiestatis, creatorem omnium creaturarum, a quo omnia, per quem omnia, et in quo omnia, quae sunt in caelo et in terra, visibilia et invisibilia, corporalia et spiritualia. Credimus singulam quamque in sancta Trinitate personam unum verum Deum, plenum et perfectum.

Credimus ipsum filium Dei Verbum Dei aeternaliter natum de Patre, consubstantialem, coomnipotentem et coaequalem per omnia Patri in divinitate, temporaliter natum de Spiritu Sancto ex Maria semper Virgine cum anima rationali, duas habentem nativitates, unam ex Patre aeternam, alteram ex matre temporalem, Deum verum et hominem verum, proprium in utraque natura atque perfectum, non adoptivum neque fantasmaticum, sed unum et unicum Filium Dei in duabus et ex duabus, divina scilicet et humana naturis, sed in unius personae singularitate, impassibilem et immortalem divinitate, sed

in humanitate pro nobis et pro salute nostra passum, vera carnis passione mortuum et sepultum, et descendisse ad infernos, ac tertia die resurrexisse a mortuis vera carnis resurrectione, die quadragesimo post resurrectionem cum carne, quia resurrexit, et anima ascendisse ad caelum et sedere ad dexteram Dei Patris, inde venturum iudicare vivos et mortuos, et redditurum unicuique secundum opera sua, sive bona fuerint sive mala.

Credimus etiam Spiritum Sanctum plenum et perfectum verumque Deum ex Patre et Filio procedentem, coaequalem et coessentialem et coomnipotentem et coaeternum per omnia Patri et Filio.

Credimus hanc Sanctam Trinitatem non tres Deos, sed unum Deum omnipotentem, aeternum, invisibilem et incommutabilem.

Credimus sanctam catholicam et apostolicam unam esse veram Ecclesiam, in qua unum datur baptisma, et vera omnium remissio peccatorum.

Credimus etiam veram resurrectionem eiusdem carnis, quam nunc gestamus, et vitam aeternam.

Credimus etiam Novi et Veteris Testamenti, legis et prophetarum et apostolorum unum esse auctorem Deum et Dominum omnipotentem.

Haec esse vera fides catholica, hanc super dictis articulis tenet et praedicat sacrosancta Romana Ecclesia. Sed et propter diversos errores a quibusdam ex ignorantia, et ab aliis ex malitia introductos dicit et praedicat eos, qui post baptismum in poenam labuntur, non rebaptizandos, sed per veram poenitentiam suorum posse consequi veniam peccatorum. Quod si vere poenitentes in charitate decesserint, antequam dignis poenitentiae fructibus satisfecerint de commissis et omissis, eorum animas poenis Purgatoriis post mortem purgari, et ad poenas huiusmodi relevandas prodesse fidelium vivorum suffragia, missarum scilicet sacrificia, orationes et eleemosynas, et alia pietatis officia, quae a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundum Ecclesiae instituta.

Illorum igitur animas, quae post sanctum Baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam, vel in suis manentes corporibus vel eisdem exutae, prout superius dictum est, sunt purgatae, in caelum mox recipi. Illorum autem animas, qui in mortali peccato, vel cum solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tantum disparibus puniendas, eadem sancta Romana Ecclesia credit

et firmiter asseverat, et quod nihilominus in die iudicii omnes homines ante tribunal Christi cum suis corporibus comparebunt, reddituri de facti propriis rationem.

Tenet etiam et docet eadem Romana Ecclesia septem esse ecclesiastica sacramenta, unum videlicet Baptisma, de quo dictum est superius. Aliud est sacramentum Confirmationis, quod per manus impositionem soli episcopi conferunt crismando renatos. Aliud est Poenitentia. Aliud est Eucharistia. Aliud est sacramentum Ordinis. Aliud est Matrimonium. Aliud est Extrema Unctio, quae secundum doctrinam beati Iacobi infirmantibus exhibetur. Sacramentum Eucharistiae ex azymo conficit eadem Romana Ecclesia, tenens et docens, quod in azymis verum confici corpus Christi, quod te, clerum et populum tuum profiteri volumus credere et tenere, et quod in ipso sacramento virtute divina panis transubstantiatur in Corpus, et vinum in Sanguinem Domini Iesu Christi. De Matrimonio vero tenet, quod nec unus vir simul plures uxores, nec una mulier simul habere permittitur plures viros. Soluta vero lege matrimonii per mortem alterius coniugum secundas et tertias, et deinceps successive nuptias licitas esse dicit, si impedimentum canonicum ex causa alia non obsistat. Ipsa quoque sacrosancta Romana Ecclesia summum et plenum primatum et principatum super universam catholicam Ecclesiam obtinens,

quaem se ab ipso Domino in beato Petro apostolorum principe, cuius Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit, sicut prae caeteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et si quae de fide suborte fuerint quaestiones, suo debet iudicio diffinire, ad quam potest gravatus quilibet in negotiis ad forum ecclesiasticum pertinentibus appellare.

Sed et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad ipsius potest recurri iudicium, et eidem omnes Ecclesiae sunt subiectae, ipsarumquae praelati obedientiam et reverentiam sibi debent, apud quam sic potestatis plenitudo consistit, quod Ecclesias caeteras ad sollicitudinis partem admittit, quarum multas et patriarchales praecipuae diversis privilegiis eadem Romana Ecclesia honoravit, sua tamen praerogativa tam in generalibus conciliis quam in aliis semper salva.

Professio Fidei Bonifatius PP VIII

Bonifatius PP VIII

1295

Bonifatius PP VIII

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Amen. Anno Dominicae Incarnationis MCCXCV, indictione VII, ego Benedictus Caietanus, Sanctae Romanae Ecclesiae diaconus cardinalis et electus ut fiam, per Dei gratiam huius Sacrae Apostolicae Sedis minister humilis, profiteor tibi, Beate Petre Apostolorum Princeps, cuius celestis regni claves ad ligandurn atque solvendum in caelo et in terra creator atque redemptor omnium Iesum Christum tradidit, inquiens, Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis, sanctaeque Ecclesiae tuae, quam hodie tuo praesidio regendam suscipio, quod quamdiu in hac misera vita constitutus fuero, ipsam non deseram, non derelinquam, non abnegabo, nec abdicabo aliquatenus, neque ex quacumque causa et cuiuscumque metus vel periculi occasione dimittam, vel me segregabo ab ipsa, sed vere fidei rectitudinem, quam Christo auctore tradente per te et beatissimum coapostolum tuum Paulum, perque discipulos et successores tuos usque ad exiguitatem meam prolatum in tua sancta Ecclesia reperi, totis conatibus meis usque ad animam et sanguinem custodire tam

de sancta et individuae Trinitatis mysterio, quae unus est Deus, quamque de dispensations, quae secundum carnem facta est unigeniti Filii Domini nostri Iesu Christi, et de caeteris Ecclesiae Dei dogmatibus, sicut in universalibus Conciliis et Constitutionibus Apostolicorum Pontificum, probatissimorumque Ecclesiae doctorum scriptis sunt commendata, id est, quaecumque ad rectitudinem verae nostraeque orthodoae fidei a te traditionem accipiunt, conservare, sancta quoque universalia octo Concilia, id est, Nicaenum, Constantinopolitanum, Ephesinum primum, Chalcedonense, quintum quoque, sextum, item quoque Constantinopolitanum, et septimum, item Nicaenum, octavum quoque, item Constantinopolitanum usque ad unum apicem inviolata servare, pari honore et veneratione habere digna, et quae praedicaverunt et statuerunt omnimode sequi et praedicare, quaeque condemnaverunt condemnare ore et corde diligentius et vivacius quamdiu vixero. Omnia decreta canonica praedecessorum Apostolicorum meorum Pontificum quaecumque vel synodaliter statuerunt et approbata sunt confirmare et indiminuta servare, et sicut ab eis statuta sunt in sui vigoris stabilitate custodire, quemque vel quosque condemnaverunt vel abdicaverunt, simili sententia condemnare vel abdicare, disciplinam et ritum Ecclesiae, sicut inveni et a sanctis praedecessoribus meis canonice traditum reperi, quamdiu vita mihi comes fuerit, illibata custodire, et indiminutas res

Ecclesiae conservare, net alienare, seu in feudum aut censum vel emphyteosim dare quomodolibet ex quacumque causa, et ut indiminute custodiantur operam dare, nihil de traditione quam a probatissimis praedecessoribus meis traditam et servatam reperi, diminuere vel mutare, aut aliquam novitatem admittere, sed ut eorum vere discipulus et sequipeda totis mentis meae conatibus, quae tradita canonice comperio, servare et venerari, si quae vero emerserint contra canonicam disciplinam fratrum meorum sacrosanctae Romanae Ecclesiae cardinalium omnium, quorum consilio et consensu, directione et rememoratione ministerium meum geram et peragam, emendare, aut patienter (excepta fidei aut Christianae religionis gravi offensione) tua et beatissimi coapostoli tui procurante intercessione, tolerare, sacros quoque canones et canonica statuta Pontificum ut divina et caelestia mandata (Deo auxiliante) custodire, utpote Deo et tibi sciens me redditurum de omnibus, quae profiteor, et quamdiu vixero, egero, vel omiscero, districtam in divino iudicio rationem, cui sanctissimae Sedi divina dignatione (te patrocinante) praesideo, et vicem intercessionibus tuis adimplebo.

Eris autem mihi in illa die terribili propitius, hoc conanti et diligenter servare curanti. Adiutorium quoque ut praebeas obsecro in hac corruptibili vita constituto, ut irreprehensibilis appaream ante

conspectum iudicis omnium Domini nostri Iesu Christi, dum terribiliter de commissis advenerit iudicare, et facias me dexterae partis participem, et inter fideIes discipulos, ac successores tuos esse consortem. Hanc autem professionem meam per notarium et scriniarium sacrosanctre Romance Ecclesias, iubente me scriptam, propria manu subscripsi, et tibi, beate Apostolurum omnium princeps, pura mente et devota conscientia super sanctum corpus et altare tuum sinceriter offero. Actum Romae anno, mense, indictione, ut supra.

Professio Fidei Hyabalaha III Patriarcha Orientis

Yahballaha III, Patriarch of the East

18 May 1304

Benedictus PP XI

Credimus in unum Deum aeternum, summe sapientem, vivum, omnium bonorum largitorem, omnipotentem, unam substantiam et tres personas, Patrem, Filium et Spiritum sanctum, unam deitatem, Patrem generantem, Filium generatum, Spiritum sanctum procedentem, unum dominum, unum adoratum, creatorem rerum visibilium et invisibilium, infigurabilem, incorporeum, et inimagibilem super omnem intellectum, immensum et incomprehensibilem propter humani intellectus debilitatem. Quapropter ad aliquam fidelium manuductionem dicimus et confitemur ipsum Patrem generantem sive loquentem, Filium autem genitum sive Verbum, Spiritum autem sanctum tam Verbi quam loquentis esse Spiritum sive vitam, et propter hoc scriptum est in principio Genesis, Dixit Deus faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. Sicut etiam videmus in sole ipsum corpus solare, et radium sive lucem ab ipso exeuntem, et calorem ab utroque manantem, quae tria unum solem dicimus et non tres, sic et tres personas unum Deum.

Confitemur etiam quod in fine saeculorum una persona de tribus divinis, illa scilicet quam assimilavimus radio solari vel Verbo Dei, induit perfectam humanitatem de virgine Maria, propter salutem hominum et ut ostenderet nobis lucem veritatis, et fuit unita divinitas humanitati et humanitas divinitati inseparabiliter et sine fine. Et ista est fides nostra in Dominum nostrum, Iesum Christum, Deum nostrum, qui completus est Deus et completus homo in una persona, totus apud Patrem et totus in Matre. Et ab illa hora qua, per Gabrielem archangelum, ex parte Dei virgini Mariae annunciatio facta de filio nascituro, et dictum est ei, Ave gratia plena, Dominus tecum, etc., ex tune divinitas non dimisit humanitatem, nec in cruce nec in sepulchro, ita tamen quod divinitas pati non potuit, nec mori, nec aliquam poenalitatem sustinere.

Et confîtemur nihilominus, quod domina nostra, virgo sancta Maria, genuit et peperit Deum et Dominum nostrum, Iesum Christum, qui est homo perfectus et unitus Deo perfecto, sicut attestatur sanctum Evangelium, quando dixit angelus ad pastores, Annuntio vobis gaudium magnum, quia natus est vobis hodie salvator mundi, qui est Christus Dominus Deus, in civitate David.

Et nos etiam acceptamus et recipimus fidem et dicta omnium illorum quae ordinata fuerunt in Niceno concilio per sanctos Patres

trecentos decem et octo, quorum orationibus nos Deus custodiat. Illorum ordinationem et dicta nos recipimus sicut dicta quatuor Evangelistarum, et sicut ordinationes Apostolorum, et sicut epistolas Pauli, elongamur et separamur ab omnibus qui dictis sanctis Patribus contradicunt.

Profitemur insuper sanctum romanum summum pontificem et patrem universalem omnium fidelium Christi, et confitemur quod ipse est successor beati Petri, universalis vicarii Iesu Christi, super omnes filios Ecclesiae, ab Oriente usque in Occidentem, cuius amor et dilectio in nostris cordibus est firmata, et nos sub eius obedientia sumus, et requirimus ac imploramus suam benedictionem, et sumus parati ad omne eius praeceptum, requirentes humiliter et implorantes eius auxilium in necessitatibus nostris, et tribulationibus, in quibus longo tempore iam fuimus, et permanemus, et ipse pius pater ne avertat a nobis faciem suam, cum simus omnes fratres in Christo, et eius filii per veram fidem catholicam, et dignetur corda nostra erigere in gaudium et consolationem per litteras suas, mandando nobis quae facere debeamus, quae accepta et grata sint suae sanctitati.

Et insinuamus sanctitati vestrae reverendae, quod nos imposuimus et commisimus verbotenus verba aliqua praedicto fratri Iacobo,

exhibitori praesentium, tanquam fideli et veraci nuncio, coram vobis proponenda, cui debeatis credere in omnibus tanquam nobis, et illa, quae loquitur de nobis vera sunt, quia nos cognovimus fîrmiter in eo veritatem et fîdelitatem.

Inclinamus cum salutatione et oratione sanctis et electis dominis nostris cardinalibus, et omnibus aliis praelatis, et regibus, et sacerdotibus, el religiosis, el baronibus, et fidelibus omnibus, qui obedientes sunt fidei Romanae Ecclesiae. Det nobis Deus suam benedictionem et sancti patris nostri summi pontificis per merita et orationis apostolorum Petri et Pauli. Omnes praelati Orientis, qui circa nos sunt, archiepiscopi et episcopi, et sacerdotes et religiosi, et alii fideles supplicant vobis, et salutant cum orationibus, et petunt a vobis orationem et benedictionem.

Scriptum feria secunda, in crastino Pentecostes, octodecimo die mensis maii anno millesimo sexgentesimo decimo quinto ab Alexandro rege, in civitate Maraga, regno Persarum.

Professio Fidei Ioannes Palaiologus Imperator Romanorum

John V Palaiologos, Emperor of Byzantium

18 October 1369

Urbanus PP V

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.

Ego Ioannes in Christo Deo fidelis Imperator, et Romanorum moderator Palaeologus, Spiritus sancti lumine illustratus, volens saluti animae meae providere, sponte veni ad sacram Urbem Romanam, sanctissimum Patrem Dominum Urbanum, divina providentia Papam quintum, et sanctam Sedem Apostolicam visitaturus, ac eiusdem Domini Papae, vel alterius, seu aliorum ab eo in hac parte deputatorum manibus recogniturus et professurus fidem Catholicam, quam sacrosancta Romana ac universalis Ecclesia profitetur, tenet et docet, et circa perpetuam observantiam eiusdem fidei, praefati Domini Papae, ac suorum successorum Romanorum Pontificum mandatis plenarie et efficaciter pariturus.

Ideoque in praesentia vestrum, Reverendissimi Patres, Domini Gulielme Episcope Ostiensis, et Bernarde Basilicae duodecim Apostolorum, ac Francisce tituli sanctae Sabinae, Presbyteri, et Raynalde sancti Adriani Diacone, Cardinales, Commissarii super hoc

a praefato Domino Papa deputati, ac venerabiles viri eiusdem Sedis Notarii, et testium infrascriptorum personaliter constitutus,

profiteor et credo sanctam Trinitatem, Patrem et Filium et Spiritum sanctum, unum Deum omnipotentem, totamque in Trinitate deitatem, coessentialem et consubstantialem, coaeternam et coomnipotentem, unius voluntatis, potestatis, et maiestatis, Creatorem omnium creaturarum, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, quae sunt in caelo et in terra, visibilia et invisibilia, corporalia et spiritualia. Item credo singulam quamque in Trinitate personam, unum verum Deum plenum et perfectum.

Credo ipsum Filium Dei, Verbum Dei, aeternaliter natum ex Patre, consubstantialem, unius et eiusdem omnipotentiae et coaequalem per omnia Patri in Divinitate, in tempore conceptum de Spiritu sancto, natum ex Maria semper Virgine cum anima rationali, duas habentem nativitates, unam ex Patre aeternam, alteram ex Matre corporalem, Deum verum et hominem verum, proprium in utraque natura atque perfectum, non adoptivum, neque secundum phantasiam, sed verum et unicum Filium Dei, in duabus ex duabus, divina scilicet et humana, naturis, sed in unius singularitate personae, impassibilem et immortalem divinitate, sed in humanitate pro nobis et salute nostra passum, vera carnis passione, mortuum et

sepultum, et descendisse ad infernos, et tertia die resurrexisse a mortuis, vera carnis resurrectione, die quadragesimo post resurrectionem, cum carne, qua resurrexit, et anima ascendisse ad caelum, et sedere ad dexteram Dei Patris, inde venturum iudicare vivos et mortuos, et redditurum unicuique secundum opera sua, sive bona fuerint sive mala.

Credo etiam Spiritum sanctum, plenum et perfectum verumque Deum, ex Patre et Filio procedentem, coaequalem, et coessentialem, et coomnipotentem, et coaeternum per omnia Patri et Filio. Credo hanc sanctam Trinitatem, non tres Deos sed unum Deum, omnipotentem, aeterni, invisibilem, et incommutabilem.

Credo sanctam Catholicam et Apostolicam, unam esse veram Ecclesiam, in qua unum datur Baptisma, et vera omnium remissio peccatorum. Credo veram resurrectionem eiusdem carnis, quam nunc gestamus, et vitam aeternam. Credo etiam novi et veteris Testamenti, id est, legis et veteris et novae, Prophetarum et Apostolorum, unum esse auctorem Deum et Dominum omnipotentem.

Credo, hanc esse veram fidem Catholicam, et quod hanc supradictis articulis tenet et praedicat sacrosancta Romana Ecclesia, et propter

diversas haereses, a quibusdam ex ignorantia, et ab aliis ex militia, introductas, dicit et praedicat, eos, qui post Baptismum in peccata labuntur, non rebaptizandos, sed per veram poenitentiam suorum posse consequi veniam peccatorum, quod si vere poenitentes in charitate decesserint, antequam dignis paenitentia fructibus de commissis satisfecerint et missis, eorum animas poenis purgatoriis post mortem purgari, et ad poenarum huiuscemodi alleviationem et liberationem prodesse eis fidelium vivorum suffragia, scilicet sacrificia, orationes et eleemosynas, et alia pietatis officia, quae a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt, secundum Ecclesiae instituta.

Credo etiam, illorum animas qui, post sacrum Baptisma susceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam quae post contractam peccati maculam vel in suis manentes corporibus, vel eisdem exutae, prout dictum est superius, sunt purgatae, in caelum mox recipi, illorum autem animas, qui in mortali peccato, vel cum solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas, eadem sancta Romana Ecclesia credit et firmiter asservat, et quod nihilominus in die iudicii omnes homines ante tribunal Christi, cum suis corporibus, comparebunt, reddituri de factis propriis rationem.

Item credo, sicut tenet etiam et docet eadem sancta Ecclesia Romana, septem esse Ecclesiae Sacramenta. Unum scilicet Baptisma, de quo dictum est supra. Aliud est Sacramentum Confirmationis, quod per manus impositionem Episcopi conferunt, chrismando renatos. Aliud est Poenitentia, aliud est Eucharistia, aliud est Sacramentum Ordinis, aliud Matrimonii, aliud est extrema Unctio, quae, secundum doctrinam Beati Iacobi, infirmantibus exhibetur.

Sacramentum Eucharistiae ex azymo sacrificat Ecclesia Romana praedicta, tenens et docens, quod, in ipso Sacramento, panis vere transmutatur in corpus, et vinum in Sanguinem Domini nostri Iesu Christi. De Matrimonio vere tenet, quod nec unus vir simul plures uxores, nec una mulier simul habere permittitur plures viros, soluta vero lege matrimonii per mortem alterutrius coniugum, secundas et tertias et deinceps nuptias successive licitas esse dicit, si impedimentum Canonicum et causa alia non obsistat.

Ipsa quoque sacrosancta Romana Ecclesia summum et plenum Primatum et principatum super universam Catholicam Ecclesiam obtinet, quem scilicet ab ipso Domino in Beato Petro, Apostolorum Principe seu vertice, cuius Romanus Pontifex est successor, cum plena potestate recepisse, veraciter et humiliter recognoscit, et

sicut prae caeteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et, si quae de fide subortae fuerint quaestiones, suo debent iudicio definiri, ad quam potest gravatus quilibet in negotiis ad forum Ecclesiasticum pertinentibus appellare. Sed et in omnibus causis, ad examen Ecclesiasticum spectantibus, ad ipsius recurri potest iudicium, et eidem omnes Ecclesiae sunt subiectae, ipsarumque Episcopi obedientiam et reverentiam sibi debent, apud quam sic potestatis plenitudo consistit, quod Ecclesias caeteras ad solicitudinis partem admittit, quarum multas, Patriarchales praecipue, diversis privilegiis eadem Romana Ecclesia honoravit, sua tamen praecellenti dignitate et superioritate, tam in generalibus Conciliis quam in quibusqunque aliis, semper salva.

Unde suprascriptam fidei veritatem, prout plene lecta est et fideliter exposita, veram, sanctam, et orthodoxam fidem esse recognosco, eam accepto, et corde ac ore profiteor, ipsamque prout eam veraciter tenet et fideliter docet et praedicat sacrosancta Romana Ecclesia, me inviolabiliter servaturum, et in ea omni tempore perseveraturum, nec ab ea ullo tempore recessurum, seu quoquo modo deviaturum promitto, et abrenuncio omni schismati.

Primatum quoque ipsius sacrosanctae Romanae Ecclesiae, prout in praemissa serie continetur, ad ipsius Ecclesiae obedientiam

spontaneus veniens, fateor et recognosco, accepto ac sponte suscipio, et me omnia praemissa, tam circa fidei veritatem, quam circa dictae Ecclesiae primatum, et ipsorum recognitionem, acceptationem, susceptionem, observantiam et perseverantiam, servaturum, praestito corporali iuramento promitto et confirmo. Sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei Evangelia.

Quod si contra haec aliquid sentire, confiteri, aut aliud agere praesumpsero, me schismaticum et anathematizatum eo ipso recognosco, et severitati sacrorum canonum subiacere. Ad certitudinem praedictorum, et cautelam maiorem, praesens iuramentum mysticum exposui, et instrumentum feci, bulla aurea munitum, scriptum in antiqua Roma, anno ab Incarnatione Domini MCCCLXIX, Indictione VII, die XVIII mensis Octobris, suprascripti sanctissimi patris et domini domini Urbani, divina providentia papae V anno VII.

Iuramentum Fidelitatis et Obedientiae et Professio Fidei Catholicae Andreae Episcopi Cerethensis in Moldavia ab Episcopo Cracoviensi

Andreas Wasilo, Bishop of Wilno

9 May 1371

Gregorius PP XI

Ego Andreas Episcopus Cerethensis iuro, promitto, et fide data pure simpliciter me tactis Dei sacrosanctis evangeliis iurasse, promisisse et spopondisse presentibus confiteor, et Sacrosanctae Romanae Ecclesiae recognosco articulos et capitula infrascripta, quae me indicant ad unitatem ecclesiae pertinere, et eius sp ... utpote unum de membris corporis ecclesiastici vivificari et foveri.

Equidem sub ipso iuramento promitto, et fide data polliceor me credere et simpliciter profiteri sanctam Trinitatem Paterm et Filium ac Spiritum Sanctum unum Deum omnipotentem, totamque in Trinitate deitatem, coessentialem et consubstantialem, coaeternam et coomnipotentem, unius voluntatis, potestatis et maiestatis, creatorem omnium creaturarum, a quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, quae sunt in caelo et in terra, visibilia et invisibilia, corporalia et spiritualia. Item credo singulam quamque in Trinitate personam unum verum Deum, plenum et perfectum.

Credo ipsum filium Dei Verbum Dei aeternaliter natum ex Patre, consubstantialem, unius et eiusdem omnipotentiae, et coaequalem per omnia Patri in divinitate, in tempore natum de Spiritu Sancto ex Maria semper Virgine cum anima rationali, duas habentem nativitates, unam ex Patre aeternam, alteram ex matre temporalem, Deum verum et hominem verum, proprium in utraque natura atque perfectum, non adoptivum, neque secundum fantasiam, sed unum et unicum Filium Dei, in duabus et ex duabus, divina scilicet et humana naturis, sed in unius personae singularitate, impassibilem et immortalem divinitate, sed in humanitate pro nobis et salute nostra passum vera carnis passione, mortuum et sepultum, et descendisse ad infernos, et tertia die resurrexisse a mortuis vera carnis resurrectione, et die quadragesimo post resurrectionem cum carne, cum qua resurrexit, et anima ascendisse ad caelum, et sedere ad dexteram Patris, inde venturum iudicare vivos et mortuos, et redditurum unicuique secundum opera sua, sive bona fuerint sive mala.

Credo etiam Spiritum Sanctum plenum et perfectum verumque Deum ex Patre et Filio procedentem, coaequalem et consubstantialem, et coomnipotentem et coaeternum per omnia Patri et Filio.

Credo hanc Sanctam Trinitatem non tres Deos, sed unum Deum omnipotentem, aeternum, invisibilem et incommutabilem.

Credo sanctam catholicam et apostolicam unam esse veram Ecclesiam, in qua unum datur baptisma, et vera omnium remissio peccatorum. Credo etiam veram resurrectionem eiusdem carnis, quam nunc gestamus, et vitam aeternam. Credo etiam Novi et Veteris Testamenti, id est legis et prophetarum et apostolorum unum esse auctorem Deum et Dominum omnipotentem.

Credo hanc esse veram fidem catholicam, et quod hanc super dictis articulis tenet, et praedicat sacrosancta Romana Ecclesia, et propter diversas haereses, a quibusdam ex ignorantia, et ab aliis ex malitia introductas, dicit et praedicat eos, qui post baptismum in peccata labuntur, non rebaptizandos, sed per veram poenitentiam suorum posse consequi veniam peccatorum. Quod si vere poenitentes in charitate decesserint, antequam dignis poenitentiae fructibus de commissis satisfecerint et omissis, eorum animas poenis Purgatoriis post mortem purgari, et ad poenarum huiusmodi alleviationem et liberationem prodesse eis fidelium vivorum suffragia, scilicet sacrificia, orationes et eleemosynas, et alia pietatis officia, quae a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundum Ecclesiae instituta.

Credo etiam illorum animas, qui post sacrum Baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quae post contracti peccati maculam vel in suis manentes corporibus vel eisdem exutae, prout dictum est superius, sunt purgatae, in caelum mox recipi. Illorum autem animas, qui in mortali peccato, vel cum solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas, eadem sancta Romana Ecclesia credit et firmiter asseverat, et quod nihilominus in die iudicii omnes homines ante tribunal Christi cum suis corporibus comparebunt, reddituri de factis propriis rationem.

Credo, sicut etiam docet et tenet eadem Ecclesia Romana, septem esse ecclesiastica sacramenta, unum scilicet Baptisma, de quo dictum est supra. Aliud est sacramentum Confirmationis, quod per manus impositionem episcopi conferunt crismando renatos. Aliud est Poenitentia. Aliud est Eucharistia. Aliud est sacramentum Ordinis. Aliud est Matrimonium. Aliud est Extrema Unctio, quae secundum doctrinam beati Iacobi infirmantibus exhibetur. Sacramentum Eucharistiae ex azymo sacrificat Ecclesia Romana praedicta, tenens et docens, quod in ipso sacramento panis vere transmutatur in corpus, et vinum in sanguinem Domini Iesu Christi. De Matrimonio vero tenet, quod nec unus vir simul plures, nec una

mulier simul habere permittitur plures viros. Soluta vero lege matrimonii per mortem alterutrius coniugum, secundas et tertias, et deinceps nuptias successive licitas esse dixit, si impedimentum canonicum ex causa alia non obsistat. Ipsa quoque sacrosancta Romana Ecclesia summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam catholicam obtinet, quaem se ab ipso Domino in beato Petro apostolorum principe seu vertice, cuius Romanus Pontifex est successor, cum plena potestate recepisse veraciter et humiliter recognoscit, et sicut prae caeteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et si quae de fide suborte fuerint quaestiones, suo debent iudicio diffiniri, ad quam potest gravatus quilibet in negotiis ad forum ecclesiasticum pertinentibus appellare. Sed et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad ipsius recurri potest iudicium, et eidem omnes Ecclesiae sunt subiectae, ipsarumquae episcopi obedientiam et reverentiam sibi debent, apud quam sic plenitudo potestatis consistit, quod Ecclesias caeteras ad sollicitudinis partem admittit, quarum multas, patriarchales praecipuae diversis privilegiis eadem Romana Ecclesia honoravit, sua tamen praecellenti dignitate et superioritate tam in generalibus conciliis, quam in quibuscumquae aliis semper salva.

Unde suprascriptam fidei veritatem, prout plene scripta et lecta est, et fideliter exposita, veram sanctam et orthodoxam fidem esse

recognosco, eam accepto et corde ac ore profiteor, ipsamque prout eam veraciter tenet et fideliter docet et praedicat sacrosancta Romana Ecclesia, me inviolabiliter servaturum et in ea omni tempore perseveraturum, nec ab ea ullo unquam tempore recessurum et quoquomodo deviaturum promitto, et abrenuncio omni schismati.

Primatum quoque ipsius sacrosanctae Romanae Ecclesiae, prout in praemissa serie continetur, ad ipsius Ecclesiae obedientiam spontaneus veniens fateor et recognosco, accepto et sponte suscipio, et me omnia praemissa, tam circa fidei veritatem, quam circa eiusdem Ecclesiae primatum et ipsorum recognitionem, acceptationem, susceptionem, observantiam et perseverantiam servaturum, praestito corporaliter iuramento promitto et confirmo. Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia.

Quod si contra haec aliquid sentire, confiteri aut alias agere praesumpsero, me schismaticum et anathematizatum eo ipso recognosco, ac severitati sacrorum canonum subiacere. Praemissis itaquae hiis omnibus et singulis volo et promitto fideliter et firmiter adherere et me subicere, et a meis subditis observari iuxta meum posse et facultatem, quam mihi Deus omnipotens de alto concedere dignabitur de sua clementissima pietate.

In cuius iuramenti et sponsionis evidentiam clariorem praesentes scribi feci, sigillum meum proprium eidem appendendo. Scriptum et datum Cracoviae die nona mensis Maii, anno Domini MCCCLXXI. Pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini, domini Gregorii papae XI anno primo.

Haereticis Schismaticis Aliisque a Sacrosancta Apostolica Romana et Universali Catholica Ecclesia Quomodolibet Deviantibus et ad Eiusdem Ecclesiae Unitatem Obedientiam et Reverentiam Redeuntibus Formam Professionis Fidei Praestandam Praescribit

Urbanus PP VI

1 Augustus 1385

Urbanus PP VI

Ego talis profiteor et credo Sanctam Trinitatem Patrem et Filium et Spiritum Sanctum unum Deum omnipotentem, totemque in Trinitate dignitatem coesseentialem et consubstantialem, coaeternam et coomnipotentem, unius voluntatis, potestatis et maiestatis Creatorem omnium creaturarum, ex quo omnia, per quem omnia, quae sunt in caelo et in terra, invisibilia et invisibilia, corporalia et spiritualia. Item credo singulam quamque in Trinitate Personam unum Deum verum, plenum et perfectum.

Credo ipsum Filium Dei Verbum Dei aeternaliter natum ex Patre, consubstantialem, unius et eiusdem omnipotentiae et coaequalem per omnia Patri in divinitate, in tempore natum de Spiritu Sancto ex Maria semper Virgine cum anima rationali, duas habentem nativitates, unam ex Patre aeternam, alteram ex matre temporalem, Deum verum, et hominem verum, proprium in utraque natura atque

perfectum, non adoptivum neque secundum fantasia, sed unum et unicum Filium Dei in duabus et ex duabus, divina scilicet et humana, naturis, sed in unius Personae singularitate, impassibilem et immortalem divinitate, sed in humanitate pro nobis et salute nostra passum vera carnis passione, mortuum et sepultum, et descendisse ad infernos, et tertia die resurrexisse a mortuis vera carnis resurrection, et die quadragesimo post resurrectionem cum carne, quia resurrexit, et anima ascendisse ad caelum, et sedere ad dexteram Patris, inde venturum iudicare vivos et mortuos, et redditurum unicuique secundum opera sua, sive bona fuerint, sive mala.

Credo etiam Spiritum Sanctum plenum et perfectum, verumque Deum ex Patre et Filio procedentem, coaequalem et coessentialem et coomnipotentem et coaeternum per omnia Patri et Filio.

Credo hanc Sanctam Trinitatem, non tres Deos, sed unum Deum omnipotentem, aeternum, invisibilem et incommutabilem.

Credo sanctam catholicam et apostolicam unam esse veram Ecclesiam, in qua unum datur baptisma et vera omnium remissio peccatorum. Credo etiam veram resurrectionem eiusdem carnis, quam nunc gestamus, et vitam aeternam.

Credo etiam Novi et Veteris Testamenti, id est legis, et prophetarum, et apostolorum unum esse auctorem Deum et Dominum omnipotentem.

Credo hanc esse veram fidem catholicam, et quod hanc super dictis articulis tenet et praedicat sacrosancta Romana Ecclesia, et propter diversas haereses a quibusdam ex ignorantia et ab aliis ex militia introductas dicit et praedicat eos, qui post baptismum in peccata labuntur, non rebaptizandos, sed per veram poenitentiam suorum posse consequi veniam peccatorum. Quod si vero poenitentes in charitate decesserint, antequam dignis poenitentiae fructibus de comissis satisfecerint et omissis, eorum animas poenis Purgatorii post mortem purgari, et ad poenarum huiusmodi alleviationem et liberationem prodesse eis fidelium vivorum suffragia, scilicet sacrificia, orationes et eleemosynas et alia pietatis officia, quae a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundum Ecclesiae instituta.

Credo etiam illorum animas, qui post sacrum Baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam vel in suis habentes corporibus vel eisdem exutae, prout dictum est superius, sunt purgatae, in caelum mox recipi. Illorum autem animas, qui in mortali peccato, vel cum solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen

disparibus puniendas, eadem sancta Romana Ecclesia credit et firmiter asseverat. Et quod nihilominus in die iudicii omnes homines ante tribunal Christi cum suis corporibus comparebunt, reddituri de factis propriis rationem.

Credo sicut etiam tenet et docet eadem Ecclesia Romana, septem esse ecclesiastica sacramente, unum scilicet Baptisma, de quo dictum est supra. Aliud est sacramentum Confirmationis, quod per manus impositionem episcopi conferunt crismando renatos. Aliud est Poenitentia. Aliud est Eucharistia. Aliud est sacramentum Ordinis. Aliud Matrimonium. Aliud est Extrema Unctio, quae secundum doctrinam beati Iacobi infirmantibus exhibetur. Sacramenta Eucharistiae ex azymo sacrificat Ecclesia Romana praedicta, tenens et docens, quod in ipso sacramento panis vere transmutatur in Corpus, et vinum in Sanguinem Domini nostri Iesu Christi. De Matrimonio vero tenet, quod nec unus vir simul habere permittitur plures viros. Soluta vero lege matrimonii per mortem alterutrius coniugum, secundas et tertias et deinceps nuptias successive licitas esse dicit, si impedimentum canonicum et causa alia non obsistat.

Ipsa quoque sacrosancta Romana Ecclesia summum et plenum primatum et principatum super universam catholicam Ecclesiam

obtinet, quae se ab ipso Domino in beato Petro apostolorum principe seu vertice, cuius Romanus Pontifex est successor, cum plena potestate recepisse veraciter et humiliter recognoscit, et sicut prae caeteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et si quae de fide suborte fuerint quaestiones, suo debent iudicio diffiniri, ad quam potest gravatus quilibet in negotiis ad forum ecclesiasticum pertinentibus appellare, sed in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad ipsius recurri potest iudicium, et eidem omnes Ecclesiae sunt subiectae.

Ipsarum episcopi obedientiam et reverentiam sibi debent, apud quam sic plenitudo potestatis consistit, quod Ecclesias caeteras ad solicitudinis partem admittit, quarum multas, patriarchales praecipuae, diversis privilegiis eadem Romana Ecclesia honoravit, sua tamen praecellenti dignitate et superioritate tam in generalibus conciliis, quam in quibuscumque aliis semper salva.

Unde suprascriptam fidei veritatem, prout plene scripta et lecta est et fideliter exposita, veram sanctam et orthodoxam fidem esse recognosco, eam accepto et corde ac ore profiteer, ipsamque, prout eam veraciter tenet et fideliter docet et praedicat sacrosancta Romana Ecclesia, me inviolabiliter servaturum et in ea omni tempore perseveraturum, nec ab ea ullo unquam tempore

recessurum et quoquomodo deviaturum promitto, et abrenuncio omni schismati.

Primatum quoque ipsius sacrosanctae Romanae Ecclesiae, prout in praemissa serie continetur, ad ipsius Ecclesiae obedientiam spontaneus veniens fateor et recognosco, accepto et sponte suscipio, et me omnia praemissa, tam circa fidei veritatem, quam circa eiusdem Ecclesiae Romanae primatum et ipsorum recognitionem, acceptionem, susceptionem, observantiam et perseverantiam servaturum, praestito corporaliter iuramento, promitto et confirmo, sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia.

Quod si contra haec aliquid sentire, confiteri aut alias agere praesumpsero, me schismaticum, anathematizatum eo ipso recognosco, ac severitati sacrorum canonum subiacere.

Forma de Professione Papae Facienda

Council of Constance

9 October 1417

Sede Vacante

In nomine sanctae et individuae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen. Anno a nativitate Domini millesimo et cetera indictione et cetera.

Ego N. electus in Papam, omnipotenti Deo, cuius ecclesiam suo praesidio regendam suscipio, et beato Petro Apostolorum Principi corde et ore confiteor et profiteor, quamdiu in hac fragili vita constitutus fuero, me firmiter credere et tenere fidem catholicam, secundum traditiones Apostolorum, generalium conciliorum, et aliorum sanctorum partum, maxime autem sacrorum octo conciliorum universalium, videlicet primi Nicaeni, secundi Constantinopolitani, tertii Ephesini, quarti Chalcedonensis, quinti et sexti item Constantinopolitani, septimi item Nicaeni, octavi quoque Constantinopolitani, nec non Lateranensis, Lugdunensis, et Viennensis generalium etiam conciliorum.

Et illam fidem usque ad unum apicem immutilatam servare et usque ad animam et sanguinem, confirmare defensare et praedicare, ritum que pariter sacramentorum ecclesiasticorum catholicae ecclesiae traditum, omnimode prosequi et observare.

Hanc autem professionem et confessionem meam, per notarium scriniarium Sanctae Romanae Ecclesiae me iubente, scriptam propria manu subscripsi, et tibi omnipotenti Deo, pura mente et devota conscientia super tali altari N. sinceriter offero, in praesentia talium ac talium.

Professio Fidei Sacrosancta Romana Ecclesia

Eugenius PP IV & Council of Florence

4 February 1442

Eugenius PP IV

In primis Sacrosancta Romana Ecclesia, Domini et Salvatoris nostri voce fundata, firmiter credit, profitetur et praedicat, unum verum Deum omnipotentem, incommutabilem et aeternum, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, unum in essentia, trinum in personis, Patrem ingenitum, Filium ex Patre genitum, Spiritum Sanctum ex Patre et Filio procedentem. Patrem non esse Filium aut Spiritum Sanctum, Filium non esse Patrem aut Spiritum Sanctum, Spiritum Sanctum non esse Patrem aut Filium, sed Pater tantum Pater est, Filius tantum Filius est, Spiritus Sanctus tantum Spiritus Sanctus est. Solus Pater de substantia sua genuit Filium, solus Filius de solo Patre est genitus, solus Spiritus Sanctus simul de Patre procedit et Filio. Hae tres personae sunt unus Deus, et non tres dii, quia trium est una substantia una essentia, una natura, una divinitas, una immensitas una aeternitas omniaque sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio. Propter hanc unitatem Pater est totus in Filio, totus in Spiritu Sancto, Filius totus est in Patre, totus in Spiritu Sancto, Spiritus Sanctus totus est in Patre, totus in Filio. Nullus alium aut praecedit aeternitate aut excedit magnitudine, aut superat

potestate. Aeternum quippe et sine initio est, quod Filius de Patre exstitit, et aeternum ac sine initio est, quod Spiritus Sanctus de Patre Filioque procedit. Pater quidquid est aut habet, non habet ab alio, sed ex se, et est principium sine principio. Filius quidquid est aut habet, habet a Patre, et est principium de principio. Spiritus Sanctus quidquid est aut habet, habet a Patre simul et Filio. Sed Pater et Filius non duo principia Spiritus Sancti, sed unum principium, sicut Pater et Filius et Spiritus Sanctus non tria principia creaturae, sed unum principium.

Quoscumque ergo adversa et contraria sentientes damnat, reprobat et anathematizat et a Christi corpore quod est Ecclesia, alienos esse denuntiat. Hinc damnat Sabellium personas confundentem et ipsarum distinctionem realem penitus auferentem. Damnat Arianos, Eunomianos, Macedonianos solum Patrem Deum verum esse dicentes, Filium autem et Spiritum Sanctum in creaturarum ordine collocantes. Damnat et quoscumque alios, gradus seu inaequalitatem in Trinitate facientes.

Firmissime credit, profitetur et praedicat, unum verum Deum, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, esse omnium visibilium et invisibilium creatorem, qui quando voluit, bonitate sua universas, tam spiritales quam corporales, condidit creaturas, bonas quidem,

quia a summo bono factae sunt, sed mutabiles, quia de nihilo factae sunt, nullamque mali asserit esse naturam, quia omnis natura, in quantum natura est, bona est.

Unum atque eundem Deum Veteris et Novi Testamenti, hoc est, Legis et Prophetarum atque Evangelii profitetur auctorem, quoniam eodem Spiritu Sancto inspirante utriusque Testamenti Sancti locuti sunt, quorum libros sucipit et veneratur, qui titulis sequentibus continentur, Quinque Moysi, id est Genesi, Exodo, Levitico, Numeris, Deuteronomio, Iosue, Iudicum, Ruth, Quatuor Regum, Duobus Paralipomenon, Esdra, Nehemia, Tobia, Iudith, Hester, Iob, Psalmis David, Parabolis, Ecclesiaste, Canticis Canticorum, Sapientia, Ecclesiastico, Isaya, Ieremia, Baruch, Ezechiele, Daniele, Duodecim Prophetis Minoribus id est Oseae, Iohele, Amos, Abdia, Iona, Michea, Nahum, Habacuc, Sophonia, Aggeo, Zacharia, Malachia, Duobus Machabeorum, Quatuor Evangeliis Mathaei, Marci, Lucae, Iohannis, Quatuordecim Epistolis Pauli, Ad Romanos, Duabus ad Corinthios, Ad Galatas, Ad Ephesios, Ad Philipenses, Duabus ad Thesalonicense, Ad Colocenses, Duabus ad Timotheum, Ad Titum, Ad Philomenon, Ad Hebraeos, Petri duabus, Tribus Iohannis, Una Iacobi, Una Iudae, Actibus Apostolorum et Apocalypsi Iohannis. Propterea Manichaeorum anathematizat insaniam, qui duo prima

principia posuerunt, unum visibilium, aliud invisibilium, et alium Novi Testamenti Deum, alium Veteris esse dixerunt.

Firmiter credit, profitetur et praedicat, unam ex Trinitate personam, verum Deum, Dei Filium ex Patre genitum, Patri consubstantialem et coaeternum, in plenitudine temporis, quam divini consilii inscrutabilis altitudo disposuit, propter salutem humani generis veram hominis integramque naturam ex immaculato utero Mariae Virginis assumpsisse et sibi in unitatem personae copulasse tanta unitate, ut quidquid ibi Dei est, non sit ab homine separatum, et quidquid est hominis, non sit a deitate divisum, sitque unus et idem indivisus, utraque natura in suis proprietatibus permanente, Deus et homo, Dei Filius et hominis filius, aequalis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem, immortalis et aeternus ex natura divinitatis, passibilis et temporalis ex conditione assumptae humanitatis.

Firmiter credit, profitetur et praedicat, Dei Filium in assumpta humanitate ex Virgine vere natum, vere passum, vere mortuum et sepultum, vere ex mortuis resurrexisse, in caelum ascendisse, sedereque ad dexteram Patris, et venturum in fine saeculorum ad vivos mortuos que iudicandos.

Anathematizat autem, exsecratur et damnat omnem haeresim contraria sapientem. Et primo damnat Ebionem, Cerinthum, Marcionem, Paulum Samosatenum, Photinum omnesque similiter blasphemantes, qui percipere non valentes unionem personalem humanitatis ad Verbum, Iesum Christum Dominum nostrum verum Deum esse negaverunt, ipsum purum hominem confitentes, qui divinae gratiae participatione maiore, quam sanctioris vitae merito suscepisset, divinus homo diceretur. Anathematizat etiam Manichaeum cum sectatoribus suis, qui Dei Filium non verum corpus, sed phantasticum sumpsisse somniantes, humanitatis in Christo veritatem penitus sustulerunt. Necnon Valentinum asserentem, Dei Filium nihil de Virgine Matre cepisse, sed corpus caeleste sumpsisse atque ita transisse per uterum Virginis, sicut per aquaeductum defluens aqua transcurrit. Arium etiam, qui asserens, corpus ex Virgine assumptum anima caruisse, voluit loco animae fuisse deitatem. Apollinarem quoque, qui intelligens, si anima corpus informans negetur in Christo, humanitatem veram ibidem non fuisse, solam posuit animam sensitivam, sed deitatem Verbi vicem rationalis animae tenuisse. Anathematizat etiam Theodorum Mopsuestenum atque Nestorium asserentes, humanitatem Dei Filio unitam esse per gratiam et ob id duas in Christo esse personas, sicut duas fatentur esse naturas, cum intelligere non valerent, unionem humanitatis ad Verbum hypostaticam exstitisse, et propterea

negarent verbi subsistentiam accepisse. Nam secundum hanc blasphemiam non Verbum caro factum est, sed Verbum per gratiam habitavit in carne, hoc est, non Dei Filius homo factus est, sed magis Dei Filius habitavit in homine. Anathematizat etiam, exsecratur et damnat Eutychen archimandritam, qui cum intelligeret, iuxta Nestorii blasphemiam veritatem incarnationis excludi, et propterea oportere, quod ita Dei Verbo unita esset humanitas, ut deitatis et humanitatis una esset eademque persona, ac etiam capere non posset, stante pluralitate naturarum, unitatem personae, sicut deitatis et humanitatis in Christo unam posuit esse personam, ita unam asseruit esse naturam, volens ante unionem dualitatem fuisse naturarum, sed in unam naturam in assumptione transiisse, maxima blasphemia et impietate concedens aut humanitatem in deitatem, aut deitatem in humanitatem esse conversam. Anathematizat etiam, exsecratur et damnat Macarium Antiochenum omnesque similia sapientes, qui, licet vere de naturarum dualitate et personae unitate sentiret, tamen circa Christi operationes enormiter oberravit dicens, in christo utriusque naturae unam fuisse operationem unamque voluntatem. Hos omnes cum haeresibus suis anathematizat sacrosancta Romana Ecclesia, affirmans in Christo duas esse voluntates duasque operationes.

Firmiter credit, profitetur et docet, neminem unquam ex viro feminaque conceptum a diaboli dominatu fuisse liberatum, nisi per fidem mediatoris Dei et hominum Iesu Christi Domini nostri, qui sine peccato conceptus, natus et mortuus, humani generis hostem, peccata nostra delendo, solus sua morte prostravit,et regni caelestis introitum, quem primus homo peccato proprio cum omni successione perdiderat, reseravit, quem aliquando venturum omnia Veteris Testamenti sacra sacrificia, sacramenta, ceremoniae praesignarunt.

Firmiter credit, profitetur et docet, legalia Veteris Testamenti, seu Mosaicae legis, quae dividuntur in ceremonias, sacra sacrificia, sacramenta, quia significandi alicuius futuri gratia fuerant instituta, licet divino cultui illa aetate congruerunt, significato per illa Domino nostro Iesu Christo adveniente cessasse, et Novi Testamenti sacramenta coepisse. Quemcumque etiam post passionem in legalibus spem ponentem et illis velut ad salutem necessariis se subdentem, quasi Christi fides sine illis salvare non posset, peccasse mortaliter. Non tamen negat a Christi passione usque ad promulgatum Evangelium illa potuisse servari, dum tamen minime ad salutem necessaria crederentur, sed post promulgatum Evangelium sine interitu salutis aeternae asserit non posse servari.

Omnes ergo post illud tempus circumcisionis et sabbati reliquorumque legalium observatores alienos a Christi fide denuntiat et salutis aeternae minime posse esse participes, nisi aliquando ab iis erroribus resipiscant. Omnibus igitur, qui christiano nomine gloriantur, praecipit omnino, quocumque tempore, vel ante vel post baptismum, a circumcisione cessandum, quoniam sive quis in ea spem ponat, sive non, sine interitu salutis aeternae observari omnino non potest. Circa pueros vero propter periculum mortis, quod potest saepe contingere, cum ipsis non possit alio remedio subveniri, nisi per sacramentum baptismi, per quod eripiuntur a diaboli dominatu et in Dei filios adoptantur, admonet, non esse per quadraginta aut octoginta dies seu aliud tempus iuxta quorundam observantiam sacrum baptisma differendum, sed quamprimum commode fieri potest, debere conferri, ita tamen, quod mortis imminente periculo mox sine ulla dilatione baptizentur, etiam per laicum vel mulierem, in forma Ecclesiae, si desit sacerdos, quemadmodum in decreto Armenorum plenius continetur.

Firmiter credit, profitetur et praedicat, omnem creaturam Dei bonam, nihilque reiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur, quia, iuxta verbum Domini, non quod intrat in os, coinquinat hominem, illamque Mosaicae legis ciborum mundorum et immundorum differentiam ad ceremonialia asserit pertinere,

quae surgente Evangelio transierunt et efficacia esse desierunt. Illam etiam Apostolorum prohibitionem ab immolatis simulacrorum et sanguine et suffocato dicit illi tempori congruisse, quo ex Iudaeis atque gentilibus, qui antea diversis ceremoniis moribusque vivebant, una surgebat Ecclesia, ut cum Iudaeis etiam gentiles aliquid communiter observarent, et in unum Dei cultum fidemque conveniendi praeberetur occasio et dissensionis materia tolleretur, cum Iudaeis propter antiquam consuetudinem sanguis et suffocatum abominabilia viderentur et esu immolatitii poterant arbitrari gentiles ad idololatriam redituros. Ubi autem eo usque propagata est christiana religio, ut nullus in ea Iudaeus carnalis appareat, sed omnes ad Ecclesiam transeuntes in eosdem ritus Evangelii ceremoniasque conveniant, credentes omnia munda mundis, illius apostolicae prohihitionis causa cessante, etiam cessavit effectus. Nullam itaque cibi naturam condemnandam esse denuntiat, quem societas admittit humana, nec inter animalia discernendum per quemcumque, sive virum sive mulierem, et quocumque genere mortis intereant, quamvis pro salute corporis, pro virtutis exercitio, pro regulari et ecclesiastica disciplina possint et debeant multa non negata dimitti, quia, iuxta Apostolum, omnia licent, sed non omnia expediunt.

Firmiter credit, profitetur et praedicat, nullos extra catholicam Ecclesiam exsistentes, non solum paganos, sed nec Iudaeos aut haereticos atque schismaticos, aeternae vitae fieri posse participes, sed in ignem aeternum ituros, qui paratus est diabolo et angelis eius, nisi ante finem vitae eidem fuerint aggregati, tantumque valere ecclesiastici corporis unitatem, ut solum in ea manentibus ad salutem ecclesiastica sacramenta proficiant, et ieiunia, eleemosynae ac cetera pietatis officia et exercitia militiae christianae praemia aeterna parturiant. Neminemque, quantascumque eleemosynas fecerit, etsi pro Christi nomine sanguinem effuderit, posse salvari, nisi in catholicae Ecclesiae gremio et unitate permanserit.

Amplectitur autem, approbat et suscipit sanctam Nicaenam synodum trecentorum decem et octo patrum temporibus beatissimi Silvestri praedecessoris nostri et magni Constantini piissimi principis congregatam, in qua impia haeresis Arriana cum suo auctore damnata est, et diffinitum est Filium Dei Patri esse consubstantialem et coaeternum.

Amplectitur etiam, approbat et suscipit sanctam Constantinopolitanam synodum centum quinquaginta patrum, beatissimi Damasi praedecessoris nostri et Theodosii senioris tempore convocatam, que impium Macedonii anathematizavit

errorem, qui Spiritum sanctum non Deum, sed creaturam asserebat. Quos damnant, damnat, quod approbant, approbat, et per omnia vult ibidem diffinita illaesa et inviolata subsistere.

Amplectitur etiam, approbat et suscipit sanctam primam Ephesinam synodum ducentorum patrum, que tertia est in ordine universalium synodorum, sub beatissimo Caelestino praedecessore nostro et Theodosio iuniore convocatam, in qua impii Nestorii est damnata blasfemia, diffinitumque est Domini nostri Iesu Christi veri Dei et veri hominis unam esse personam, et beatam Mariam semper virginem non solum Christotocon, sed etiam Theotocon, hoc est non tantum hominis, sed Dei genitricem ab omni ecclesia praedicandam. Damnat autem, anathematizat et respuit impiam secundam Ephesinam synodum, sub beatissimo Leone prsedecessore nostro et praefato principe congregatam, in qua Dioscorus Alexandrinus antistites, Eutychis haeresiarchae defensor et sancti Flaviani Constantinopolitani pontificis impius persequutor, execrandam illam synodum ad approbationem Eutychianae impietatis arte et minis attraxit.

Amplectitur etiam, approbat et suscipit sanctam Chalcedonensem synodum, quartam in ordine universalium synodorum, sexcentorum et triginta patrum temporibus praefati beatissimi Leonis

praedecessoris nostri et Marciani principis celebratam, in qua haeresis Eutychiana cum suo auctore Eutyche et Dioscoro defensore damnata est, et diffinitum est Dominum nostrum Iesum Christum esse vere Deum et verum hominem, et in una eadem que persona divinam humanam que naturas integras, inviolatas, incorruptas, inconfusas, distinctasque mansisse humanitate agente, quae hominis sunt, et Deitate, quae Dei. Quos damnat, damnatos habet, quos approbat, approbatos.

Amplectitur etiam approbat et suscipit sanctam quintam synodum secundo apud Constantinopolitanam, tempore beatissimi Vigilii praedecessoris nostri et Iustiniani principis celebratam, in qua sacri Chalcedonensis concilii diffinitio de duabus naturis et una persona Christi renovata est, multique Origenis errores suorumque sequacium, praesertim de daemonum aliorumque damnatorum poenitentia et liberatione, reprobati atque damnati sunt.

Amplectitur etiam, approbat et suscipit sanctam tertiam Constantinopolitanam synodum centum quinquaginta patrum, que sexta est in ordine universalium synodorum, temporibus beatissimi Agathonis praedecessoris nostri et Constantini Quarti huius nominis principis congregatam in qua Macharii Anthioceni et sectatorum haeresis condemnata est, et diffinitum est in Domino nostro Iesu

Christo duas esse perfectas integrasque naturas et duas operationes, duas etiam voluntates, licet esset una eademque persona, cui utriusque nature competerent actiones, Deitate agente, quae Dei sunt, et humanitate, quae hominis sunt.

Amplectitur etiam, approbat et suscipit omnes alias universales synodos auctoritate Romani Pontificis legitime congregatas ac celebratas et confirmatas, et praesertim hanc sanctam Florentinam, in qua inter alia Graecorum atque Armenorum sanctissima unio consummata est, et multe circa utramque unionem saluberrimae diffinitiones editae sunt, prout in decretis desuper promulgatis plenius continetur, quorum tenor in hunc modum sequitur.

Laetentur Caeli et exultet terrae

Decret for the Greeks

In nomine igitur sancte Tinitatis, Patris, Filii et Spiritus sancti, hoc sacro universali approbante Florentino concilio, diffinimus ut hec fidei veritas ab omnibus christianis credatur et suscipiatur, sicque omnes profiteantur.

Quod Spiritus sanctus ex Patre et Filio eternaliter est, et essentiam suam suumque esse subsistens habet ex Patre simul et Filio, et ex

utroque eternaliter tanquam ab uno principio et unica spiratione procedit, declarantes quod id, quod sancti doctores et patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum sanctum, ad hanc intelligentiam tendit, ut per hoc significetur Filium quoque esse, secundum Grecos quidem causam, secundum Latinos vero principium subsistentie Spiritus sancti, sicut et Patrem. Et quoniam omnia, que Patris sunt, Pater ipse unigenito Filio suo gignendo dedit, praeter esse Patrem, hoc ipsum, quod Spiritus sanctus procedit ex Filio, ipse Filius a Patre eternaliter habet, a quo etiam eternaliter genitus est. Definimus insuper explicationem verborum illorum Filioque, veritatis declarande gratia et imminente tunc necessitate, licite ac rationabiliter symbolo fuisse appositam.

Item, in azimo sive fermentato pane triticeo, corpus Christi veraciter confici, sacerdotesque in altero ipsum Domini corpus conficere debere, unumquemque scilicet iuxta sue ecclesie sive occidentalis sive orientalis consuetudinem.

Item, si vere penitentes in Dei caritate decesserint, antequam dignis penitentie fructibus de commissis satisfecerint et omissis, eorum animas penis purgatoriis post mortem purgari, et, ut a poenis huiusmodi releventur, prodesse eis fidelium vivorum suffragia, missarum scilicet sacrificia, orationes et eleemosynas et alia pietatis

officia, que a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt, secundum ecclesie instituta.

Illorumque animas, qui post baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam, que post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem exute corporibus, prout superius dictum est, sunt purgate, in celum mox recipi, et intueri clare ipsum Deum trinum et unum, sicuti est, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius.

Illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, penis tamen disparibus puniendas.

Item diffinimus sanctam apostolicam sedem et Romanum pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum pontificem Romanum successorem esse beati Petri principis apostolorum et verum Christi vicarium totiusque ecclesie caput et omnium christianorum patrem ac doctorem existere, et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem ecclesiam a domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis oecumenicorum conciliorum et in sacris canonibus continetur.

Renovantes insuper ordinem traditum in canonibus ceterorum venerabilium patriarcharum, ut patriarcha Constantinopolitanus secundus sit post sanctissimum Romanum pontificem, tertius vero Alexandrinus, quartus autem Antiochenus, et quintus Hierosolymitanus, salvis videlicet privilegiis omnibus et iuribus eorum.

Exultate Deo adiutori nostro

Decret for the Armenians

In primis ergo damus eis sanctum symbolum a centum quinquaginta episcopis in oecumenico Constantinopolitano concilio editum, cum illa additione Filioque ipsi symbolo declarande veritatis gratia et urgente necessitate licite ac rationabiliter apposita, cuius tenor talis est, *Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem caeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei unigenitum, et ex Patre natum, ante omnia saecula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de caelis, et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus*

et sepultus est. Et resurrexit tertia die, secundum Scripturas, et ascendit in caelum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria, iudicare vivos et mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum, Dominum et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur, qui locutus est per prophetas. Et unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et exspecto resurrectionem mortuorum, et vitam venturi saeculi. Amen. Hoc autem sanctum symbolum, sicut apud Latinos mos est, ita decernimus per omnes Armenorum ecclesias intra missarum solemnia singulis saltem diebus dominicis et maioribus festivitatibus, decantari vel legi.

Secundo tradimus eis definitionem quarti concilii Calcedonensis, in quinto postea et sexto universalibus conciliis renovatam de duabus naturis in una Christi persona, cuius tenor talis est.

Sufficeret quidem sapiens hoc, et salutare divinae gratiae symbolum ad plenum cognitionem, et confirmationem pietatis, de Patre enim, et Filio, et Spiritu Sancto perfectionem docet, et Domini humanationem fideliter accipientibus repraesentat. Sed quoniam hi, qui conantur reprobare praedicationem veritatis, per proprias haereses novas voces genuerunt, et hi quidem praesumentes corrumpere mysterium dispensationis Domini, quae propter nos

facta est, alii vero introducentes confusionem permixtionemque, et stulte confingentes, unam esse naturam carnis et deitatis, et portentose dicentes passibilem unigeniti divinam naturam, ob hoc volens claudere illis omnem machinationem contra veritatem, praesens nunc nostra sancta et magna atque universalis synodus praedicationem hanc docens, ab initio immobilem, decrevit ante omnia fidem trecentorum decem et octo sanctorum patrum manere irrecusabilem, et posteriore tempore propter illos quidem, qui pugnant adversus Sanctum Spiritum, corroborat doctrinam de substantia spiritus, traditam a Patribus centum quinquaginta apud Constantinopolim congregatis, quam illi omnibus notam fecerunt, non quasi inferentes, quod aliquid minus esset a praecedentibus, sed eorum intellectum de Sancto Spiritu scripturarum testimoniis declarantes adversus eos, qui dominationem eius respuere tentaverunt, propter illos autem, qui moliuntur corrumpere dispensationis mysterium, et impudenter delirant dicentes, purum hominem esse illum, qui ex Sancta virgine Maria natus est, suscepit epistolas synodicas beati Cyrilli quondam praesulis ecclesiae Alexandrinae ad Nestorium et ad orientales, congruas existentes ad convincendas Nestorii vesanias, et ad interpretationem eorum, qui salutaris symboli mentem pio zelo nosse desiderant, quibus etiam consequentissime epistolam coaptavit magnae et senioris Urbis Romae praesulis, beatissimi ac sanctissimi Leonis Papae, quae

scripta est ad sanctae memoriae Archiepiscopum Flavianum, ad perimendam Eutychis malam intelligentiam, utpote congruentem illius magni Petri confessioni, et existentem nobis communem quandam columnam adversus prava dogmata, et ad confirmationem rectorum dogmatum. His namque, qui in duos Filios dispensationis divinae mysterium discerpere nituntur, obsistit, et illos, qui passibilem deitatem unigeniti ausi sunt dicere, a sacro coetu expellit, et his, qui in duabus naturis Christi temperamentum, aut confusionem exquirunt, resistit, et eos qui dicunt servi formam, quam ex nobis assumpsit, caelestem esse, aut alterius alicuius substantiae, ut dementes abigit, et qui duas quidem ante unitionem naturas Domini fabulantur, unam vero post unitionem confingunt, anathematizat. Sequentes igitur sanctos patres, unum eundemque confiteri Filium Dominum nostrum Iesum Christum consonanter omnes docemus eundem perfectum in deitate, eundem perfectum in humanitate, Deum vere, et hominem vere, eundem ex anima rationali et corpore, consubstantialem Patri secundum deitatem, et consubstantialem nobis eundem secundum humanitatem, per omnia nobis similem absque peccato, ante saecula quidem de Patre genitum secundum deitatem, in novissimis autem diebus eundem propter nos, et propter salutem nostram, ex Maria virgine Dei genitrice secundum humanitatem, unum eundemque Christum verum Filium Dominum unigenitum in duabus naturis, inconfuse,

immutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum. Nusquam sublata differentia naturarum propter unitionem, magisque salva proprietate utriusque naturae, et in unam personam, atque subsistentiam concurrente, non in duas personas partitum sive divisum, sed unum et eundem Filium unigenitum Deum verum, Dominum Iesum Christum, sicut ante prophete de eo, et ipse nos Iesus Christus erudivit, et sanctorum patrum nobis tradidit symbolum.

Tertio definitionem de duabus voluntatibus duabusque Christi operationibus in predicto sexto concilio promulgatam, cuius tenor talis est.

Sufficerent quidem et reliqua, quae in ipsa definitione concilii Calcedonensis, superius enarrata, sequuntur usque ad finem, post quae sequitur in hunc modum, Et duas naturales voluntates in eo, et duas naturales operationes, indivise, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfuse secundum Sanctorum Patrum doctrinam, adaeque praedicamus, et duas naturales voluntates non contrarias, absit iuxta quod impii asseruerunt haeretici, sed sequentem humanam eius voluntatem, et non resistentem, vel reluctantem sed potius et subiectam divinae eius atque omnipotenti voluntati, oportebat enim carnis voluntatem moveri, subiici vero voluntati divinae iuxta sapientissimum Athanasium. Sicut enim eius caro, Dei

Verbi dicitur et est, ita et naturalis carnis eius voluntas propria Dei Verbi dicitur et est, sicut ipse ait, quia descendi de caelo, non ut faciam voluntatem meam, sed eius, qui misit me, Patris, suam propriam dicens, quae erat carnis eius, nam et caro propria ipsius facta est. Quemadmodum enim sanctissima, et immaculata animata eius caro deificata est, et non est perempta, sed in proprio sui statu, et ratione permansit, ita et humana eius voluntas deificata est, et non est perempta, salvata est autem magis, secundum Deiloquum Gregorium dicentem, Nam velle illius, qui in salvatore intelligitur, non est contrarium Deo, deificatum est totum. Duas vero naturales operationes indivise, inconvertibiliter, inconfuse, inseparabiliter in eodem Domino Iesu Christo vero Deo nostro glorificamus, hoc est divinam operationem, et humanam operationem, secundum divinorum praedicatorem Leonem apertissime asserentem, Agit enim utraque forma cum alterius communione quod proprium est, Verbo scilicet operante, quod Verbi est, et carne exequente quod carnis. Nec enim in quoquam unam dabimus naturalem operationem Dei, et creaturae, ut neque quod creatum est, in divinam ducamus essentiam, neque quod eximium est divinae naturae ad competentem creaturis locum deiiciamus. Unius enim et eiusdem tam miracula, quamque passiones, cognoscimus secundum aliud, et aliud eorum, ex quibus est naturis, et in quibus habet esse, sicut admirabilis inquit Cyrillus. Undique igitur inconfusum, atque

indivisum conservantes unum Sanctae Trinitatis, brevi voce cuncta proferimus, et post incarnationem, Dominum nostrum Iesum Christum verum Deum esse credentes, asserimus duas eius esse naturas, in una eius radiante subsistentia, in qua tam miracula quamque passiones per omnem sui dispensationem conversatus, non per fantasiam, sed veraciter haec demonstravit ob naturalem differentiam in eadem una subsistentia cognoscendam, dum utraque natura, cum alterius communione indivise, et inconfuse propria vellet, atque operaretur, iuxta quam rationem, et duas naturales voluntates, et operationes confitemur ad salutem humani generis convenienter in eo concurrentes.

Quarto, quoniam hactenus ipsi Armeni preter has tres Nicenam, Constantinopolitanam et Ephesinam primam synodos, nullas alias universales postea celebratas, nec ipsum beatissimum huius sancte sedis antistitem Leonem, cuius auctoritate ipsa Calcedonensis synodus extitit congregata, susceperunt, asserentes eisdem fuisse suggestum, tam synodum ipsam Calcedonensem quam memoratum Leonem, secundum damnatam Nestorii heresim diffinitionem fecisse, instruximus eos et declaravimus huiusmodi falsam fuisse suggestionem ipsam que synodum Calcedonensem et beatissimum Leonem sancte et recte veritatem de duabus in una persona christi naturis superius descriptam diffinivisse contra impia Nestorii et

Euticis dogmata, iniunximusque, ut ipsum beatissimum Leonem, qui vere fidei columna fuit et omni sanctitate et doctrina refertus, tanquam sanctum et in cathalogo sanctorum merito descriptum de cetero reputent et venerentur, atque non solum dictas tres synodos, sed omnes alias universales auctoritate Romani pontificis legitime celebratas, sicut et ceteri fideles reverenter suscipiant.

Quinto ecclesiasticorum sacramentorum veritatem pro ipsorum Armenorum tam presentium quam futurorum faciliori doctrina sub hac brevissima redigimus formula, Nove legis septem sunt sacramenta, videlicet baptismus, confirmatio, eucaristia, penitentia, extrema unctio, ordo et matrimonium, que multum a sacramentis differunt antique legis. Illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per passionem christi dandam esse figurabant. Hec vero nostra et continent gratiam et ipsam digne suscipientibus conferunt. Horum quinque prima ad spiritualem uniuscuiusque hominis in se ipso perfectionem, duo ultima ad totius ecclesie regimen multiplicationemque ordinata sunt. Per baptismum enim spiritualiter renascimur, per confirmationem augemur in gratia et roboramur in fide. Renati autem et roborati nutrimur divine eucaristie alimonia. Quod si per peccatum egritudinem incurrimus anime, per penitentiam spiritualiter sanamur. Spiritualiter etiam et corporaliter, prout anime expedit, per extremam unctionem. Per

ordinem vero ecclesia gubernatur et multiplicatur spiritual iter, per matrimonium corporaliter augetur. Hec omnia sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, et persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi, quod facit ecclesia. Quorum si aliquod desit, non perficitur sacramentum. Inter hec sacramenta tria sunt baptismus, confirmatio et ordo, que caracterem, id est spirituale quoddam signum a ceteris distinctivum imprimunt in anima indelebile. Unde in eadem persona non reiterantur. Reliqua vero quatuor caracterem non imprimunt et reiterationem admittunt.

Primum omnium sacramentorum locum tenet sanctum Baptismum, quod vite spiritualis ianua est, per ipsum membra Christi ac de corpore efficimur ecclesie. Et cum per primum hominem mors introierit in universos, nisi ex aqua et spiritu renascamur, non possumus ut inquit veritas, in regnum celorum introire. Materia huius sacramenti est aqua vera et naturalis, nec refert, frigida sit an calida. Forma autem est, ego te baptizo in nomine patris et filii et Spiritus sancti. Non tamen negamus, quin et per illa verba, baptizetur talis servus christi in nomine patris et filii et Spiritus sancti vel, baptizatur manibus meis talis in nomine patris et filii et Spiritus sancti, verum perficiatur baptisma. Quoniam cum principalis causa, ex qua baptisma virtutem habet, sit sancta Trinitas,

instrumentalis autem sit minister, qui tradit exterius sacramentum, si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur ministrum, cum sancte trinitatis invocatione perficitur sacramentum. Minister huius sacramenti est sacerdos, cui ex officio competit baptizare, in casu autem necessitatis non solum sacerdos vel diaconus, sed etiam laicus vel mulier, immo paganus et hereticus baptizare potest, dummodo formam servet ecclesie et facere intendat, quod facit ecclesia. Huius sacramenti effectus est remissio omnis culpe originalis et actualis, omnis quoque pene, que pro ipsa culpa debetur, propterea baptizatis nulla pro peccatis preteritis iniungenda est satisfactio, sed morientes, antequam culpam aliquam committant, statim ad regnum celorum et Dei visionem perveniunt.

Secundum sacramentum est Confirmatio, cuius materia est crisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientie, et balsamo, qui odorem significat bone fame, per episcopum benedicto. Forma autem est, signo te signo crucis et confirmo te crismate salutis in nomine patris et filii et Spiritus sancti. Ordinarius minister est episcopus. Et cum ceteras unctiones simplex sacerdos valeat exhibere, hanc nonnisi episcopus debet conferre, quia de solis apostolis legitur, quorum vicem tenent episcopi, quod per manus impositionem Spiritum sanctum dabant, quemadmodum actuum

apostolorum lectio manifestat. Cum enim audissent, inquit, apostoli, qui erant Iherosolimis, quia recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Iohannem, qui cum venissent, oraverunt pro eis, ut acciperent Spiritum sanctum, nondum enim in quenquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine domini Ihesu, tunc imponebant manum super illos, et accipiebant Spiritum sanctum. Loco autem illius manus impositionis in ecclesia datur confirmatio. Legitur tamen aliquando per apostolice sedis dispensationem ex rationabili et urgenti admodum causa simplicem sacerdotem crismate per episcopum confecto hoc administrasse confirmationis sacramentum. Effectus autem huius sacramenti est, quia in eo datur Spiritus sanctus ad robur, sicut datus est apostolis die penthecostes, ut videlicet christianus audacter christi confiteatur nomen. Ideoque in fronte, ubi verecundie sedes est, confirmandus inungitur, ne christi nomen confiteri erubescat et precipue crucem eius,que iudeis est scandalum gentibus autem stultitia secundum Apostolum, propter quod signo crucis signatur.

Tertium est Eucaristie sacramentum, cuius materia est panis triticeus et vinum de vite, cui ante consecrationem aqua modicissima admisceri debet. Aqua autem ideo admiscetur, quoniam iuxta testimonia sanctorum patrum ac doctorum ecclesie pridem in disputatione exhibita creditur ipsum dominum in vino

aqua permixto hoc instituisse sacramentum, deinde, quia hoc convenit dominice passionis representationi. Inquit enim beatus Alexander papa quintus a beato Petro, In sacramentorum oblationibus, que intra missarum solemnia Domino offeruntur, panis tantum et vinum aqua permixtum in sacrificium offerantur. Non enim debet in calice Domini aut vinum solum aut aqua sola offerri, sed utrunque permixtum, quia utrunque, id est sanguis et aqua ex latere Christi profluxisse legitur, tum etiam quod convenit ad significandum huius sacramenti effectum, qui est unio populi christiani ad Christum. Aqua enim populum significat secundum illud apochalipsis, aque multe, populi multi. Et Iulius papa secundus post beatum Silvestrum ait, Calix dominicus iuxta canonum preceptum vino et aqua permixtus debet offerri, quia videmus in aqua populum intelligi, in vino vero ostendi sanguinem Christi, ergo cum in calice vinum et aqua miscetur, Christo populus adunatur, et fidelium plebs, in quem credit, copulatur et iungitur. Cum ergo tam sancta Romana ecclesia a beatissimis apostolis Petro et Paulo edocta quam relique omnes Latinorum Grecorum que ecclesie, in quibus omnis sanctitatis et doctrine lumina claruerunt, ab initio nascentis ecclesie sic servaverint et modo servent, inconveniens admodum videtur, ut alia quevis regio ab hac universali et rationabili discrepet observantia. Decernimus igitur, ut etiam ipsi Armeni se cum universo orbe christiano conforment eorum que sacerdotes in calicis

oblatione paululum aque, prout dictum est, vino admisceant. Forma huius sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc confecit sacramentum. Sacerdos enim in persona Christi loquens hoc conficit sacramentum. Nam ipsorum verborum virtute substantia panis in corpus Christi et substantia vini in sanguinem convertuntur. Ita tamen, quod totus Christus continetur sub specie panis et totus sub specie vini, sub qualibet quoque parte hostie consecrate et vini consecrati separatione facta totus est Christus. Huius sacramenti effectus, quem in anima operatur digne sumentis, est adunatio hominis ad Christum. Et quia per gratiam homo Christo incorporatur et membris eius unitur, consequens est, quod per hoc sacramentum in sumentibus digne gratia augeatur, omnem que effectum, quem materialis cibus et potus quoad vitam agunt corporalem, sustentando, augendo, reparando et delectando, sacramentum hoc quoad vitam operatur spiritualem in quo ut inquit Urbanus papa gratam Salvatoris nostri recensemus memoriam a malo retrahimur, confortamur in bono et ad virtutum et gratiarum proficimus incrementum.

Quartum sacramentum est Penitentia, cuius quasi materia sunt actus penitentis, qui in tres distinguuntur partes, quarum prima est cordis contritio, ad quam pertinet, ut doleat de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero. Secunda est oris confessio,

ad quam pertinet, ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, suo sacerdoti confiteatur integraliter. Tertia est satisfactio pro peccatis secundum arbitrium sacerdotis, que quidem precipue fit per orationem, ieiunium et elemosinam. Forma huius sacramenti sunt verba absolutionis, que sacerdos profert, cum dicit, ego te absolvo. Minister huius sacramenti est sacerdos habens auctoritatem absolvendi vel ordinariam vel ex commissione superioris. Effectus huius sacramenti est absolutio a peccatis.

Quintum sacramentum est extrema Unctio, cuius materia est oleum olive per episcopum benedictum. Hoc sacramentum nisi infirmo, de cuius morte timetur, dari non debet, qui in his locis ungendus est, in oculis propter visum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter gustum vel locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter gressum, in renibus propter delectationem ibidem vigentem. Forma huius sacramenti est hec, Per istam unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quicquid deliquisti per visum, et, similiter in aliis membris. Minister huius sacramenti est sacerdos. Effectus vero est mentis sanatio et, in quantum anime expedit, ipsius etiam corporis. De hoc sacramento inquit beatus Iacobus apostolus, Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros ecclesie, ut orent super eum, ungentes

eum oleo in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum et alleviabit eum Dominus, et, si in peccatis sit, dimittentur ei.

Sextum est sacramentum Ordinis, cuius materia est illud, per cuius traditionem confertur ordo. Sicut presbyteratus traditur per calicis cum vino et patene cum pane porrectionem. Diaconatus vero per libri evangeliorum dationem. Subdiaconatus vero per calicis vacui cum patena vacua superposita traditionem. Et similiter de aliis per rerum ad ministeria sua pertinentium assignationem. Forma sacerdotii est talis, Accipe potestatem offerendi sacrificium in ecclesia pro vivis et mortuis, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Et sic de aliorum ordinum formis, prout in pontificali Romano late continetur. Ordinarius minister huius sacramenti est episcopus. Effectus est augmentum gratie, ut quis sit ydoneus Christi minister.

Septimum est sacramentum Matrimonii, quod est signum coniunctionis christi et ecclesie secundum apostolum dicentem,Sacramentum hoc magnum est ego autem dico in Christo et in ecclesia. Causa efficiens matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de presenti expressus. Assignatur autem triplex bonum matrimonii. Primum est proles suscipienda et educanda ad cultum dei. Secundum est fides, quam unus coniugum alteri servare debet. Tertium indivisibilitas matrimonii, propter hoc quod significat

indivisibilem coniunctionem christi et ecclesie. Quamvis autem ex causa fornicationis liceat thori separationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas est, cum matrimonii vinculum legitime contracti perpetuum sit.

Sexto compendiosam illam fidei regulam per beatissimum Athanasium editam ipsis prebemus oratoribus, cuius tenor talis est, *Quicunque vult salvus esse, ante omnia opus est, ut teneat catholicam fidem, quam, nisi quisque integram inviolatam que servaverit, absque dubio in eternum peribit. Fides autem catholica hec est, ut unum deum in Ttrinitate et Trinitatem in unitate veneremur, neque confundentes personas neque substantiam separantes. Alia est enim persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti, sed Patris et Filii et Spiritus sancti una est divinitas, equalis gloria, coeterna maiestas. Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus sanctus. Increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus sanctus. Immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus sanctus. Eternus Pater, eternus Filius, eternus Spiritus sanctus. Et tamen non tres eterni, sed unus eternus. Sicut non tres increati nec tres immensi, sed unus increatus et unus immensus. Similiter omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus sanctus. Et tamen non tres omnipotentes, sed unus omnipotens. Ita Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus. Et tamen non tres dii, sed unus est Deus. Ita*

Dominus Pater dominus Filius dominus Spiritus sanctus. Et tamen non tres domini, sed unus est Dominus. Quia sicut singillatim unamquanque personam Deum ac Dominum confiteri christiana veritate compellimur, ita tres deos aut dominos dicere catholica religione prohibemur. Pater a nullo est factus nec creatus nec genitus. Filius a Patre solo est, non factus nec creatus, sed genitus. Spiritus sanctus a Patre et Filio non factus nec creatus nec genitus, sed procedens. Unus ergo Pater, non tres patres. Unus Filius, non tres filii. Unus Spiritus sanctus, non tres Spiritus sancti. Et in hac trinitate nihil prius aut posterius, nihil maius aut minus, sed tote tres persone coeterne sibi sunt et coequales. Ita ut per omnia, sicut iam supradictum est, et unitas in Trinitate et Trinitas in unitate veneranda sit. Qui vult ergo salvus esse, ita de Trinitate sentiat. Sed necessarium est ad eternam salutem, ut incarnationem quoque domini nostri Ihesu Christi fideliter credat. Est ergo fides recta, ut credamus et confiteamur, quia Dominus noster Ihesus Christus Dei Filius Deus et homo est. Deus est ex substantia Patris ante secula genitus, et homo ex substantia matris in seculo natus. Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali et humana carne subsistens. Equalis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem. Qui licet Deus sit et homo, non duo tamen, sed unus est Christus. Unus autem non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum. Unus omnino non

confusione substantie, sed unitate persone. Nam sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus. Qui passus est pro salute nostra, descendit ad inferos. Tertia die resurrexit a mortuis. Ascendit ad celos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Inde venturus est iudicare vivos et mortuos. Ad cuius adventus omnes homines resurgere habent cum corporibus suis, et reddituri sunt de factis propriis rationem. Et qui bona egerunt, ibunt in vitam eternam. Qui vero mala, in ignem eternum. Hec est fides catholica quam nisi quisque fideliter firmiter que crediderit salvus esse non poterit.

Septimo decretum unionis cum Grecis consummate, pridem in hoc sacro oecumenico Florentino concilio promulgatum, cuius tenor talis est, prout suprascriptum est.

Octavo, cum inter alia sit etiam cum ipsis Armenis disputatum, quibus diebus festivitates annuntiationis beate Marie virginis, nativitatis beati Iohannis Baptiste et consequenter nativitatis et circumcisionis domini nostri Ihesu christi ac presentationis eiusdem in templo seu purificationis beate virginis Marie celebrari debeant, satis que dilucide veritas patefacta fuerit tam sanctorum patrum testimoniis quam consuetudine ecclesie Romane et omnium aliarum universaliter apud Latinos et Grecos, ne igitur in tantis celebritatibus

dispar sit christianorum ritus, unde perturbande caritatis occasio posset oriri, decernimus tanquam veritati et rationi consentaneum, ut iuxta totius reliqui orbis observantiam ipsi etiam Armeni festum annuntiationis beate Marie die vicesima quinta martii, nativitatis beati Iohannis Baptiste vicesima quarta iunii, nativitatis vero secundum carnem Salvatoris nostri vicesima quinta decembris, circumcisionis eiusdem prima ianuarii, epiphanie sexta eiusdem ianuarii, presentationis domini in templo seu purificationis dei genitricis secunda februarii debeant solemniter celebrare.

His omnibus explicatis predicti Armenorum oratores nomine suo et sui patriarche et omnium Armenorum hoc saluberrimum synodale decretum cum omnibus suis capitulis, declarationibus, diffinitionibus, traditionibus, preceptis et statutis, omnemque doctrinam in ipso descriptam necnon quicquid tenet et docet sancta sedes apostolica et Romana ecclesia, cum omni devotione et obedientia acceptant, suscipiunt et amplectuntur. Illos quoque doctores et sanctos patres, quos ecclesia Romana approbat, ipsi reverenter suscipiunt. Quascunque vero personas et quicquid ipsa ecclesia Romana reprobat et damnat, ipsi pro reprobatis et damnatis habent. Profitentes tanquam veri obedientie filii nomine, quo supra, ipsius sedis apostolice ordinationibus et iussionibus fideliter obtemperare.

Verum quia in suprascripto decreto Armenorum non est explicata forma verborum, quibus in consecratione corporis et sanguinis Domini sacrosancta Romana Ecclesia, Apostolorum Petri et Pauli doctrina et auctoritate firmata, semper uti consuevit, illam praesentibus duximus inserendam. In consecratione corporis Domini hac utitur forma verborum, Hoc est enim corpus meum, sanguinis vero, Hic est enim calix sanguinis mei, novi et aeterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Panis vero triticeus, in quo sacramentum conficitur, an eo die, an antea decoctus sit, nihil omnino refert, dummodo enim panis substantia maneat, nullatenus dubitandum est, quin post praedicta verba consecrationis corporis a sacerdote cum intentione conficiendi prolata, mox in verum Christi corpus transsubstantietur.

Quoniam nonnullos asseritur quartas nuptias tamquam condemnatas respuere, ne peccatum, ubi non est, esse putetur, cum secundum Apostolum mortuo viro mulier sit ab eius lege soluta, et nubendi, cui vult, in Domino habeat facultatem, nec distinguat, mortuo primo, secundo vel tertio, declaramus non solum secundas ac tertias, sed et quartas atque ulteriores, si aliquod canonicum impedimentum non obstet, licite contrahi posse.

Commendatiores tamen dicimus, si ulterius a coniugio abstinentes in castitate permanserint, quia, sicut virginitatem viduitati, ita nuptiis castam viduitatem laude ac merito praeferendam esse censemus.

PART 4

1501 - 2025 AD

Professio Fidei Furache Filius Mobaret Patriarchae Maronitarum

Furache son of Mobaret

08 March 1514

Leo PP X

Credimus in Deum solum et in tria benedicta nomina. Credimus firma fide in tres personas sanctas unicum Deum, unicum creatorem, unicum adoratum, unicum regem, unicum infinitum, unicum potentem, unicum fortissimum, unicum in Trinitate, unicum Deum et tres personas, unicum creatorem caelorum et omnium, quae in eis sunt, terrae, et quae in ea sunt omnium, atquae creatorem visibilium omnium et invisibilium, Deum vivum, aeternum, antiquissimum, purum, immaculatum, cuius nec principium nec finis est, cuius sunt abdita secreta publica dona, qui nec veterascit, nec mutatur, nec movetur, est et inaccessibilis et invisibilis, in quo est infinita gratia, qui nec mensurari potest nec melior esse, nec fuit unquam aut esse potest in donis suis diminutus, estque unicus Deus in regno aeterno in aeternum regnaturus, est Deus super omnia potens rerum omnium creator, creavit caelum, et exaltavit illud, creavit terram, et firmavit illam, creavit mare et implevit illud, mundumque universum perfectum fecit, universum suae ditioni subegit, atquae supra caeli verticem sedit, creavit hominem et super omnia dilexit illum, bonisque

omnibus donavit. Est Deus in principio, in medio, in fine, cuius nec principium est, nec medio, nec finis, est vivus in aeternum, est lux et veritas, et sapientia, est sine avaritia munificus, sine mutatione firmus, sine debilitate fortis, est auxilium indigentium, non derelinquit sperantes in se, est vera lux, unit sibi iustos, iniustos a se repellit, recipit poenitentes, et veniam postulantes. Est verus Deus, iustus, datque praemium iustis gloriam aeternam caelestem, dat iniustis poenam infernae caliginis. Hic est verus creator, cui et in quem debent universi credere et adorare et laudare semper benedictum nomen suum, est unus solus Deus, et est Trinitas, et est unus Deus. Est Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus, tres personae, unus Deus, et ita credimus esse excelsum, unicum creatorem in unitate, unum Deum solum, creatorem, et non creatum firma tenemus fide.

Hoc una anima et una similitudo et una voluntas, quod facit Pater, hoc et Filius et Spiritus Sanctus, et est una potestas in unico Deo pleno pietate, qui misericordia sua liberavit Adam cum sua posteritate. Sit nomen Dei benedictum. Misit Gabrielem ducem paradisi angelorum electum ad puellam virginem immaculatam, gratia praeditam, devotam, pudore conspicuam, benedictam Mariam. Gabriel dominam salutavit, dominus sapientiae excelsus super sapiens eam solam elegit habitaculum Domino.

Ingressus est ad eam Gabriel, subito genuflexus vultu reverenti et humili exposuit excelsi omnipotentis Dei incarnationem. Messiae nuntium, humano generi pretiosum laetissimumque, angelus eam salutavit dixitque, Dominus tecum, benedicta tu inter mulieres, quae cum audisset angelum magna humilitate respondit, Si Domino placet, fiat voluntas eius, concepitque virgo Filium Dei sine semine, et sic factus est Deus homo humanus, fuit Deus in corpore humano, et in anima humana indutus carne humana, fuit natus, sed non fuit creatus, ipse est creator et ante omnem creaturam genitus est a Patre omnipotente, creavitque gloriosam virginem inclitam Mariam, quae ipsum novem menses portavit in utero. Ipse est Deus et verus Deus, unicus filius, unicus creator, verus Deus, vera lux, totus veritas sine suspicione, sine dubio, providens universum genus humanum, universamque videt creaturam, in eius manu est vita et mors, et post mortem vitam praestat.

Nihil aut in caelo, aut in terra, aut in mari eius latet obtutum. Est Deus, est homo immaculatus, est lux et sapere in caelesti paradiso, est bonum nostrum, salus nostra, iter vitae nostrae, porta vitae nostrae, fons vitae nostrae perpetuae, et credimus et firma tenemus fide, quod semper est noster Deus Iesus Christus. Nos humiles et desiderantes catholicae fidei prospera exaltationemque, et nos

liberari, nostramque ab eo orationem exaudiri, quemadmodum vocem famescentium exaudivit, et dat eis panem in abundantia.

Scimus misericordiam suam infinitam, qui propter nos crucifixus, mortuus, et sepultus est, tertia die resurrexit, et ascendit in caelum, et Deus Pater sedere illum fecit ad dexteram suam, descendit ad infernos et liberavit iustos, et universam generationem suam, et a Patris dextera venturus est iudicare vivos et mortuos. Iustus iudex dabit iustis praemium, quod merentur, et iniustis secundum opera sua, unicuique retribuet secundum opera sua, et ita credimus quemadmodum sancta Ecclesia, unica Ecclesia sustentationem et remissionem nostrorum peccatorum, et sic expectamus resurrectionem in die iudicii vivorum et mortuorum, post quae habebimus vitam aeternam. Amen.

Professio Fidei Andreas Veneticus

Ondrej Benatsky

14 March 1534

Clemens PP VII

Ego sacerdos Andreas, ipso corde credo et ore confiteor, quod in Venerabili Sacramento sub speciebus visibilibus panis et vini est verum corpus et verus sanguis Domini nostri Iesu Christi, Spiritu Sancto conceptum in utero Beatae Virginis Mariae, Divinitati unitum, de quo dicit Evangelium beati Ioannis, Verbum Caro factum est, et quod pro nobis peccatoribus traditum et in cruce pependit, et sub specie vini sanguis eius est verus, qui effusus est in remissionem peccatorum. De Beata Virgine Maria, matre Domini nostri Iesu Christi credo, et confiteor, quod est vera et casta et intacta virgo, fuit ante partum, ita circa partum, similis et post partum, perpetua Virgo permansit et Deipara appellatur. De intercessione sanctorum credo et confiteor, quod Beata Virgo Maria, mater Domini nostri Iesu Christi, similiter omnes sancti intercedunt pro nobis, et nobis bonum et salutare desiderant. Ex quo dum hic fuerant in vita mortali et interpellabant ex charitate, multo magis credendum est, quod existentes ibi in charitate perfecta intercedunt pro nobis. Haec fidei confessio est sacerdotis Andreae.

Articuli Fidei Facultate Sacrae Theologiae Universitatis Parisiensis

Faculty of Sacred Theology of University of Paris

10 March 1542

Paulus PP III

1. Certa et firma fide credendum est, baptisma omnibus etiam parvulis, ad salutem necessarium esse, ac per ipsum dari gratiam Sancti Spiritus.

2. Eadem fidei constantia est tenendum homini inesse liberum arbitrium, quo potest bene vel male agere, et per quod, si etiam in peccato mortali fuerit, Deo adiuvante, ad gratiam resurgere valeat.

3. Nec minus certum est, adultis et ratione utentibus, post peccatum mortale admissum, necessariam esse poenitentiam quae in contritione et confessione sacramentali vocaliter sacerdoti facienda, similiter et satisfactione consistit.

4. Ad haec, peccatorem non sola fide, sed et bonis operibus iustificari quae adeo necessaria sunt, ut sine illis nemo adultus vitam consequatur aeternam.

5. Quilibet christianus tenetur firmiter credere, in consecratione Eucharistiae, panem et vinum converti in verum Christi corpus et sanguinem, remanentibus tantum panis et vini speciebus, sub quibus realiter verum Christi corpus continetur, quod ex Virgine natum est et in cruce passum.

6. Sacrificium missae est ex Christi institutione, valens pro vivis et defunctis.

7. Non est laicis ad salutem necessaria communio sub utraque specie, recteque certis ac iustis de causis olim ab Ecclesia sancitum est, ut illis sub una tantum panis specie communicetur.

8. Porro solis sacerdotibus, secundum Ecclesiae ritum ordinatis, data est a Christo potestas consecrandi verum Christi corpus et in foro poenitentiae a peccatis absolvendi.

9. Quos certum est, etiamsi mali et in peccato mortali fuerint, consecrare verum Christi corpus, siquidem iliud consecrare intendant.

10. Caeterum Confirmatio et Unctio Extrema sunt duo sacramenta a Christo instituta, per que datur gratia Spiritus Sancti.

10* Caeterum Confirmatio, Matrimonium, et Unctio Extrema sunt tria sacramenta a Christo instituta, per quae datur gratia Spiritus Sancti.

11. Nec dubitandum est sanctos, et in hac mortali vita, et in Paradiso agentes, *aliquando* miracula operari.

12. Sanctum est et Deo maxime gratum orare beatam Dei genitricem Mariam et sanctos qui in caelo sunt, ut sint pro nobis advocati et intercessores apud Deum.

13. Illi itaque sancti, beatam cum Christo vitam degentes, non solum sunt imitandi, sed et venerandi et orandi.

14. Ob idque religiose faciunt, qui loca eis dicata ex devotione visitant.

15. Si quis in templo aut extra templum, prius sua oratione ad beatam Virginem aut sanctorum aliquem recurrat, quam ad Deum, non peccat.

16. Nec ullo modo addubitandum est, quin genuflectere coram imagine Crucifixi et beate Marie et sanctorum, ad rogandum Christum et sanctos, opus sit bonum ac pium.

17. Ad haec firmiter credendum est et nullatenus dubitandum purgatorium esse, in quo animae detentae, oratione, ieiunio, eleemosyna, aliisque bonis operibus iuvantur, et citius liberantur a poenis.

18. Tenetur et quilibet christianus firmiter credere, unam esse in terris universalem Ecclesiam visibilem, in fide et moribus errare non valentem, cui omnes fideles, in his quae sunt fidei et morum, obedire adstringuntur.

19. Quod siquid in scripturis sacris controversiae aut dubii oriatur, ad praefatam Ecclesiam definire spectat et determinare.

20. Est et certum multa esse credenda, quae non sunt expresse ac speciatim tradita in scripturis sacris, quae tamen per traditionem Ecclesiae sunt necessario recipienda.

21. Eodem veritatis firmamento recipiendum, potestatem excommunicandi esse de iure divino, immediate a Christo Ecclesiae concessam, et ob id magnopere timendas esse censuras ecclesiasticas.

22. Certum est concilium generale legitime congregatum, universalem representans Ecclesiam, in fidei et morum determinationibus errare non posse.

23. Nec minus certum, unum esse iure divino summum in Ecclesia Christi militante Pontificem, cui omnes christiani parere tenentur, qui quidem potestatem habet et indulgentias conferendi.

24. Constitutiones ecclesiasticae, ut de ieiunio, de delectu ciborum, et abstinentia a carnibus, aliisque multis, vere obligant in foro conscientiae, etiam omni secluso scandalo.

25. In eodem conscientiae foro vota obligant, etiam si monastica sint, perpetuae scilicet continentiae, paupertatis et obedientiae.

lnhibet autem Theologorum Facultas iis qui de grege suo sunt, magistris, baccalaureis ac ceteris gradum theologicum nunc et in posterum profiteri volentibus, ne quoquo pacto, supradictis propositionibus contraria, aut in concionibus praedicent aut in lectionibus vel alibi doceant, quin potius quando se materia et occasio offeret, eas populo sincere annuntient et aperte declarent.
Porro etiam decrevit ut prefatas propositiones, singuli magistri et baccalaurei, chirographi sui appositione confirment, et cum in suo grege lupos et immorigeros contentiososque alere tutum non sit, qui huic decreto parere noluerint et contrarias praefatis propositiones docuerint, aut in posterum praedicaverint, e suo consortio eximendos in perpetuum privare decrevit.

Caeterum, quia contradicendi studio et a maiorum institutis discedendi, plerique novarum rerum et doctrinarum studiosi, laudabilem illam consuetudinem, qua per intercessionem beatissime Virginis, Spiritus Sancti gratia imploratur, negligunt, monemus ne tantopere a salutatione illa angelica, quod nobis Evangelium praescripsit, abhorreant, neve, ut plerique solent,

quoties Domini Salvatoris nostri Iesu Christi mentio occurrerit, salutiferum illud Iesu nomen praeponere dedignentur, contenti dicere, le Christ, praesertim cum teste Petro non sit aliud nomen sub caelo, in quo nos salvari oporteat.

Similiter, cum divorum apostolorum, evangelistarum aut sanctorum doctorum mentio inciderit, ne, uti consueverunt, sine ulla honoris praefatione nominent Pierre, Paul, Iacques, Mathieu, Hieroisme, Augustin, et cetera, neque sit eis grave addere vocabulum sancti, et nominare Sainct Pierre, Sainct Paul, et cetera. Et postremo ne defunctorum animas populi precibus commendare negligant.

Articuli Fidei Facultate Sacrae Theologiae Universitatis Lovaniensis

Articuli Orthodoxam Religionem Sanctamque

Fidem Nostram Respicientes

Faculty of Sacred Theology of University of Leuven

06 December 1544

Paulus PP III

1. Credendum est septem esse ecclesiae sacramenta a Christo instituta, quae sunt, Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Poenitentia, Extrema Unctio, Ordo, et Matrimonium, per quae quamvis externa et corporalia signa Deus invisibiliter, sive per bonos, sive per malos ministros, nostram salutem operatur.

2. Baptismus ad salutem omnibus est nceessarius, etiam infantibus, per quem peccata plene tolluntur, et fiunt filii Dei ac heredes vitae aeternae, nec unquam est iterandus.

3. Poenitentiae Sacramentum, quod post baptismum omnibus relapsis est ad salutem necessarium, complectitur contritionem, confessionem et satisfactionem.

4. Contritio est dolor de peccatis propter Dei offensam susceptus cum proposito confitendi et satisfaciendi, non autem, ut quidam hoc seculo perniciose docent, terror conscientiae propter apprehensum gehennae supplicium peccatis debitum, praeparat tamen hic terror et gehennae metus ad veram animi contritionem.

5. Confessurus diligentiam legitimam adhibere debet, quo sacerdoti iudici suo manifestet omnia peccata sua mortalia, etiam occulta cordis, ut ab eis per ilium absolvatur, cuius absolutionis minister est solus sacerdos, secundum ecclesiae ritum consecratus.

6. Satisfactio est persolutio poenae plerumque adhuc debitae, remissa iam culpa, nam omnem poenam peccato debitam semper condonari culpa remissa erroneum est et Scripturis Sacris adversatur.

7. Certe fide tenendum est, hominem habere liberum arbitrium, quo potest male et cum gratia Dei bene agere, et post mortale peccatum admissum Deo adiuvante poenitere, et peccatorum remissionem consequi.

8. Ad iustificationem ante omnia necessaria est in adultis fides, qua certo credimus, Christum Iesum Dei Filium nobis propitiatorem a Patre propositum esse pro peccatis nostris in sanguine ipsius, sine qua nullis nostris operibus, nullaque poenitentia iustificatio obtineri potest, sicut nec fide sola sine poenitentia et proposito vivendi secundum mandata Dei.

9. Fides qua quis firmiter credit et certo statuit, propter Christum sibi remissa esse peccata, seque possessurum vitam aeternam, nullum habet in Scripturis testimonium, imo eisdem adversatur, etiamsi firma et certa spe exspectare debemus in hac quidem vita per Sacramentum Baptismi et Poenitentiae peccatorum remissionem, in seculo autem futuro vitam aeternam.

10. ltaque quamdiu inter hostes nostros et adversarias potestates hic vivimus, nulla nobis est securitas, sed cum timore et tremore, iuxta sententiam apostoli, nostram salutem operari debemus, et secundum varias animorum nostrorum affectiones nunc magis sperare, nunc magis timere, simpliciter tamen magis et frequentius de misericordia Domini sperandum est, quam formidandum de severitate.

11. Opera bona omnibus adultis sunt ad salutem necessaria, et cum ex fidei et caritatis spiritu proficiscuntur, ita grata sunt Deo, ut eis tanquam iustam mercedem vitam retribuat aeternam.

12. Confirmatio et Extrema Unctio Sacramenta sunt a Christo instituta, sed non ut duo praecedentia ad salutem necessaria, ex contemptu tamen illa omittere mortale peccatum est.

13. In Eucharistiae Sacramento est reipsa verum corpus Domini nostri Iesu Christi, illud ipsum, quod de Virgine natum et in cruce passum est.

14. In Eucharistia non manent panis et vinum, sed haec in corpus et sanguinem Christi admirabili potentia verbi ipsius sunt conversa, manentibus tantum panis vinique speciebus, unde certa fide tenendum est, sacram Eucharistiam sancte a nobis adorari, sive in missa, sive extra missam, ubicunque reposita fuerit, aut quoties in supplicationibus publicis a sacerdote circumfertur.

15. Non est laicis necessaria ad salutem communio sub utraque specie, iustisque de causis ab ecclesia sancitum est, ut illis sub una tantum panis specie sacramentum communicetur, in quo carnem et sanguinem, atque ita totum Christum sub una specie sumunt.

16. Sacrificium missae ex institutione Christi tam vivis prodest, quam defunctis.

17. Solis sacerdotibus secundum ecclesiae ritum ordinatis data est a Christo potestas consecrandi verum corpus Christi et sanguinem.

18. Matrimonium contractum et consummatum inter Christianos est indissolubile, qualiscunque fiat alter coniugum, sive adulter, sive sterilis, sive haereticus.

19. Nunquam licet Christiano post divortium contrahere matrimonium, vivente eo, cum quo prius legitime contraxerat.

20. Matrimonia contracta contra canones ipsa dirimentes simpliciter sunt irrita et nulla.

21. Firma fide tenendum est, unam esse in teris veram atque Catholicam Christi Ecclesiam, eamque visibilem, quae ab apostolis fundata, in hanc usque nostram aetatem perdurans, retinet et suscipit, quicquid de fide et religione tradidit, tradit et traditura est Cathedra Petri, super quam ita a Christo suo sponso est aedificata, ut in his, quae fidei sunt et religionis, errare non possit.

22. Extra hanc nulli sperabda est salus, suntque extra eam haeretici, schismatici et excommunicati, unde vehementer formidanda est excommunicatio, nec humana, sed divina est excommunicandi potestas.

23. Unus est ecclesiae summus pastor, cui omnes obedire tenentur, ad cuius iudicium controversiae, quae super fide et religione existunt, aunt referendae.

24. Summam hanc praeposituram primus omnium gessit Sanctus Petrus, verus Christi in terris vicarius, et totius familiae eius pastor, post Petrum vero ex Christi institutione omnes deinceps pontifices, Petri in cathedra successores.

25. Certa fide tenenda sunt non solum quae Scripturis expresse sunt prodita, sed etiam quae per traditionem ecclesiae catholicae credenda accepimus, et quae definita sunt super fidei et morum negotiis per Cathedram Petri, vel per concilia generalia legitime congregata.

26. Constitutiones ecclesiasticas de ieiuniis, festis, et abstinentia ciborum, aliisque multis, obligant in conscientia, etiam extra casum scandali.

27. Recte fit in ecclesia, quod sanctos in caelis cum Christo agentes veneramur et invocamus, ut pro nobis orent, quorum etiam meritis et intercession, Christus nobis hic multa largitur, alias non largiturus, per quos etiam miracula multa in terris operatur.

28. Quapropter sancte et religiose faciunt, qui loca eis dicata una cum ipsorum reliquiis religiosa pietate visitant, et hoc modo ab ipsis opitulationem quaerunt.

29. Gratus est etiam Deo imaginum usus, recteque coram eis procumbimus, invocaturi sanctos, quos repraesentant.

30. Firmiter credendum est, post hanc vitam purgatorium esse animarum, in quo solvitur poena peccatis adhuc debita, eisdem tamen subvenitur Sacrificio Altaris, oratione, ieiunio, eleemosyna, aliisque bonis operibus vivorum, sicut et indulgentiis, quo citius ab ea liberentur.

31. Animae defunctorum purgatae mox regnant cum Christo in caelis, et animae impiorum hinc migrantes sempiternis inferni traduntur suppliciis.

32. Recte vota Deo facimus, tam monastica quam alia, et facta obligant apud Deum, nec adversantur libertati evangelicae, quae a peccatis libertas est, et iis quae spiritum nostrum quoquomodo impediunt, quominus totus Deo serviat, non autem a voti vel iuramenti obligatione, nec ab obedientia magistratus ecclesiastici vel secularis.

Professio Fidei Moses Mardenus Patriarchae Antiocheni Legatus

Moses of Mardin

1552

Iulius PP III

Et ego miser Moses, caritate servus eorum qui adorant Christum cum Patre ipsius, et Spiritu eius sancto, credo in Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, tres personas, tria nomina, tres proprietates, unum Deum, unam substantiam, unam potestatem, unam dominationem, unam voluntatem, unam operationem, unam naturam, unam essentiam. Patrem genitorem et non genitum, Filium genitum et non genitorem, Spiritum Sanctum procedentem ex Patre et Filio absque divisione ulla in substantia ipsorum. Nec esse personam iuniorem aut seniorem persona. Patrem creatorem cum Filium suo et Spiritu suo sancto, Filium creatorem cum Patre suo et Spiritu suo sancto, Spiritum Sanctum creatorem cum Patre et Filio. Cum Pater dicitur, Filius et Spiritus ex ipso sunt, et cum Filius dicitur, Pater et Spiritus in ipso cognoscitur, cumque Spiritus dicitur, Pater et Filius in ipso definitur, neque est divisio in unitate illorum. Cum porro vellet Sancta Trinitas creare hominem, dicebat Pater ad Filium suum et ad Spiritum suum sanctum, Faciamus hominem ad imaginem nostram et ad similitudinem nostram, ubi vero creasset illum Sancta Trinitas, posuit ipsum in Paradiso Aeden, imperavitque

ipsi mandatum quod non observaverit, itaque eiectus est soras iussu creatoris sui, qui his simul promissis ipsum sulciebat, veniam ego, et redimam te. Porro sub finem eius promissionis descendit una ex personis tribus de voluntate ipsarum trium, quae sunt unum, eaque erat persona Filii, mansitque in gremio sanctae virginis Mariae filiae Davidis, non relinquens tamen locum suum. Et incarnata est ex Spiritu Sancto et ex Maria Virgine, secundum praedestinationem scientiae suae, sumsitque formam servi sui. Neque tamen mutata est, ut non esset Deus qui fuerat, nec divinitas ipsius facta est corporalitas, neque ipsius corporalitas divinitas, nec confusae sunt naturae ab altera, neque fuerunt duo in duabus personis, sed una persona fuit in divinitate ipsius et humanitare ipsius, cum duabus naturis unitis, cum duabus voluntatibus inseparatis. Neque erat unus qui vellet et alter qui nollet, neque unus Dominus et alter servus, neque unus creator et alter creatus, sed sicut erat ante incarnationem suam creator, ita et post. Credo etiam quod ille qui natus est ex Maria virgine, sit Deus perfectus, homo perfectus, natus ex Patre spiritualiter et natus ex virgine corporaliter, et ille qui fuit ab initio, unitus est cum eo qui non erat, neque reliquit hunc vel nictu oculi, neque est prorsus separatio in saecula saeculorum. Et crucifixus est pro nobis et redemit genus nostrum humanum. Neque passa est divinitas ipsius cum humanitate ipsius, nec mors attigit divinitatem eius.

Neque ego perverse sector Arrium Alexandrinum qui dicebat Patrem solum fuisse aeternum creatorem, Filium vero tempore creatum, neque aequalem Patri in essentia et substantia, Filiumque sumpsisse ex Maria corpus sine anima, divinitatem vero ei fuisse loco animae. Neque profiteor ego cum Macedonio qui adhaerebat dictis Arii de Filio, quod esset temporalis et creatus, ac praeterea dicebat, Spiritum Sanctum non esse Deum, sed creatum et factum. Neque missum esse ex essentia Patris et substantia, neque aequalem esse Patri et Filio, sed separatim ab illis existere in substantia et essentia. Neque credo ego quod Nestor, qui dicebat divam Mariam non genuisse Deum sed Messiam, nec Messiam fuisse Deum vere natum cum corpore ex virgine sancta, sed hominem in quo habitaret divinitas et quem fecisset sibi templum. Praeterea dicebat, Messiam esse duplicem, alterum Deum aeternum, natum ex Patre, alterum hominem temporalem natum ex Maria. Neque ego improbe sentio de natura eius humana, sicut loquebatur Eutychius et eius socius Dioscorus, qui aiebant corpus Messiae nequaquam simile fuisse humanitati nostrae, Messiamque ante unionem ex duabus fuisse naturis, quae duae naturae coniunctae, unaque natura effectae sint. Sed sic credo ego in verbum Dei, quod sit Deus perfectus in divinitate sua, homo perfectus in humanitate sua, absque tamen peccato, in una persona

divina cum duabus naturis unitis, cum duabus voluntatibus inseparatis.

Praeterea recipio sanctos patres trecentos et octodecim congregatos Nicaeae adversus Arrium, item patres sanctos centum quinquaginta qui convenerunt Constantinopolim adversus Macedonium. Insuper patres sanctos ducentos congregatos Ephesi contra Nestorem. Denique et sanctos patres sexcentos triginta sex congregatos Chalcedone adversus Dioscorum. Postremo recipio doctores selectos et pastores veros qui instituerunt sanctam ecclesiam Romanam, ac patres omnes qui in ea habentur ab initio Christianae religionis usque ad hunc diem. Obtestor itaque Patrem Patrum et pastorem pastorum, ornamentum omnium dignitatum, coronam capitum nostrorum, ac lumen oculorum nostrorum, benedictionem universae reipublicae Christianae, portantem claves regni, fontem ex quo profluit suavitas, Pontificem Iulium tertium, qui accepit signaculum nominis Trinitatis, ut dignetur acceptare hanc meam professionem meo nomine, atque etiam nomine patriarchae nostri.

Professio Fidei Siud sive Sulaka Electus Patriarcha ab Nestorianis

Shimun VIII Yohannan Sulaqa

15 February 1553

Iulius PP III

Mea monachi Siud professio fidei. Profitemur trinitatem gloriosam, Patrem et Filium et Spiritum sanctum, unum Deum, tres personas, unam substantiam, qui fuit a saeculo et usque in saecula, tres personas, unam dominationem, unam virtutem, unam potestatem, effectorem caeli et terrae, et omnium eorum quae cerni possunt, et quae cerni non possunt, carnalium et spiritualium. Credimus de singulis personis, quod unaquaeque ipsarum sit Deus perfectus. Credimus in Filium Dei et verbum ipsius, natum ante omnia tempora, existentem in sinu Patris sui, et cum eo fuit in omni eo quod faciebat. Per divinitatem et misericordiam suam respexit nos, viditque multiplicatum esse peccatum nostrum. Misit verbum suum et redemit nos. Et incarnatum est de virgine Maria, sicut vaticinati fuerant prophetae. Una persona, naturae duae. Natus est a Patre ante omnia tempora et natus est ex virgine Maria, Deus perfectus et homo perfectus absque divisione, Filius Dei veri in duabus naturis et ex duabus naturis in una persona. Neque passio, neque mors, accidit divinitati sed humanitati. Passus, mortuus, et sepultus est in humanitate sua propter nos et propter redemptionem nostri. Et

descendit ad infernum. Et tertio die resurrexit e sepulchro vera resurrectione. Et sublatus est post quadraginta dies cum eo corpore cum quo surrexerat e sepulchro et cum spiritu, ascendit in caelum et sedet ad dexteram Patris sui. Et illinc venturus est in die novissimo et iudicet mortuos et vivos. Et retribuet unicuique secundum opera sua. Credimus etiam in Spiritum sanctum, Deum perfectum qui ex Patre et Filio procedit, et cum Patre et Filio adoratur et gloriosus praedicatur. Confitemur itaque tres personas, unam Deitatem, quae ut voluit fecit a saeculo et usque in saeculum, caussa non aspectabilis, una voluntas.

Et profitemur ecclesiam sanctam catholicam apostolicam unam veram, in qua est unum baptisma verum dans remisionem omnium peccatorum. Et esse excommunicatum omnem hominem, quem excommunicat ista ecclesia sancta Romana catholica, quae excommunicat haereticos. Et credimus in diem ultimum, et in resurrectionem, et quod resurgemus cum eo corpore in quo sumus nunc. Credimus quoque in vitam quae non dissolvetur. Credimus praeterea in scripturas sanctas et veteris et novi testament et duodecim apostolos. Omnium istorum Deus auctor est. Et in quatuor evangelistas. Et Petrum et Paulum, ac omnes illos libros sanctos quos retinet ecclesia Romana. Credimus quoque in sanctum baptisma. Et in sacrificium quod est corpus et sanguis Christi. Et in

sacerdotium sanctum. Et in matrimonium. Et in oleum sanctificans. *Erat quidem olim apud nos consuetudo, ut revelaremus peccata nostra inter nos, sed surrexit violentus tyrannus, et abolevit eam, orta est caedes ac contentio, et cessare fecit illam. Sed nunc o Pater noster, habemus spem in te, quod scribes per literas et excommunicabis eos, qui id non observabunt. Confirmatione vero an veteres usi sint, ignore, monachus enim sum ego, et quis me id docuisset?*

Insuper profitemur quatuor concilia magna, primum Nicaeae congregatum tempore Papae Silvestri, in quod convenerunt trecenti et octodecim patres. Quod conscribi fecit fidem veram perfectam catholicam, atque excommunicavit Arrium impium. Similiter scripsit de ecclesia sancta Romana, quae est sedes Petri, quod sit caput omnium ecclesiarum, quod donum dedit ipsi Christus per illa verba, quae dixit ad Petrum plantatorem illius, nimirum, tu est Petra et super istam petram aedificabo ipsam ecclesiam meam. Habetur apud nos illa fides. Et fecerunt ipsam trecenti et octodecim Patres orthodoxi. Credimus quoque concilio Constantinopolitano in quo fuere congregati centum et quinquaginta patres propter Macedonium, qui dicebat Spiritum non esse Deum verum. Credimus item concilio Ephesino ducentorum patrum, qui fuere congregati propter Nestorium dicentem, duas personas esse in Christo.

Profitemur denique concilium Chalcedonense sexcentorum et triginta patrum, qui convenerant propter Dioscorum asserentem, unicam in Christo esse naturam ex quo esset unitus. Insuper recipimus omnia illa concilia quae recepit ecclesia Romana. Et excommunicamus quos excommunicat ecclesia Romana et illa quatuor concilia. Praeterea credimus de Maria virgine quae peperit Christum quod sit mater Dei, quae peperit Deum verum et hominem verum, et fuit virgo ante partum et post partum, neque sensit dolores partus. Veneramur quoque et exaltamus atque laudamus ecclesiam Romanam et caput eius papam sanctum atque omnes proles ipsius benedictas.

Professio Fidei Simonis Sulalle

Shimun VIII Yohannan Sulaqa

20 February 1553

Iulius PP III

Ego *Frater Sulalle de Domo Danielis Bella ex Civitate Muzal in Assyria Orientali oriundus Frater Domus, et Conventus Sancti Basilii, Muzal Dioecesis Ordinem* ipsum expresse professus.

Credo ex corde, et confiteor ore, quod unus solus est verus Deus omnipotens, incommutabilis, qui est incomprehensibilis, ineffabilis, et aeternus, Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus, unus in essentia, trinus in personis, Pater ingenitus, Filius a solo Patre genitus, Spiritus Sanctus a Patre, et Filio procedens, non sicut a duobus principiis, sed ab utraque tanquam ab uno principio. Pater non est Filius, aut Spiritus Sanctus, Filius non est Pater, aut Spiritus Sanctus. Spiritus Sanctus non est Pater, aut Filius, sed Pater tantum Pater est, Filius tantum Filius est, et Spiritus Sanctus tantum Spiritus Sanctus est. Nullus alium, aut praecedit aeternitate, aut excedit magnitudine, aut superat aeternitate (immensitate). Absque initio semper est, aut sine fine. Pater est generans, Filius nascens, Spiritus Sanctus procedens, consubstantiales, coaequales, et omnipotentes, et coaeterni, haec tres Personae sunt unus Deus, non tres Dii, una

essentia, una substantia, una immensitas, unum principium, unus Creator visibilium omnium, et invisibilium, corporalium, et spiritualium, qui quando voluit universas condidit creaturas sua bonitate, quas valde bonas voluit, ideo reprobo, et anathematizo omnes haereses, et haereticos sentientes, et docentes contraria.

Firmiter etiam credo, et confiteor, quod unigentus Dei Filius consubstantialis Patri, semper cum Patre, et Spiritu Sancto existens, in plenitudine temporis quam Divinae misericordiae consilium disposuit, ut nos a peccato Adae, et caeterarum culparum nostrarum fordibus mundaret, et a morte, et Inferno liberaret, incarnatus est de Spiritu Sancto, in immaculato utero Beatae Virginis Mariae veram, et integram hominis naturam assumpsit, corpus, scilicet, et animam rationalem in unitate personae Divinae tanta unitate, ut unus, et idem Christus sit Deus, et Homo, Dei Filius, et hominis Filius, ita quod una natura non confunditur ab altera, neque una transit in alteram, neque una miscetur alteri, neque altera evanescit, sed in persona omnino una duae sint naturae perfectae, scilicet, et divina, ac humana, salvis earumdem naturarum proprietatibus, duae voluntates, duae operationes, ita ut Christus sit tantum unus, et sicut formam Servi Dei forma non adimit, ita formam Dei forma Servi non minuit, qui enim verus Deus est, idem verus est homo, Deus per id quod in principio erat Verbum, et

Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum, homo per id quod Verbum erat factum est, et habitavit in nobis, Deus per id quod de quinque panibus quinque millia hominum satiavit, quod Samaritanae aquam salientem in vitam aeternam promisit, quod Lazarum quatriduanum a mortuis suscitavit, homo per id quod esurivit, sitivit, fatigatus est, et in ligno clavis transfixus est, unus, et idem secundum Divinitatem aequalis Aeterno Patri, immortalis, impassibilis, secundum vero humanitatem minor Patre, mortalis, et passibilis.

Insuper firmiter credo, et praedico eundem Dei Filium incarnatum, natum esse ex Maria semper Virgine, et ideo ipsam Virginem fateor, veram Dei Matrem, atque Genitricem. Item vere passum, mortuum, et sepultum, vere cum anima descendisse ad Infernos ad liberandum Patres, et ad ligandum insatiabilem homicidam, et subinde vere ex mortuis surrexisse, et per quadraginta dies Apostolos docuisse, moxque ad caelos ascendisse, sedereque ad dexteram Patris, et venturum in fine Saeculorum ad iudicandum vivos, et mortuos.

Credo, et profiteor nullum unquam hominem ex semine Adae conceptum, et natum, fuisse salvatum, aut fore salvandum, nisi per fidem Mediatoris Dei, et hominum Domini nostri Iesu Christi in

sanguine, et morte ipsius, qua nos reconciliavit aeterno Patri, et delevit Chirographum iniquitatum nostrarum aeterna redemptione inventa.

Item firmiter credo, legalia omnia Veteris Testamenti, seu Mosaicae Legis, quia Christum figurabant, licet Divino cultui illa aetate congruerent, ipso adveniente cessasse, et iam promulgato Evangelio servari non posse sine interitu salutis aeternae. Omnes igitur post illud tempus Circumcisiones, Sabbathi, ciborum eadem Lege prohibitorum, reliquorumque legalium observationes alienas a fide denuntio, et salutis aeternae non posse esse participes, nisi aliquando ab his erroribus resipiscant, ab his enim omnibus liberavit nos Christus, et septem Novae Legis Sacramenta instituit, quae veneror, credo, et confiteor, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Ordinem, et Matrimonium, et Extremam Unctionem, quae omnia nobis gratiam Dei conferunt, et virtute passionis Domini Nostri Iesu Christi ea sumentibus applicavit. Ita septem Sacramenta persiciuntur tribus, verbo, videlicet, et rebus, et Ministro, rebus ut materia, verbis ut forma, Ministro qui facere intendat quod facit Ecclesia. Recipio insuper quidquid de eisdem Sacramentis Sancta, et Catholica Ecclesia Romana docet, et praedicat.

Credo, quod si vere poenitentes in Dei charitate decesserunt, antequam dignis poenitentiae fructibus, et commissorum et omissorum poenis Purgatorii post mortem purgari, utque a poenis huiusmodi releventur prodesse eis fidelium vivorum suffragia, Missarum scilicet Sacrificia, Orationes, et Eleemosynas, et alia pietatis officia, quae a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundum Ecclesiae instituta, illorum animas, qui post baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam habent, et ut dictum est, purgatae sunt, mox in caelum recipi, et intueri clare ipsum Deum trinum, et unum sicuti est, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius, illorum vero animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in Infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas.

Firmiter etiam teneo, et credo Symbolum fidei a trecentis decem, et octo Patribus Concilii Nicaeni acceptatum, et usque haec tempora servatum in Ecclesia in hac forma. Credo in unum Deum Patrem Omnipotentem, factorem caeli et terrae, visibilium omnium, et invisibilium. Et in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia saecula. Deum de Deo, Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de caelis. Et

incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est, et resurrexit tertia die, secundum Scripturas, et ascendit in caelum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria, iudicare vivos et mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum, Dominum et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur, qui locutus est per prophetas. Et unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum, et vitam venturi saeculi. Amen.

Confiteor, teneo, et praedico unum eundemque Deum Veteris, et Novi Testamenti, hoc est Legis, et Prophetarum, atque Evangelii authorem esse, quoniam eodem Spiritu Sancto inspirante loquuti sunt. Itaque suscipio omnes Libros Canonicos, quos suscipit Sacrosancta Romana Ecclesia Catholica, quorum tituli sunt, videlicet quinque Libri Moysis, Liber Genesis, Exodi, Levitici, Numeri, Deuteronomii, Iosue, Iudicum, Ruth, quatuor Libri Regum, duo Paralipomenon, Esdrae, Neemiae, Tobiae, Iudith, Iob, Psalmorum David, Liber Proverbiorum, Ecclesiastes, et Cantici Canticorum, Sapientiae, Ecclesiastici, Isaiae, Hieremiae, Baruch, Ezechielis, Danielis. Teneo etiam libros duodecim Prophetarum Minorum, id est, Osee, Ioelis, Amos, Abdiae, Ionae, Michae, Nahum, Abacuc,

Sophoniae, Haggaei, Zachariae, Malachiae, et duos libros Machabaeorum. Etiam teneo quatuor Libros Evangelistarum Matthaei, Marci, Lucae, Ioannis. Accepto quatuordecim Epistolas Pauli, ad Romanos videlicet unam, ad Corinthios duas, ad Galatas unam, ad Ephesios unam, ad Philippenses unam, ad Colossenses unam, ad Thessalonicenses duas, ad Timotheum duas, ad Titum unam, ad Philemonem unam, ad Hebraeos unam. Item suscipio Epistolam Iacobi unam, Petri duas, Ioannis Apostoli tres, Iudae unam, Librum Actuum Apostolorum, et Apocalypsim Ioannis Apostoli.

Item amplector, suscipio, et approbo Sanctam Nicaenam Synodum trecentum et octodecim Patrum, et profiteor, et sequor quidquid illa decrevit, et reprobo, et damno quidquid illa damnavit, et maxime impiam haeresim Arianorum cum suo authore Ario.

Item amplector, suscipio, et approbo Sanctam Catholicam Chalcedonensem Synodum quartam in ordine generalium Synodorum, et credo, ac sequor quidquid illa decrevit, et reprobo ac damno quidquid illa reprobavit, et maxime impiam haeresim Eutychetis, et Dioscori, et reprobo secundam Ephesinam synodum.

Item amplector, suscipio, et approbo Sanctam primam Ephesinam Synodum ducentorum Patrum, et credo quidquid illa decrevit, et reprobo quidquid illa reprobavit, maxime haeresim Nestorianam cum suo authore Nestorio.

Item suscipio, approbo, et amplector, quaecumque alia Concilia, quae recipit, et approbat Sancta, et Catholica Ecclesia Romana, ac damno, et reprobo omnes haereses, et authores earumdem, quas et quos reprobat, et damnat dicta Sancta, et Catholica Romana Ecclesia, nec non quidquid tenet, et docet Sancta Sedes Apostolica Romana, ac Catholica Ecclesia cum omni devotione, et reverentia suscipio, et accepto, illos quoque Doctores, et Sanctos Patres, quos Ecclesia Romana approbat reverenter suscipio.

Teneo, et confiteor Sanctam Sedem Apostolicam, et Romanum Pontificem in Universum Orbem tenere primatum, et ipsum Romanum Pontificem successorem esse Petri Principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae suae sanctae esse caput, et omnium Christianorum Patrem, et doctorem existere, et ipsi in Beato Petro pascendi, regendi, et gubernandi, Universalem Ecclesiam a Domino Nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse, cuius Ecclesiae unitatem, et Congregationem, tam

valere credo, ut nullos extra dictam Ecclesiam Catholicam existentes aeternae vitae participes posse fieri confiteor.

Insuper promitto me tanquam obedientiae filium ordinationibus, praeceptis, censuris, ac iussionibus Papae *Iulii Tertii* moderni, et Successorum suorum Romanorum Pontificum canonice intrantium, et Sedis Apostolicae fideliter, et semper obtemperaturum. Ita me Deus adiuvet, et sancta Dei Evangelia, et Deus testis est mihi, quod corde credo, confiteor ore hanc confessionem, fidei meae sinceram, et veram, quam scribi feci, ac manu propria subscripsi, et humiliter Patri Sanctissimo *Iulio Tertio* Pontifici Maximo ad pedes eius prostratus obtuli die *quintodecimo* mensis Februarii *millesimo quingentesimo quinquagesimo tertio*.

Ego indignus *Frater Simon Sulalle* feci scribere hanc fidem, et manu propria subscripsi. Datum *Romae in Palatio Apostolico* anno a Nativitate eiusdem Domini *millesimo quingentesimo quinquagesimo tertio* die vero *duodecimo* mensis *Februarii* Pontificatus praelibati Sanctissimi Domini Nostri anno *tertio*.

Quindecim Articuli quibus Academici Cantabrigenses ab Episcopo Gardinero Academiae Cancellario Subscribere Iubentur

Atkinson, Sedgwicke, Harvey

01 April 1555

Sede Vacante

1. Credimus et confitemur unum Deum verum, unum, omnipotentem, incorporeum, impartibilem, immensa potentia, sapientia, bonitate, creatorem et conservatorem rerum omnium visibilium et invisibilium, et tres in divinitate distinctas personas, Patrem ingenitum, Filium unigenitum, et Spiritum Sanctum ab utroque procedentem, eiusdem essentiae, potentiae, gloriae, et eternitatis.

2. Credimus verbum Dei carnem assumpsisse ex virgine Maria, ita ut duae naturae, divina et humana in Christi persona inseparabiliter fuerint coniunctae, eundemque vere passum, crucifixum, mortuum, ad infernos descendisse, et tertia die resurrexisse, atque in caelos ascendisse, et ad dexteram patris sedere.

3. Credimus septem ecclesiae esse sacramenta a Deo instituta, nempe baptismum, confirmationem, eucharistiam,

penitentiam, extremam unctionem, ordinem, et matrimonium, per quae Deus invisibiliter confert gratiam, et operatur nostram salutem sive per bonos, sive per malos ministros.

4. Credimus baptismum omnibus ad salutem esse necessarium, etiam infantibus, peccataque omnia tam actualia, quam originalia baptismo tolli et plenarie deleri, adeo ut, qui rite baptizentur filii Dei fiant et heredes vitae aeternae, eundemque baptismum nunquam esse iterandum.

5. Credimus hominem liberum habere arbitrium, quo potest male, et cum gratia Dei bene agere, et post peccatum admissum, Deo adiuvante, penitere, et peccatorum remissionem consequi.

6. Credimus quod nec sine fide nec sola fide sine penitentia et proposito vivendi secundum Dei mandata, aut sine spe et charitate homo possit iustificari, eosque improbamus, qui vel solam fidem sine operibus satis esse ad salutem affirmant, aut innovationem vitae et iusticiam inhaerentem inficiantur et negant, illamque fidei certitudinem, quam Lutherani iactitant, et quae nec scripturarum testimoniis nitatur, et

pietatis et virtutum nervos elidat, dum pestilentem securitatem in hominum animis inserit.

7. Credimus opera bona adultis esse ad salutem necessaria, et cum ex fidei et spiritu charitatis procedunt, ita grata esse Deo, ut eis tanquam iustam mercedem vitam retribuat eternam, illicque in regno gloriosiorem eum fore, qui hic pluribus pietatis operibus abundat.

8. Credimus in Eucharistiae sacramento virtute verbi divini a sacerdote prolati, presens esse realiter naturale Christi corpus, quod de virgine natum est, et item naturalem illius sanguinem, neque manere iam amplius substantiam panis et vini, neque ullam aliam substantiam, quam Christi Dei et hominis, unde eucharistiam sancte a nobis adorari, sive in missa sive extra missam certa fide tenemus. In qua missa vivificum esse Christi sacrificium tam pro vivis, quam pro mortuis propitiabile, communionemque sub utraque specie ad salutem necessariam non esse asseveramus, potestatemque consecrandi corpus et sanguinem Christi esse concessam solis sacerdotibus, secundum ecclesiae catholicae ritum legitime a Christo ordinatis.

9. Credimus matrimonium inter Christianos legitime contractum esse indissolubile, qualiscunque fuerit alter coniugum sive adulter, sive sterilis, sive hereticus.

10. Credimus unam esse in terris catholicam Christi ecclesiam, eamque visibilem, quae a tempore apostolorum ad nostrum aetatem durans in hiis, quae fidei sunt et religionis, non potest errare, hereticisque, schismaticis, et excommunicatis, et ab hac ecclesiae unitate alienis et avulsis nullam super esse salutem, unumque esse sub Christo summum pastorem, cui omnes obedire tenentur, summamque hanc praepositurum Divum Petrum, verum in terris Christi vicarium, et generalem totius Christi familiae pastorem primum omnium gessisse, post Petrum vero ex Christi institutione omnes deinceps Romanos pontifices, Petri in cathedra successores.

11. Sanctos cum Christo agentes nos pie posse et debere venerari, eosdemque invocare, ut pro nobis orent, atque nostros preces et vota ab illis percipi, et eorum nos precibus iuvari confitemur et agnoscimus.

12. Reliquias martyrum, et loca in eorum honorem consecrata pie et religiose a Christianis venerari, et invisi posse affirmamus, imaginum quoque usum ferendum, et hominibus fructuorum esse fatemur.

13. Credimus post hanc vitam esse purgatorium, in quo animae defunctorum purgantur, poenaque ad huc peccatis debita exolvitur, sanctumque et salubre esse pro defunctis exorare, nostrasque preces, eleemosinas, ieiunia, et opera alia pia, maxime autem altaris sacrificium illis multum prodesse persuasissimum habemus.

14. Credimus pium esse vota Deo vovere, quae ubi iam facta et expressa fuerint, voventes coram Deo obligare et evangelicae libertati non adversari asserimus.

15. Detestamur insuper omnes errores Zuinglii, Oecolampadii, Lutheri, Calvini, Buceri, et omnia alia sive recentium, sive priscorum hereticorum adulterina et pestifera dogmata, quae sane scripturarum intelligentiae, orthodoxae fidei, et catholicae Christi ecclesiae adversantur et repugnant.

Haec omnia nos credere, et coram Deo sentire profitimur, hancque nostram fidem manuum nostrarum subscriptionibus testificamur, contrariamque doctrinam detestamur.

Formula Christianae et Catolicae Fidei Tradita in Sacra Synodo Provinciali Lovitii Celebrata Anno Domini Millesimo Quingentesimo Quinquagesimo Sexto die Undecima Septembris Praesidentibus in ea Reverendissimo Domino Aloysio Lippomano Episcopo Veronensi Nuntio Apostolico et Reverendissimo Domino Nicolai Dzierzgowski Archiepiscopo Gnesniensi Legato Nato et Totius Regni Poloniae Primatae quae Omnibus Ecclesiis Provinciae Eiusdem Inviolabiliter Servanda et Tenenda Mandatur

Council of Lowitz

11 September 1556

Paulus PP IV

1. Principio Symbolum Apostolorum, Nicaenum et Constantinopolitanum, symbolum etiam Divi Athanasii recipimus, veneramur et amplectimur, omnibusque recipiendum, venerandum et amplectendum mandamus.

2. Iuxta quae haec symbola, certa et firma fide credimus Sanctam Trinitatem, id est Patrem et Filium et Spiritum Sanctum Unum Deum Omnipotentem, unius essentiae, unius potestatis, creatorem omnium creaturarum, a quo omnia, per quem omnia, in quo omnia.

3. Eadem fide credimus, Patrem a semetipso esse non ab alio, Filio a Patre genitum, Deum verum de Deo vero, lumen verum de lumine vero, non tamen duo lumina, sed unum lumen.

4. Eadem partier fide credimus, Spiritum Sanctum a Patre et Filio aequaliter procedere, consubstantialemque Patri et Filio et coaeternum esse, qui super Apostolos in linguis igneis descendit, et a quo totum corpus Ecclesiae sanctificatur, vivificatur et regitur, atque in ea manet in aeternum.

5. Simul et illud credimus et confitemur, aeque Filio et Spiritui Sancto atque Deo Patri cultum Latriae praestari debere, aeque Filium et Spiritum Sanctum atque Patrem adorandum et glorificandum esse, quandoquidem tres personae Deus unus est, ac per Christum nos quidem accessum ad Deum Patrem habere, esse illum advocatum et mediatorem nostrum secundum humanam naturam, qua minor est Patre, secundum Divinam vero aequalem esse Patri, et eodem cum illo et Spiritu Sancto honore afficiendum.

6. Credimusque (Credendum / Credendumque est) esse septem Ecclesiae sacramenta a Christo instituta, quae sunt

Baptisma, Confirmatio, Eucharistia, Poenitentia, Extrema Unctio, Ordo et Matrimonium. Per quae quamvis externa et corporalia signa Deus invisibiliter, sive per bonos, sive per malos ministros, nostrum salutem operatur.

7. Baptismus ad salutem omnibus necessarius est, etiam infantibus, per quem peccata plane tolluntur, et fiunt filii Dei ac haeredes vitae aeternae, nec unquam est iterandus.

8. Poenitentiae sacramentum, quod post Baptismum omnibus relapsis est ad salutem necessarium, amplectitur contritionem, confessionem et satisfactionem.

9. Contritio est dolor de peccatis propter Dei offensam susceptus, cum proposito confitendi et satisfaciendi, non autem ut quidam hoc saeculo perniciosi docent, terror conscientiae propter apprehensum gehennae supplicium peccatis debitum, praeparat tamen hic terror et gehennae metus ad veram contritionem.

10. Confessurus diligentiam legitimam adhibere debet, quo sacerdoti iudici suo manifestet omnia peccata sua mortalia etiam occulta cordis, ut ab eis per illum absolvatur, cuius

absolutionis minister est solus sacerdos, secundum Ecclesiae ritum consecratus.

11. Satisfactio est persolutio poenae plerumque adhuc debitae remissa iam culpa. Nam omnem poenam peccato debitam semper condonari culpa remissa erroneum est, et scripturis sacris adversatur.

12. Certa fide tenendum est, hominem habere liberum arbitrium, quo potest male, et cum gratia bene agere, et post peccatum mortale admissum, Deo adiuvante, poenitere et peccatorum remissionem consequi.

13. Ad iustificationem ante omnia in adultis necessaria est fides, qua certo credimus, Christum Iesum Dei filium nobis propitiatorem a Patre propositum esse pro peccatis nostris in sanguine ipsius, sine qua nullis nostris operibus, nullaque poenitentia iustificatio obtineri potest, sicut nec fide sola sine poenitentia et proposito vivendi secundum mandata Dei.

14. Fides, qua quis firmiter credit, et certo statuit propter Christum sibi remissa esse peccata, seque possessurum

vitam aeternam, nullum habet in scripturis testimonium, imo eisdem adversatur. Etiamsi firma et certa spe expectare debemus, in hac quidem vita, per sacramentum Baptismi et Poenitentiae peccatorum remissionem, in saeculo autem futuro vitam aeternam.

15. Itaque quamdiu inter hostes nostros adversariasque potestates in terris vivimus, nulla nobis est securitas, sed cum timore et tremore, iuxta sententiam Apostoli, nostram salutem operari debemus, et secundum varias animorum nostrorum affectiones, nunc magis sperare, nunc magis timere, simpliciter tamen magis et frequentius de misericordia Domini sperandum est, quam formidandum de severitate.

16. Opera bona omnibus adultis sunt ad salutem necessaria, et cum ex fide et charitatis spiritu proficiscuntur, ita grata sunt Deo, ut eis tanquam iustam mercedem, vitam retribuat aeternam.

17. Confirmatio et Extrema Unctio sacramenta sunt a Christo instituta, sed non ut duo praecedentia ad salutem

necessaria, ex contemptu tamen illa omittere est peccatum mortale.

18. In Eucharistiae sacramento est re ipsa verum Corpus Domini nostri Iesu Christi, illud ipsum, quod de virgine natum, et in cruce passum est.

19. In Eucharistia non manet panis et vinum, sed haec in corpus et sanguinem Christi admirabili potentia verbi illius sunt conversa, manentibus tantum panis ac vini speciebus. Unde certa fide tenendum est, Sacram Eucharistiam sancte a nobis adorari, sive in missa, sive extra missam, ubicunque reposita fuerit, aut quoties in supplicationibus publicis a sacerdote circumfertur.

20. Non est laicis necessaria ad salutem communio sub utraque specie, iustisque de causis ab Ecclesia sancitum est, ut illis sub una panis tantum specie sacramentum communicetur, in quo carnem et sanguinem, atque ita totum Christum sub una specie sumunt.

21. Sacrificium missae ex institutione Christi, tam vivis prodest quam defunctis.

22. Solis sacerdotibus secundum Ecclesiae ritum ordinatis data est a Christo potestas consecrandi verum corpus Christi et sanguinem.

23. Matrimonium contractum et consumatum inter Christianos est indissolubile, qualiscunque fiat alter coniugum, sive adulter, sive sterilis, sive haereticus.

24. Nunquam licet Christiano post divortium contrahere metrimonium, vivente eo cum quo prius legitime contraxerat.

25. Matrimonia contracta contra canones ipsa dirimentes, simpliciter sunt irrita et nulla.

26. Firma fide tenendum est, unam esse in terris veram atque catholicam Christi Ecclesiam, eamque visibilem, quae ab Apostolis fundata in hanc usque nostram aetatem perdurans, retinet ac suscipit, quidquid de fide et religione tradidit, tradit et traditura est Cathedra Petri, supra quam ita a Christo suo sponso est aedificata, ut in his quae fidei sunt et religionis, errare non possit.

27. Extra hanc nulli speranda est salus, suntque extra eam haeretici, schismatici et excommunicati, unde vehementer formidanda est excommunicatio, nec humana sed divina est excommunicandi potestas.

28. Unus est Ecclesiae summus pastor, cui omnes obedire tenentur, ad eius iudicium controversiae, quae super fide et religione existunt, sunt referendae.

29. Summam hanc praeposituram primus omnium gessit Sanctus Petrus, verus Christi in terris vicarius, et totius eius familiae pastor, post Petrum vero ex Christo institutione omnes deinde pontifices, Petri in cathedra successores.

30. Certa fide tenenda sunt, non solum quae scripturis expresse sunt prodita, sed etiam quae per traditionem Ecclesiae catholicae credenda accepimus, et quae definita sunt super fidei et morum negotiis per cathedram Petri, vel concilia generalia legitime congregata.

31. Constitutiones Ecclesiae de ieiuniis, festis et abstinentia ciborum, aliisque multis, obligant in conscientia, etiam extra casum scandali.

32. Recte fit in Ecclesia, quod sanctos in caelis cum Christo agentes veneramur et invocamus, ut pro nobis orent, quorum etiam meritis et intercessione Christus nobis hic multa largitur, alias non largiturus, per quos etiam miracula multa operatur.

33. Quapropter sancta et religiose faciunt, qui loca eis dicata una cum ipsorum reliquiis religiosa pietate visitant, et hoc modo ab ipsis opitulationem quaerunt.

34. Gratus est etiam Deo imaginum usus, recteque coram iis procumbimus, invocaturi sanctos quos repraesentant.

35. Firmiter credendum est post hanc vitam purgatorium esse animarum, in quo solvitur poena peccati adhuc debita, eisdem tamen subvenitur sacrificio altaris, oratione, ieiunio, eleemosyna, aliisque bonis operibus vivorum, sicut et indulgentiis, quo citius ab ea liberentur.

36. Animae defunctorum purgatae mox regnant cum Christo in caelo, et animae impiorum hinc migrantes sempiternis traduntur suppliciis.

37. Recte vota Deo facimus, tam monastica quam alia, et facta obligant apud Deum, nec adversantur libertati evangelicae, quae a peccatis libertas est, et his quae spiritum nostrum quoquo modo impediunt, quominus totus Deo serviat, non autem a voti vel iuramenti obligatione, nec ab obedientia magistratus ecclesiastici vel saecularis.

Articuli Joannis Derecky

quos Proposuit Schemnitii Ministris Ecclesiarum

Comitatus Hontensis

Janos Derecskey

22 March 1558

Paulus PP IV

1. Certa et firma fide credendum est, baptisma omnibus etiam parvulis, ad salutem necessarium fore, ac per ipsum dari gratiam Spiritus Sancti.

2. Nec minus certum est adultis et ratione utentibus post peccatum mortale admissum, necessariam esse poenitentiam, quae in contritione et Confessione Sacramentali vocaliter sacerdoti facienda, similiter satisfactione consistit.

3. Ad haec tenendum est peccatorem non sola fide, sed et bonis operibus iustificari, quae adeo necessaria sunt, ut sine illis nemo adultus consequatur vitam aeternam.

4. Quilibet Christianus tenetur firmiter credere et nullatenus dubitare in consecratione eucharistiae panem et vinum

converti in verum Christi corpus et sanguinem, remanentibus tamen panis et vini speciebus, sed quibus realiter corpus Christi verum continetur, quod ex virgine natum est, et in cruce passum, ita quod substantia panis convertatur in substantiam corporis Christi, sic quod non maneat substantia panis.

5. Eucharistia, ut verus Deus et homo, in una hypostasi existens, adoretur necesse est.

6. Non est laicis ad salutem necessaria communio sub utraque specie, recteque certis ac iustis de causis olim ab ecclesia sancitum est, ut illis sub una tantum specie panis communicetur. Item, ut diximus, verus Deus et homo in una hypostasi existens, ideo non decipiuntur laici, quia ubique integer Christus sumitur.

7. In ecclesia materiali necessaria sunt pro infirmis et peregrinis et aliis in necessitate positis servari sacramenta, maxime autem Eucharistiam Sacramenti, etiam propter decorem Ecclesiae, secundum institutionem sanctorum patrum.

8. Porro solis sacerdotibus, secundum Ecclesiae ritum ordinationis, data est a Christo potestas consecrandi verum Christi corpus, et in hora poenitentiae a peccatis absolvendi.

9. Coelibatum sacerdotum summe necessarium esse, quia sancta sunt, quae tractantur per eos, immo laudabilem et Deo gratum, ut in exemplo sunt Ioannes evaugelista et apostolus, episcopus meritissimus totius Asiae, Clemens, Anacletus, lgnatius, Dionysius et Timotheus, qui omnes discipuli apostolorum fuerunt et coelibes fuisse constat.

10. Non est dubitandum sanctos ita et in hac vita mortali et in caelo agentes miranda operari, uti Elisaeus 4 Regum 13, et Elias, et apostoli, martyres, et confessores.

11. Sancti non solum imitandi sunt, sed et venerandi et invocandi.

12. Firmiter credendum est et nullatenus dubitandum, purgatorium esse, in quo animae detentae oratione, ieiuniis, eleemosynis, aliisque bonis operibus iuvantur, ut citius liberentur a poenis.

13. Tenetur quilibet Christianus firmiter credere, unam in terris universalem esse ecelesiam visibilem, in fide et moribus errare non valentem, cui omnes fideles in his, quae sunt fidei et morum, obedire adstringuntur.

14. Certum est concilium generale legitime congregatum, universalem repraesentare Ecclesiam, in fidei et morum determinationibus errare non posse.

15. Nec minus certum est, unum esse iure divino, summum in Ecclesia Christi pontificem, cui omnes Christiani parere tenentur, qui quidem potestatem habet ligandi et solvendi et excommunicandi.

16. Quod si quid in Scripturis sacris controversiae et dubii oriatur, ad hunc Pontificem sit transferendum.

17. Quod papa sit verus successor et haeres Petri, et Romae sedem habeat, et quia praesul Romanus verus successor et haeres Petri est, ita et Reverendissimus Episcopus Nicolaus Olahus. Igitur si quae controversiae exoriantur, ad ipsum deferendae.

18. Quilibet credere debet, quod in numero sunt septem sacramenta Ecclesiae.

Articulos Fidei Iurandos per Episcopos et alios Praelatos

in Susceptione Muneris Consecrationis

Council of Trent

4 September 1560

Pius PP IV

1. Symbolum Apostolorum, et alia, quae ab Ecclesia sunt recepta, universas Traditiones eas, quae a sancta Sede Apostolica et Romana Ecclesia divinae consentur, et quae ab ipsis Apostolis quasi per manus ad nos usque perverunt, atque Oecumenica Concilia in iis, quae de fide decernunt, veluti sacram Scripturam credimus, amplectimur et veneramur.

2. Sacrae Scripturae iuxta Sanctae Matris Ecclesiae sensum, Patrumque consensum interpretandae sunt.

3. Sancta Apostolica Sedes, et Romanus Pontifex in Universum Orbem tenet Primatum, ipseque Pontifex Romanus Successor est Petri, Principis Apostolorum, et verus Christi Vicarius totiusque Ecclesiae Caput, et omnium Christianorum Pater et Doctor existit, et ipsi in Beato Petro pascendi,

regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino Nostro Iesu Christo plena potestas tradita est.

4. Novae Legis septem sunt Sacramenta a Christo instituta, ut Baptismus etc. quae non solum significant gratiam, sed etiam continent, ac digne suscipientibus conferunt.

5. Baptismus ad salutem omnibus mortalibus est necessaries, etiam infantibus; delet vero omnem culpam, et originalem et actualem, simul poenam omnem pro culpa debitam remittit, filios Dei efficit adoptivos, aperit Regnum Caelorum, et iterari non potest.

6. In Confirmatione datur gratia Spiritus Sancti ac robur, ut Christianus audacter Christi nomen confiteatur. Ordinarius vero Confirmationis Minister est Episcopus.

7. Verum Christi Corpus in Sacramento Altaris, totusque Christus sub specie tam panis quam vini realiter continetur, transsubstantiatis pane in Corpus Christi, vino in sanguinem, virtute divina.

8. Eucharistia non solum Sacramentum est et cibus animae spiritualis, sed etiam novae Legis Sacrificium, quod in memoriam passionis Christi pro vivis et defunctis offertur.

9. Est autem in hoc Sacramento Christus cultu latriae, qui vero deo debetur, adorandus.

10. Laici sub sola panis specie integrum Christi Corpus et Sanguinem, totum Christum veraciter sumunt, divinoque praecepto satisfaciunt.

11. Sacramentum Poenitentiae lapsis post Baptismum est ad salutem necessarium. Huius vero tres sunt partes, cordis contritio, oris sacerdoti iurisdictionem habenti integra peccatorum confessio, et ad arbitrium eiusdem sacerdotis satisfactio.

12. Si vero poenitentes in Dei charitate decesserint, entequam dignis poenitentiae fructibus de peccatis commissis et omissis satisfecerint, eorum animae poenis Purgatorii purgantur, et, ut a poenis huiusmodi releventur, prosunt eis vivorum fidelium suffragia, missarum scilicet sacrificial, orationes, et eleemosynae, et alia pietatis opera et official,

et indulgentiae, secundum Sanctae Romanae Ecclesiae et Apostolicae instituta.

13. Sacramento Extremae Unctionis aegrotimens sanatur, corpus etiam, in quantum expedit.

14. In Sacramento Ordinis huiusmodi traditur spiritualis potestas, quam nemo habet, nisi is, cui hoc sacramentum ab episcopo, iuxta Sanctae Romanae Ecclesiae ritum, quo ad essentialia collatum est.

15. Quae ad Ordinis spectant potestatem, aequae mali ac boni Sacerdotes administrant, atquae vim, quae ad iurisdictionem attinet, quamdiu illis non fuerit abrogata.

16. Matrimonii vinculum si legitime contractum fuerit et consummatum, nullis de causis dirimi potest.

17. Votum castitatis Sacris Ordinibus coniunctum, atque vota, quae in probatis religionibus emittuntur, et alias quaecunque rite suscepta fideliter sunt observanda.

18. Peccata non accidunt volente, vel efficiente Deo, sed permittente, id est non impediente, quo minus fiant, quare peccati culpa libero hominis arbitrio attribuenda est, quod primi parentis inobedientia non extinctum, sed viribus attenuatum et inclinatum est. Dei autem gratia praevenitur, a peccatis liberator, sanatur, et ut mandata servare possimus, adiuvatur itaque sanato libero arbitrio per gratiam Dei, et merita Christi, opera vitae aeternae meritoria homo iustificatus operatur.

19. Ad impii iustificationem requiritur Dei praeveniens gratia, et liberi arbitrii motus in Deum per actum fidei, et spei, et dilectionis Dei inchoationem, et detestationem peccati, ac propositum suscipiendi Baptismum, et pie vivendi. Ad infantium vero iustificationem sola Baptismi legitima susceptio sufficit.

20. Ad lapsorum autem post Baptismum iustificationem necesse est, ut excitante Deo procuret peccator, amissam gratiam per poenitentiae Sacramentum recuperare. Caeterum, qui iustificantur, non modo reputantur, sed vere nominantur iusti, et sunt, iustitiam in se unusquisque suam recipients,

dum per Spiritum Sanctum in cordibus eorum charitas Christi diffunditur, atque ipsi inhaeret.

21. Virgo Dei Genitrix, angeli et sancti religiose coli debent, et invocari, ut eorum meritis et precibus iuvemur.

22. Crux Christi, et imagines, ac quaecumque attigerunt, adoranda sunt, iuxta Ecclesiae Catholicae doctrinam et fidem.

23. Deiparae Virginis Mariae, angelorum et sanctorum sunt imagines adorandae tum corpora et reliquiae quaevis.

24. Sanctorum memoriae praeterea, et vigiliae, et dies festi, Christo, Virgini Matri, et angelis et sanctis dedicati, religiose colendi sunt.

25. Ieiunium quadragesimae, alia ieiunia, et aliae abstinentiae a cibis, quae Ecclesia observare praecepit, reverenter sunt observanda.

26. Ceremoniae, ritus, et mores omnes ab Ecclesia recepti et probati, qui vel ad divina officia, vel ad alia quaevis munia ecclesiastica adhibentur, observari debent.

27. Constitutiones Ecclesiae, canones, sanctiones, poenae, decreta, sive ad ecclesiasticam pietatem et morum compositionem attineant, sive ad disciplinam et morum emendationem malorumque depulsionem, quae vel a summo pontifice, vel a conciliis, vel a quavis legitima auctoritate proficiscuntur, et suscipi reverenter, et fideliter servari debent.

28. Postremo, quod attinet ad huius aetatis atque omnium temporum, ab haereticis ortas, vel suscitatas in dogmatibus divinis atque ecclesiasticis controversias et perversas doctrinas, illud tenemus, credimus, et confitemur, quod Sancta Romana Ecclesia tenet, credit et confitetur.

29. Anathema omnibus omnium temporum Haereticis atque haeresibus, nominatim vero huius aetatis Haeresiarchis, Luthero, Oecolampadio, Zuinglio, Rothmano, Calvino, eorumque sequacibus, aliisque omnibus haereticis,

quascunque in sectas dissecti sint, vel quovis nomine censeantur, universis et eorum haeresibus anathema.

Professio Fidei Reverendissimi Domini Abd Isu

Patriarchae Assyriorum Orientalium

Abd'Isu

1562

Pius PP IV

Ego *Abd Isu filius Ioannis de domo Martia ex Civitate Cezirae in Tigri flumine, olim monachus ordinis sancti Antonii, monasterii sanctorum Rahae et Ioannis fratrum, electus primas sive Patriarcha Civitatis Muzal in Assyris Orientali*, iuro quod ita corde credo et ore confiteor, sanctaequae Romanae Ecclesiae fidem, approbatis omnibus et singulis illis, quae ipsa approbat, et damnatis similiter omnibus, quae ipsa damnat, amplector, et perpetuo me amplexurum, et retenturum esse profiteor, et prommitto, et omnes fratres meos metropolitas sive episcopos, ac diocesanos quovis modo meae iurisdictioni subiectos, ita credendum et tenendum esse docebo, et modis omnibus, quibus potero, persuadere conabor, ita me Deus adiuvet et haec sancta Dei evangelia. *In quorum omnium fidem hanc meae fidei professionem, et attestationem manu mea scripsi, et subscripsi coram Reverendissimis et Illustrissimis Dominis, Domino Michaele tituli Sanctae Sabinae Alexandrino et Domino Marco Antonio tituli Sancti Marcelli Amulio, vulgariter nuncupatis Sanctae Romanae Ecclesiae Presbyteris Cardinalibus.*

Formula Iuramenti Promovendorum in Episcopos

Magistratuum et Iudicum ac Testium

Council of Trent

10 May 1563

Pius PP IV

1. Credimus utriusque Testamenti scripturas divinitus esse inspiratas, et eas omnes recipimus quas Ecclesia canonicas esse iudicat.

2. Agnoscimus unam sanctam catholicam et apostolicam ecclesiam, sub uno summo Pontifico Romano, Christi vicario, eiusque fidem et doctrinam constantissime tenemus et amplectimur, cum a Spiritu sancto directa, errare non possit.

3. Conciliorum oecumenicorum certam et indubitatem auctoritatem veneramur, et quae semel ab illis sancita fuerunt, in dubium non revocamus.

4. Traditiones ecclesiasticas velut per manus acceptas, et ut sacrum depositum constanti fide custodiendas esse, credimus.

5. Orthodoxorum patrum sensum et consensum sequendum esse.

6. Constitutionibus et praeceptis matris Ecclesiae ea, qua decet, reverentia parendum.

7. Ecclesiasticorum sacramentorum septenarium numerum, Baptismi scilicet, Confirmationis, Ordinis, Poenitentiae et absolutionis, Sacerdotalis, corporis et sanguinis Domini nostri Iesu Christi, Matrimonii et Extremae Unctionis, eorumque usum, virtutem et fructum, sicut hactenus catholica docuit ecclesia, firmiter credimus et confitemur.

8. In primis vero firma fide credimus et confitemur, in augustissimo Sacramento Altaris verum corpus et sanguinem Iesu Christi esse realiter et substantialiter sub speciebus panis et vini, virtute et potentia divini verbi prolati a Sacerdote, solo ministro ad hunc effectum ordinato, iuxta institutionem et mandatum Domini nostri Iesu Christi, eademque pie in venerabili et sacrosancta missa Deo offerri pro vivis et mortuis in remissionem peccatorum profitemur.

9. Omnia denique, quae a maioribus pie, sancta, ac religiose ad nos usque observata sunt, firmissime retinemus, nosque ab illis dimoveri nullatenus patiemur.

10. Contra vero omnem dogmatum novitatem, tamquam perniciosum venenum refugimus et aversamur, ab omni schismate cavemus, et omnem haeresim detestamur, sancteque pollicemur, nos adversus haereticos quoscumque promte et fideliter ecclesiae adfuturos.

11. Voluit et statuit haec sancta synodus, ut ante examen ista confessio exigatur a designatia episcopis, abbatibus, prioribus et curatis, priusquam confirmentur, aut iis provideatur.

Forma Professionis Orthodoxae Fidei

Pius PP IV

13 November 1564

Pius PP IV

Ego N. firma fide credo et profiteor omnia et singula, quae continentur in symbolo, quo sancta Romana ecclesia utitur, videlicet,

Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem caeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia saecula. Deum de Deo, Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de caelis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria virgine, et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est, et resurrexit tertia die, secundum scripturas, et ascendit in caelum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria, iudicare vivos et mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum, Dominum et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur, qui locutus est per prophetas. Et

unam, sanctam, catholicam et apostolicam ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum, et vitam venturi saeculi. Amen.

Apostolicas et ecclesiasticas traditiones reliquasque eiusdem ecclesiae observationes et constitutiones firmissime admitto et amplector.

Item sacram scripturam iuxta eum sensum, quem tenuit et tenet sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione sacrarum scripturarum, admitto, nec eam umquam nisi iuxta unanimem consensum patrum, accipiam et interpretabor.

Profiteor quoque septem esse vere et proprie sacramenta novae legis a Iesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis, necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Paenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium, illaque gratiam conferre, et ex his Baptismum, Confirmationem et Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque et approbatos ecclesiae catholicae ritus in supradictorum omnium sacramentorum solemni administratione recipio et admitto.

Omnia et singula, quae de peccato originali et de iustificatione in sacrosancta Tridentina Synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio.

Profiteor pariter, in missa offerri Deo verum, proprium et propitiatorium sacrificium pro vivis et defunctis. Atque in sanctissimo Eucharistiae Sacramento esse vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem, una cum anima et divinitate Domini nostri Iesu Christi, fierique conversionem totius substantiae panis in corpus ac totius substantiae vini in sanguinem, quam conversionem ecclesia catholica transubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum verumque sacramentum sumi.

Constanter teneo, purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis iuvari. Similiter et sanctos, una cum Christo regnantes, venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas. Firmiter assero, imagines Christi ac Deiparae semper virginis, necnon aliorum sanctorum habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem et venerationem impertiendam.

Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse affirmo.

Sanctam, catholicam et apostolicam Romanam ecclesiam omnium ecclesiarum matrem et magistram agnosco, Romanoque Pontifici, Beati Petri apostolorum principis successori, ac Iesu Christi vicario, veram oboedientiam spondeo ac iuro.

Cetera item omnia a sacris canonibus et oecumenicis conciliis, ac praecipue a sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, et declarata, indubitanter recipio ac profiteor, simulque contraria omnia, atque haereses quascumque ab ecclesia damnatas et reiectas et anathematizatas ego pariter damno, reicio, et anathematizo.

Hanc veram catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor et veraciter teneo, eandem integram, et immaculatam usque ad extremum vitae spiritum, constantissime, Deo adiuvante, retinere et confiteri, atque a meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri et praedicari, quantum in me erit, curaturum, ego

idem N. spondeo, voveo ac iuro. Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei evangelia.

Professionis Fidei Formula a Metropolitano Remesiensis

Council of Rheims

29 November 1564

Pius PP IV

Ante omnia credimus et confitemur canonicas utriusque testamenti scripturas sacrosanctas esse, et divinitus inspiratas, itidem articulos fidei in Apostolorum ac Nicaeni et Constantinopolitani primi symbolis contentos, nec non omnia quae de fide superioribus oecumenicis conciliis, et novissime in sancta generali synodo Tridentina sunt definita, firmissima fide complectimur et tenemus. Sacrorum vero librorum canonem eum agnoscimus et credimus, quem eadem sancta synodus declaravit et confirmavit, nec ad illorum interpretationem privatae innitimur prudentiae, sed eum sensum et expositionem retinemus, quam unanimis consensus partum, et communis ecclesiae catholicae usus docuit ac tradidit. Traditiones sine scripto ab Apostolis acceptas, et continua successione in ecclesia catholica conservatas, tamquam vel ore tenus a Christo, vel a Spiritu Sancto dictatas, suscipimus et veneramur. Insuper de septem ecclesiae sacramentis, in primis autem de augustissimo Eucharistiae sacramento, et Missae sacrificio, ceterique dogmatibus adversus haereses iis temporibus exortas, sentimus et credimus, cum eadem sancta synodo damnates

et detestantes omnem haeresim, quam eadem sancta synodus damnavit et anathematizavit. Postremo sanctam Romanam caholicam ecclesiam omnium ecclesiarum matrem agnoscimus, et beatissimo Papae nostro domino *Pio Quarto* Pontifici Maximo eiusque successoribus debitam in Christo obedientiam exhibemus et exhibendam profitemur.

Professio Fidei Abgarus Tokhatetsi

Abgar Tokhatetsi

10 November 1565

Pius PP V

Credimus Patrem ingenitum esse, et Filium genitum, et Spiritum Sanctum ex utroque per modum unius principii procedentem, et hos tres unum esse Deum. Credimus Mariam Matrem Dei esse Virginem ante partum et post partum. Credimus etiam Christum assumpta humanitate omnia miracula fecisse. Credimus Mariae Salutationem, Christi Nativitatem, Praesentationem in templo, Baptismum, Transfigurationem, Crucifixionem, triduanam sepulturam, Resurrectionem, Ascensionem. Credimus sedere eum ad dextram Patris et iterum venturum. Credimus etiam Eum totam humanam naturam, praeter peccatum, perfecte nascendo sumpsisse. Haec quidem omnium nostrum est fides.

Habemus libros Veteris et Novi testamenti septuaginta duos, Prophetas omnes, centum quinquaginta Psalmos, Evangelia quatuor, Epistolas Petri duas, Ioannis et Iacobi libros, Epistolas Pauli quatuordecim.

Habemus etiam septem sacramenta Ecclesiae. Scimus septem esse peccata mortalia. Inter Prophetas maiorem esse dicimus Moysen. Habemus duodecim Apostolos, et septuaginta duos discipulos, quibus omnibus Petrum esse maiorem confitemur.

Credimus, si quis confitetur peccata sua sacerdoti, eum absolvi, et ligari auctoritate clavium. Concilia nulla habemus praeter haec tria, videlicet Nicaenum, Constantinopolitanum, et Ephesinum. Recitamus singulis diebus Symbolum Nicaenum. Tenemus Missam, quam Sanctus Gregorius nos docuit. In Sacrificio Altaris fermento et aqua non utimur. In uno eodemque altari bis uno die non celebramus.

Omnes Monachi nostri sunt casti, ac virgines, et nunquam ducunt uxores, clerici vero non regulares ducunt, et postea sacerdotes fiunt. Monachi vero nostri authoritatem baptizandi non habent, neque possunt praesente sacerdote dare matrimonium populo.

Centum ac quinquaginta quinque diebus in quolibet anno ieiunamus, abstinentes etiam a piscibus et lacticiniis. Aliis etiam infra annum quinque diebus ieiunium habemus, in quibus ova et lacticinia comedimus. Nullo die dominico totius anni alicuius sancti,

vel sanctae festivitate memoriam facimus, nisi de Domino nostro tantum.

In festivitate Epiphaniae Domini concordes sumus cum Ecclesia Romana, in Nativitate vero minime. Sabbato sancto post solis occasum ova et pisces tantum comedimus. Omnes sub utraque specie communicamus.

Primam et secundam copulam matrimonii benedicimus, ac coronamus, tertiam vero minime. Post septimum gradum matrimonium contrahimus. Compatres nostri inter se non contrahunt matrimonium, nisi post quartum gradum.

Oramus et sacrificamus ad Orientem conversi, et cum genua flectimus, terram osculamur. Septem horas canonicas habemus, quas bis in die in Ecclesiis recitamus.

Haec est fides, confessio, ieiunium, et oratio omnium nostrum, quae hoc tempore, et in captivitate atque igne, inter tam multas angustias parva sunt. Nam si palam coram infidelibus dixerimus Christum Deum verum esse, in ignem nos mittunt. Si vero Deus voluerit, ut liberemur ab hac captivitate, quidquid praeceperis, erit in nostro capite, in praesenti enim tempore non est nobis, neque

gladius, neque baculum. Si quem voluerimus corrigere ex nostris praevaricatoribus, et ad observantiam fidei cogere, is indignatus infidelis efficitur. Ob id igitur humiliter supplicamus Tuae sanctitati, ut nostri miserearis. Tu quidem quatuor partium mundi Pontifex Maximus est, quidquid tu solveris erit solutum, et quidquid ligaveris ligatum erit, ne quaesumus respicias delicta et peccata captivorum, sed absolve nos, et numera in gregibus tuis fidelibus, vetus pactum, devotionem et obedientiam erga S. Romanam Ecclesiam renovantes, nos enim sumus Sanctitatis tuae servi inutiles, ut Propheta ait, non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

Pro defunctis Missam celebramus, Deum oramus, et eleemosynam facimus, bona autem stabilia Ecclesiis pro animabus nostris relinquimus. Ter in anno Commemorationem pro defunctis in Ecclesiis facimus sacrificia immolantes, eleemosynas facientes, cibum potumque hominibus Ecclesiasticis, ac pauperibus erogantes.

Omnium Sanctorum Reliquias veneramur, deque eorum reliquiis in crucibus, et in nonnullis vasis pretiosis, impositis in altaribus, venerabiliter ponimus. Cruces benedictas valde veneramur, et in altaribus superponimus. Imagines quoque tantum benedictas veneramur, et eas etiam in altaribus ponimus. Bis in anno crucem, et imagines sacerdotes nostri et viri ecclesiastici portant domos, ut

imbecilles et infirmi, qui ad Ecclesias propter senectutem, aut aegritudinem venire non possunt, eas venerentur religiose, et osculentur, hae autem imagines et cruces crebro apud nos miracula faciunt.

Hoc autem tenemus de delinquentibus, ligatis, seu excomunicatis, quod si quis Sacerdos, Episcopus, Archiepiscopus vel Catholicos aliquem delinquentem ligaverit seu excomunicaverit, et defunctus fuerit non absoluto delinquente, quem vivens ligaverat, hunc qui ligatus aut excomunicatus fuit, nullus successor eorum qui delinquentem ligaverit seu excomunicaverit, nisi solus summus Pontifex Romanus, ad quem secundum canonem nostrum mittimus hunc flentem, quem poenitet delicti sui, cum litteris, quibus excomunicatus fuit, ad absolvendum, et ad scindendas huiusmodi litteras. Tibi enim soli licet eum absolvere, et scissis litteris, quibus est ligatus, ad Ecclesiam nostram remittere per doctrinam Sancti Gregorii Patriarchae nostri.

Nos omnes credimus, quidquid Sancta Catholica et Apostolica Ecclesia credit, et quidquid ipsa anathematizat, nos quoque anathematizamus.

Tenemus, quod hominis Christiani, qui nolens confiteri peccata sua et agere poenitentiam mortuus fuerit, anima in manus diaboli eat, qui confessus poenitentiam egerit, eius defuncti anima in caelum evolat, qui vero confessus fuerit, et quum Eucharistiam acceperit, defunctus fuerit absque satisfactione poenitentiae, illius parentes, consanguinei et amici, eleemosynis, sacrificiis, orationibus, ac aliis piis operibus, possunt animam illius eripere, si in Purgatorio versetur.

Primum quidem Patriarcham nostrum fuisse dicimus Sanctum Gregorium, qui primus venit Urbem Romam, quem Sanctus Silvester benedixit ac consecravit, tempore Constantini Imperatoris, et Regis nostri Tiridatis.

Item confitemur Christum dixisse Sancto Petro Apostolo, Pasce oves meas, pro quo etiam orasse, ne unquam deficeret fides sua, qui autem ex nobis non confitetur Sedem Petri esse maiorem, ac Dominum Pontificem Romanum caput ac pastorem esse totius mundi, claviumque possessorem, is Evangelia, et Hierusalem et Sedem Gregorianam Ecimiazin negat.

Parce Beatissime Pater, mihi peccatori, qui ita breviter fidem Armenorum scriptis, et paucis verbis, praedictos septuaginta et duos

libros nominavi, quia nunquam decet lucernam ponere ante solem, quia tu es sapiens, omniaque sciens. Scripta igitur est fides Armenorum paucis verbis propter lectorem, per manum Abgari et Alexandri presbyteri Armeni, Ioanne Baptista Indo interprete, in magna Urbe Roma. Tempore Pontificatus S. D. N. Papae Pii IV anno a Nativitate Domini Nostri Iesu Christi MDLXV, decima die mensis Novembris, die vero quarta feria.

Professio Fidei Synodus Provincialis Cameracensis

Council of Cambrai

5 August 1565

Pius PP IV

Credimus et confitemur omnes utriusque Testamenti Canonicas scripturas, quas Spiritu sancto auctore divinitus traditas esse profitemur, sed et ea omnia, quae symbolis in Ecclesia receptis comprehenduntur, nempe Apostolico, et eo, quo sancta Ecclesia Romana atque Catholica publice utitur, nempe Credo, et cetera. His inquam symbolis comprehensa, et quaecumque praeterea de fide, et doctrina a sacris oecumenicis Conciliis sunt definita, et tradita, maximeque a sancto generali Tridentino Concilio, nulla haesitatione complectimur. Sensum vero canonicarum scripturarum omnium eum esse verum, et germanum credimus, non quem hominum, sibi stulte sapientium, vanitas intulerit, sed quem Doctorum, ac Patrum consensus, ususque sanctae matris Ecclesiae docuit, ac tradidit.

Traditiones ab Apostolis verbo, et usu traditas, receptasque, ac conservatas ab Ecclesia perpetuis temporibus, tametsi eas litteris non mandaverint, tamen eas omnes ut ab ipsius Christi ore per Apostolos acceptas, aut ab ipsis Apostolis Spiritu sancto dictante possitas agnoscimus, et suscipimus.

Septem Ecclesiae Sacramenta, quaeque de ipsis idem sanctum Concilium Tridentinum mandavit, ac tradidit, ea omnia firmissime tenemus. Quaecumque vero statuit adversus omnes huius saeculi haereses, ea omnia recipimus, simulque detestamur, et anathematizamus quidquid idem sanctum Concilium Tridentinum anathemate damnat et detestatur.

Fidei Orthodoxae Brevis et Explicata Confessio,

quam Sacrosancta Romana Ecclesia Docet

et Iis Maxime Proponendam, Edit,

Quicunque ab Orientalium Errore,

ad Catholicae Veritatis Communionem Accedere,

et Romano Pontifici Praestare Obidientiam Statuunt

Roman Curia

1566

Pius PP V

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Ego N. credo ex corde, et confiteor ore, quod unus solus est Deus, verus, omnipotens, incommutabilis, incomprehensibilis, ineffabilis, et aeternus, Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus, unus in essentia, trinus in personis, Pater ingenitus, Filius a solo Patre genitus, Spiritus Sanctus a Patre Filioque procedens, non sicut a duobus principiis, sed ab utroque tanquam ab uno principio. Pater non est Filius, aut Spiritus Sanctus, Filius non est Pater, aut Spiritus Sanctus, Spiritus Sanctus non est Pater, aut Filius, sed Pater, tantum Pater est, Filius, tantum Filius est, et Spiritus Sanctus, tantum Spiritus Sanctus est. Nullus alium aut praecedit aeternitate, aut excedit magnitudine, aut superat potestate, absque initio semper est, et

sine fine. Pater est generans, Filius nascens, Spiritus Sanctus procedens, consubstantiales, coaequales, coomnipotentes, et coaeterni. Haec tres Personae sunt unus Deus, non tres Dii, una substantia, una essentia, una immensitas, unum principium, unus Creator visibilium omnium, et invisibilium, corporalium, et spiritualium, qui quando voluit, universas condidit creaturas sua bonitate, quas et valde bonas voluit, ideo reprobo, et anathematizo omnes haereses, et haereticos sentientes, et docentes contraria.

Firmiter etiam credo, et profiteor, quod unigentus Dei Filius Patri consubstantialis, semper cum Patre et Spiritu Sancto existens, in plenitudine temporis quam Divinae misericordiae consilium inscrutabile disposuit, ut nos a peccato Adae ac caeterarum culparum nostrarum fordibus mundaret, et a morte, et Inferno liberaret, incarnatus est de Spiritu Sancto, in immaculato utero Mariae semper virginis, veram et integram hominis naturam assumpsit, corpus videlicet et animam rationalem in unitate personae Divinae, tanta unitate, ut unus, et idem Christus sit Deus, et Homo, Dei Filius, et hominis Filius, ita quod una natura non confunditur ab altera, nec una transit in alteram, nec una miscetur alteri, nec altera evanescit, sed in persona omnino una sunt duae naturae perfectae, scilicet divina, et humana, salvis earundem naturarum proprietatibus, duae voluntates, duae operationes, ita,

ut Christus tantum unus. Et sicut formam Servi Dei forma non adimit, ita formam Dei Servi forma non minuit. Qui enim verus Deus est, idem verus est homo. Deus per id, quod in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum, Homo per id, quod et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, Deus per id, quod de quinque panibus, quinque millia hominum satiavit, quod Samaritanae aquam salientem in vitam aeternam promisit, quod Lazarum quatriduanum a mortuis resuscitavit, Homo per id, quod esurivit, sitivit, fatigatus est, et in ligno clavis transfixus est, unus et idem secundum Divinitatem, aequalis Aeterno Patri, immortalis, impassibilis, secundum vero humanitatem minor Patre, mortalis, et passibilis.

Insuper firmiter credo, et praedico, eundem Dei Filium incarnatum, vere natum esse ex Maria semper Virgine, et ideo ipsam Virginem fateor Dei Matrem, atque Genitricem. Item vere passum, vere mortuum, et sepultum, vere cum anima descendisse ad Infernos ad liberandum Patres, et ad ligandum insatiabilem homicidam, deinde vere ex mortuis resurrexisse, et per quadraginta dies Apostolos docuisse de regno Dei, moxque ad caelos ascendisse, sedereque ad dexteram Patris, et venturum in fine Saeculorum ad iudicandum vivos, et mortuos.

Credo, et profiteor nullum unquam hominem ex semine Adae conceptum et natum, fuisse salvatum, aut fore salvandum, nisi per fidem Mediatoris Dei et hominum Domini nostri Iesu Christi, in sanguine et morte ipsius, qua nos reconciliavit aeterno Patri, et delevit Chirographum iniquitatum nostrarum, aeterna redemptione inventa.

Item firmiter credo, legalia omnia Veteris Testamenti, seu Mosaicae Legis, quia Christum figurabant, licet Divino cultui illa aetate congruerent, ipso adveniente cessasse, et iam promulgato Evangelio servari non posse sine interitu salutis aeternae.

Omnes igitur post illud tempus Circumcisionis, Sabbati, ciborum eadem lege prohibitorum, reliquorumque, legalium observationes alienos a fide denuntio, et salutis aeternae non posse esse participes, nisi aliquando ab his erroribus resipiscant, ab his enim omnibus liberavit nos Christus, et septem Novae Legis Sacramenta instituit, quae veneror, credo, et profiteor, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Ordinem, Matrimonium, et Extremam Unctionem, quae omnia nobis gratiam Dei conferunt ex virtute passionis Domini Nostri Iesu Christi, ea sumentibus applicant, Ita septem Sacramenta persiciuntur tribus, verbo videlicet, et rebus, ac ministro. Rebus ut materia, verbis ut

forma, ministro qui facere intendat, quod facit Ecclesia. Recipio insuper quicquid de eisdem Sacramentis Sancta et Catholica Ecclesia Romana docet et praedicat.

Credo si vere poenitentes in Dei charitate decesserint, antequam dignis poenitentiae fructibus de commissorum, et omissorum poenis satisfecerint, eorum coram iustitia Divina eorum animas poenis Purgatorii post mortem purgari, utque a poenis huiusmodi releventur prodesse eis fidelium vivorum suffragia, Missarum scilicet Sacrificia, Orationes, et Eleemosynas, ac alia pietatis officia, quae a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt, secundum Ecclesiae instituta.

Illorumque animas, qui post Baptismum susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illaque, quae post contractam peccati maculam, ut dictum est, purgatae sunt, mox in caelum recipi, et intueri clare ipsum Deum trinum et unum, sicuti est, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius.

Illorum vero animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in Infernum descendere, poenis tamen disparibus perpetuo puniendas.

Firmiter etiam teneo, et credo Symbolum fidei a trecentis, et decem et octo Patribus Concilii Nicaeni acceptatum, et usque in haec tempora servatum in Ecclesia, in hac forma. Credo in unum Deum Patrem Omnipotentem, Factorem caeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei unigenitum, Et ex Patre natum ante omnia saecula, Deum de Deo, Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero, genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt, qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de caelis, et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria virgine, et homo factus est, qui conceptus, et natus, crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum scripturas, et ascendit in caelum, sedet ad dexteram Patris, et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos et mortuos, cuius regni non erit finis. Et in unum Spiritum Sanctum, Spiritum veritatis, Dominum vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit, qui cum Patre et Filio simul adoratur, et conglorificatur, qui locutus est per prophetas et apostolos. Et unam sanctam Catholicam et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum, et expecto resurrectionem mortuorum, et vitam venturi saeculi. Amen.

Confiteor, teneo, et praedico unum eundemque Deum Veteris et Novi Testamenti, hoc est, Legis, et Prophetarum atque Evangelii

authorem esse, quoniam eodem Spiritu Sancto inspirante utriusque testamenti sancti loquuti sunt. Itaque suscipio omnes libros canonicos, quos suscipit Sacrosancta Romana et Catholica Ecclesia, quorum tituli sunt hic, videlicet, quinque Libri Moysis, id est Liber Genesis, Exodi, Levitici, Numerorum, Deuteronomii, Iosue, Iudicum, Ruth, quatuor Libri Regum, duo Paralipomenon, Esdrae duo, primus et secundus, qui vocatur Nehemias, Tobiae, Iudith, Iob, Psalmorum David, Liber Proverbiorum, Ecclesiastis, et Cantici Canticorum, Sapientiae, Ecclesiastici, Esther, Isaiae, Hieremiae, Baruch, Ezechielis, Danielis. Teneo etiam libros duodecim Prophetarum Minorum, Hoseae, Ioelis, Amos, Abdiae, Ionae, Michae, Nahum, Habacuch, Sophoniae, Haggaei, Zachariae, Malachiae, et duos libros Machabaeorum. Etiam teneo quatuor Libros Evangeliorum Matthaei, Marci, Lucae, et Ioannis. Accepto quatuordecim Epistolas divi Pauli, unam ad Romanos, ad Corinthios duas, ad Galatas unam, ad Ephesios unam, ad Philippenses unam, ad Colossenses unam, ad Thessalonicenses duas, ad Timotheum duas, ad Titum unam, ad Philemonem unam, ad Hebraeos unam. Item suscipio Epistolam Iacobi unam, Petri duas, Ioannis Apostoli tres, Iudae unam, Librum Actuum Apostolorum, et Apocalypsim Ioannis Apostoli.

Item amplector, suscipio, et approbo Sanctam Nicaenam Synodum trecentorum decem et octo Patrum, et profiteor ac sequor quicquid

illa decrevit, et reprobo, ac damno, quicquid illa damnavit, et maxime impiam haeresim Arrianam, cum ipso authore Arrio.

Item amplector, suscipio, et approbo Constantinopolitanam Synodum primam, centum et quinquaginta Patrum, credo quicquid illa decrevit, et reprobo quicquid illa reprobavit, et maxime impiam haeresim Macedonii, cum ipso authore.

Item suscipio, amplector, et approbo primam Ephesinam Synodum ducentorum Patrum, et credo quicquid illa decrevit, et reprobo quicquid illa reprobavit, et maxime haeresim Nestorianam, cum authore Nestorio.

Praetera suscipio, amplector, et approbo Sanctam Synodum Chalcedonensem sexcentorum triginta Patrum, quartam in ordine generalium Synodorum, et credo ac sequor quicquid illa decrevit, et reprobo et damno quicquid illa reprobavit, et maxime impiam haeresim Euthicetis, et Dioscori, et reprobo secundam Ephesinam Synodum.

Praetera suscipio, approbo, et amplector, quaecunque aliae concilia, quae recipit, et approbat Sacrosancta et Catholica Ecclesia Romana, ac damno, et reprobo omnes haereses, et authores earundem, quas

et quos reprobat, et damnat dicta Sancta et Catholica Romana Ecclesia, nec non quicquid tenet et docet Sancta Sedes Apostolica, et Romana, ac Catholica Ecclesia, cum omni devotione, et reverentia suscipio, et accepto illos quoque Doctores, et Sanctos, quos Ecclesia Romana approbat.

Reverenter suscipio, teneo, et confiteor Sanctam Apostolicam Sedem, et Romanum Pontificem in universum orbem tenere principatum, et ipsum Romanum Pontificem successorem esse Petri Principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae esse caput, et omnium Christianorum patrem ac doctorem existere, et ipsi in Beato Petro pascendi, regendi, et gubernandi, universalem Ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse. Cuius Ecclesiae unitatem, et congregationem tam valde credo, ut nullos extra dictam Ecclesiam Catholicam existentes, aeternae vitae participes fieri posse confitear.

Insuper promitto me tanquam obedientiae filium ordinationibus, praeceptis, censuris, ac iussionibus Papae N. et successorum eius Romanorum Pontificum canonice intrantium, et Sedi Apostolicae fideliter, et semper obtemperaturum.

Ita Deus me adiuvet, et sancta Dei Evangelia, et Deus testis est mihi, quod corde credo, et confiteor ore hanc confessionem fidei meae sinceram, et veram, quam manu propria subscripsi, et humiliter Patri Sanctissimo N. Pontifici Maximo ad pedes eius prostratus, obtuli, die D. mensis M. anni A..

Ego indignus N. hanc fidem, propria manu subscripsi, Romae apud Sanctum N. Anno incarnationis Domini A. Pontificatus autem Domini nostri Papae N. Anno A..

Professio Fidei Synodi Sipontinae

Council of Siponto

January 1567

Pius PP V

Credimus et confitemur omnes utriusque testamenti Canonicas scripturas a Spiritu Sancto esse divinitus inspiratas. Itidem credimus et confitemur ea omnia, quae in Symbolis ab Ecclesia receptis comprehenduntur. Ea quoque omnia, quae de fide, et doctrina a Sacris Conciliis Oecumenicis, et novissime a Sancta generali Synodo Tridentina sunt definita, nulla haesitatione amplectimur, et tenemus. Sacrorum vero librorum eum tantummodo sensum pro vero, atque indubitato, agnoscimus, et tenemus, quem eadem Sancta Tridentina Synodus declaravit, et confirmavit, et communis Catholicae Ecclesiae usus docuit, et tradidit.

Traditiones oretenus ab Apostolis emanatas, et continua successione in Ecclesia Catholica receptas, et conservatas, tamquam ab ipsius Christi ore, vel a Spiritu Sancto dictatas, suscipimus, et veneramur.

Septem quoque Ecclesiae Sacramenta, quaeque de ipsis eadem Sancta Synodus Tridentina mandavit, ac tradidit, firmissime

tenemus, ac caetera dogmata adversus omnes saeculi huius haereses cum eadem Sancta Synodo sentimus, et credimus, damnantes, et anathematizantes quascumque haereses eadem sancta Synodus damnavit, et anathematizavit.

Sanctae demum Apostolicae Ecclesiae Romanae, tamquam omnium Ecclesiarum Matri, ac Beatissimo Domino nostro Pio Quinto Pontifici Maximo debitam subiectionem, atque obedientiam exhibemus, et iuramus.

Professione Fidei Catholicae Concilia Salisburgensia

Council of Salzburg

14 March 1569

Pius PP V

Ego N. omnia et singula, quae in sacrosancta universalibus Synodis, praesertim Tridentina, definita et statuta sunt, palam accepto, nec non veram obedientiam Summo Pontifici Romano spondeo et profiteor, simulque haereses omnes a sacris canonibus, et generalibus conciliis, praesertim a praedicta Synodo Tridentina damnatas, publice detestor et anathematizo.

Professio Fidei Jean de Gorris

Jean de Gorris

1572

Gregorius PP XIII

Ego N. credo in unum Deum patrem omnipotentem et in Iesum Christum filium eius unicum, dominum nostrum qui conceptus est de spiritu sancto, natus ex Maria virgine, et in spiritum sanctum qui ex patro filioque procedit.

Certa quoque et firma fide credo unam sanctam catholicam et apostolicam ecclesiam in terris, quae in fide et mores errare non potest, cui omnes obedire tenentur, cuius summus pontifex romanus est caput visibile et Christi vicarius, qui potestatem habet ligandi, solvendi, excommunicandi et indulgentias conferendi, extra quam non est salus.

Ecclesiae praecepta de audienda missa diebus dominicis et festis et horum dierum observatione, et confessione vocali sacerdoti facienda, de corporis Christi perceptione, semel saltem in anno, de ieiuniis quadragesimae et aliorum dierum, de ciborum delectu et abstinentia, et quaecumque ab eadem sunt tradita et sacrosanctis

conciliis definita esse observanda sub peccati poena ingenui confiteor.

Credo humiliter et ore profiteor septem esse sacramenta ad nostram salutem a Christo instituta, Baptismum qui unus est et parvulis ad peccati deletionem et spiritualem regenerationem necessarius, Confirmationem quam soli episcopi administrant ad fidei robur et gratiae augmentum, Poenitentiam quae in contritione peccatorum, confessione sacramentorum et satisfactione consistit, Eucharistiam cuius perceptio sub utraque specie laicis non est necessaria, et sub una integrum ut verum Christi corpus et sanguinem contineat, sacrum Ordinem, Matrimonium et Extremam Unctionem.

Firmiter etiam credo nos sanctorum auxilio iuvari, quos non solum imitari sed et venerari atque orare valde est utile. Neque minus fide teneo missae sacrificium, piorum videntium supplicationes, orationes, elemosinas, ad sanctas peregrinationes, ac caetera pietatis opera, tam nobis quam mortuorum animabus, in purgatorio plurimum prodesse. Sicut non dubito sed constanti fide affirmo statum illud vitae quem religionem monasticam professi sequuntur deo gratam esse. Detestor denique omnem haeresim, praecipue lutheranorum et calvinistarum, quos et illorum sectatores externo

anathemate dignos esse credo et illa per hoc sacrosanctum Christi evangelium quod manu tango iuro.

Professio Orthodoxae Fidei a Graecis Emittenda

Roman Curia

1575

Gregorius PP XIII

Ego N. firma fide credo et profiteor omnia et singula quae continentur in Symbolo fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet,

Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem caeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia saecula, Deum de Deo, Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero, genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt, qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de caelis, et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria virgine et homo factus est, crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est, et resurrexit tertia die secundum Scripturas, et ascendit in caelum, sedet ad dexteram Patris, et iterum venturus est cum gloria, iudicare vivos et mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum, Dominum et viviticantem qui ex Patre Filioque procedit, qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur, qui locutus est per prophetas. Et

unam sanctam catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et exspecto resurrectionem mortuorum, et vitam venturi saeculi. Amen.

Credo etiam, suscipio atque profiteor ea omnia, quae sacra oecumenica Synodus Florentina super unione occidentalis et orientalis Ecclesiae definivit et declaravit, videlicet,

quod Spiritus Sanctus a Patre et Filio aeternaliter est, et essentiam suam suumque esse subsistens habet ex Patre simul et Filio, et ex utroque aeternaliter, tamquam ab uno principio et unica spiratione procedit, cum id, quod sancti Doctores et Patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum Sanctum, ad hanc intelligentiam tendat, ut per hoc significetur, Filium quoque esse secundum Graecos quidem causam secundum Latinos vero principium subsistentiae Spiritus Sancti, sicut et Patrem. Cumque omnia quae Patris sunt, ipse Pater unigenito Filio suo gignendo dederit, praeter esse Patrem, hoc ipsum quod Spiritus Sanctus procedit ex Filio, ipse Filius a Patre aeternaliter habet, a quo aeternaliter etiam genitus est. Illamque verborum illorum "Filioque" explicationem, veritatis declarandae gratia, et imminente tunc necessitate, licite ac rationabiliter Symbolo fuisse appositam.

Item, in azymo sive fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici, sacerdotesque in altero ipsum Domini corpus conficere debere, unumquemque scilicet iuxta suae Ecclesiae, sive occidentalis sive orientalis consuetudinem.

Item, si vere paenitentes in Dei caritate decesserint, antequam dignis paenitentiae fructibus de commissis satisfecerint et omissis, eorum animas poenis purgatoriis post mortem purgari, et ut a poenis huiusmodi releventur, prodesse eis fidelium vivorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes et eleemosynas, et alia pietatis officia, quae a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundum Ecclesiae instituta. Illorumque animas, qui post baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quae post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem exutae corporibus, prout superius dictum est, sunt purgatae, in caelum mox recipi et intueri clare ipsum Deum trinum et unum, sicuti est, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius. Illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas.

Item diffinimus, sanctam Apostolicam Sedem, et Romanum Pontificem, in universum orbem tenere primatum, et ipsum

Pontificem Romanum successorem esse beati Petri principis Apostolorum et verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiae caput et omnium Christianorum patrem ac doctorem exsistere, et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam ut eadem Florentina Synodus asserit, in gestis oecumenicorum Conciliorum et in sacris canonibus continetur.

Insuper profiteor ac recipio alia omnia, quae ex decretis sacrae oecumenicae generalis Synodi Tridentinae sacrosancta Romana et Apostolica Ecclesia, etiam ultra contenta in supradictis fidei Symbolis, profitenda ac recipienda proposuit atque praescripsit, ut sequitur,

Apostolicas et Ecclesiasticas traditiones reliquasque eiusdem ecclesiae observationes et constitutiones firmissime admitto et amplector. Item sacram Scripturam iuxta eum sensum, quem tenuit et tenet sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto, nec eam umquam nisi iuxta unanimem consensum Patrum, accipiam et interpretabor.

Profiteor quoque septem esse vere et proprie Sacramenta novae legis a Iesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis, necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Paenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium, illaque gratiam conferre, et ex his Baptismum, Confirmationem et Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque et approbatos Ecclesiae catholicae ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio et admitto. Omnia et singula, quae de peccato originali et de iustificatione in sacrosancta Tridentina Synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio.

Profiteor pariter, in Missa offerri Deo verum, proprium et propitiatorium sacrificium pro vivis et defunctis. Atque in sanctissimo Eucharistiae Sacramento esse vere, realiter et substantialiter Corpus et Sanguinem, una cum anima et divinitate Domini nostri Iesu Christi, fierique conversionem totius substantiae panis in Corpus ac totius substantiae vini in Sanguinem, quam conversionem Ecclesia catholica transubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum verumque Sacramentum sumi.

Constanter teneo, Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis iuvari. Similiter et Sanctos, una cum Christo regnantes, venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas. Firmiter assero, imagines Christi ac Deiparae semper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem et venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse affirmo.

Sanctam, catholicam et apostolicam Romanam Ecclesiam omnium ecclesiarum matrem et magistram agnosco, Romanoque Pontifici, beati Petri Apostolorum principis successori, ac Iesu Christi Vicario, veram oboedientiam spondeo ac iuro.

Cetera item omnia a sacris canonibus et oecumenicis Conciliis, ac praecipue a sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, et declarata, indubitanter recipio atque profiteor, simulque contraria omnia, et schismata, atque haereses quascumque ab Ecclesia damnatas et reiectas et anathematizatas ego pariter damno, reicio, et anathematizo.

Hanc veram Catholicam Fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor et veraciter teneo, eandem integram, et immaculatam usque ad extremum vitae spiritum, constantissime, Deo adiuvante, retinere et confiteri, atque a meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri et praedicari, quantum in me erit, curaturum, ego idem N. spondeo, voveo ac iuro. Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia.

Professio Fidei Catholicae Synodum Bituntinam

Council of Bitonto

1579

Gregorius PP XIII

Symbolum Apostolorum, et alia quae ab Ecclesia sunt recepta symbola, universales, traditiones, quae a Sancta Romana Ecclesia divinae consentur, et quae ab ipsis, Apostolis quasi per manus ad nos usque, pervenerunt, atque aecumenica concilia in iis, quae de fide decernunt, veluti sacram scripturam credimus, amplectimur, et veneramur.

Sacrae scripturae, iuxta sanctae matris Ecclesiae sensum, patrumque consensum interpretandae sunt.

Sancta Apostolica Sedes, et Romanus Pontifex in universum orbem tenet primatum, ipseque Pontifex Romanus successor est Beati Petri, Principis Apostolorum, et verus Christi Vicarius totiusque Ecclesiae caput, et omnium Christianorum Pater ac Doctor existit, et ipsi in Beato Petro pascendi, regendi et gubernandi Universalem Ecclesiam a Domino Nostro Iesu Christo immediate plena potestas tradita est.

Novae legis septem sunt Sacramenta a Christo instituta, Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Poenitentia, Extrema Unctio, Ordo, Matrimonium, quae non solum significant gratiam, sed etiam continent, ac digne suscipientibus conferunt.

Baptismus ad salutem omnibus mortalibus est necessaries etiam infantibus, delet vero omnem culpam, et originalem et actualem, et simul poenam omnem pro culpa debitam remittit, filios Dei efficit adoptivos, aperit regnum caelorum, et iterari non potest.

In confirmatione datur gratia Spiritus Sancti ad robur, ut Christianus audacter Christi nomen confiteatur. Ordinarius vero Confirmationis minister est Episcopus.

Verum Christi Corpus in Sacramento Altaris, totusque Christus sub specie panis, verus sanguis totus item Christus sub specie vini, realiter continetur transsubstantiatis pane in Corpus Christi, vino in sanguinem, potestate divina.

Eucharistia non solum Sacramentum est, et cibus animae spiritualis, sed et novae legis sacrificium, quod in memoriam passionis Christi pro vivis et defunctis offertur, est autem in hoc Sacramento Christus cultu latriae qui vero Deo debetur adorandus.

Laici sub sola panis specie integrum Christi Corpus et Sanguinem, totumque Christum veraciter sumunt, divinoque praecepto satisfaciunt.

Sacramentum Poenitentiae lapsis post Baptismum est ad salutem necessarium, huius vero tres sunt partes, cordis contritio, oris sacerdoti iurisdictionem habenti integra peccatorum confessio, et ad arbitrium eiusdem sacerdotis satisfactio.

Si vere poenitentes in Dei charitate decesserint antequam dignis poenitentiae fructibus de commissis, et omissis satisfecerint, eorum animae poenis purgatoriis purgantur, et ut a poenis huiusmodi releventur prosunt eis vivorum fidelium suffragia, Missarum scilicet sacrificia, Orationes, Eleemosinae, et alia pietatis officia, et indulgentiae, secundum Sanctae Romanae et Apostolicae Ecclesiae instituta.

In Sacramento Extremae Unctionis aegroti mens sanatur, corpus etiam in quantum expedit.

Sacramento Ordinis homini traditur spiritualis potestas, quam nemo habet nisi is cui ab Sacramentum ab Episcopo iuxta Sanctae

Romanae et Apostolicae Ecclesiae quo ad essentialia ritum collatum est.

Quae ad Ordinis spectant potestatem aequae mali ac boni Sacerdotes administrant, atquae item quae ad iurisdictionem attinent, quandiu illis non fuerit abrogata.

Matrimonii vinculum si legitime contractum fuerit, et consummatum nullis de causis dirimi potest.

Votum castitatis Sacris Ordinibus coniunctum, atque vota, quae in probatis religionibus emittuntur, et alia quaecunque rite suscepta, fideliter servanda sunt.

Peccata non accidunt volente vel efficiente Deo, sed permittente, id est non impediente, quo minus fiant, quare peccati culpa libero hominis arbitrio attribuenda est, quod primi parentis inobedientia non extinctum, sed viribus attenuatum et inclinatum est, Dei autem gratia praevenitur, a peccatis liberatur, sanatur, et ut mandata servare possimus, adiuvatur, itaque sanato libero arbitrio per gratiam Dei opera vitae aeternae meritoria homo iustificatus operatur.

Ad impii iustificationem requiritur Dei praeveniens gratia, et liberi arbitrii motus in Deum per actum fidei, et spei, et dilectionis Dei inchoationem, et detestatio peccati, ac propositum suscipiendi Baptismum, et pie vivendi. Ad infantium vero iustificationem sola Baptismi legitima susceptio sufficit. Ad lapsorum autem post Baptismum iustificationem necesse est ut excitante Deo procuret peccator amissam gratiam per poenitentiae Sacramentum recuperare. Caeterum qui iustificantur non modo reputantur, sed vere nominantur iusti et sunt, iustitiam in se unus quisque suam recipiens dum per Spiritum Sanctum in cordibus eorum charitas Dei diffunditur atque ipsi inhaeret.

Virgo Dei Genitrix, Angeli et Sancti religiose coli debent, et invocari, ut eorum meritis et precibus iuvemur.

Crux Christi et imagines et quaecumque Christum attigerunt adoranda sunt iuxta Ecclesiae doctrinam et fidem.

Deiparae Virginis Mariae, Angelorum et Sanctorum imagines sunt venerandae, tum corpora ac reliquiae quaevis. Sanctorum memoriae praeterea, et vigiliae, ac dies festi Christo, Virgini Matri, et Angelis et Sanctis dedicati religiose colendi sunt.

Ieiunium quadragesimae, alia ieiunia, et abstinentiae a cibis, quae Ecclesia observare praecepit, reverenter sunt observanda.

Ceremoniae, ritus, et mores omnes ab Ecclesia recepti, et probati, qui vel ad divina officia, vel ad alia quaevis munia Ecclesiastica adhibentur, observari debent.

Constitutiones Ecclesiae, Canones, Sanctiones, poenae, decreta, sive ad Ecclesiasticam pietatem et morum compositionem attineant, sive ad disciplinam et morum emendationem, malorumque depulsionem, quae vel a Summo Pontifice, vel a Conciliis, vel a quavis legitima authoritate proficiscuntur, et suscipi reverenter, et fideliter observari debent.

Postremo quod attinet ad huius aetatis atque omnium temporum ab haereticis ortas, vel suscitatas in dogmatibus divinis atque Ecclesiasticis controversias, et perversas doctrinas, illud tenemus, credimus, et confitemur, quod Sancta Romana et Apostolica Ecclesia tenet, credit, et confitetur.

Anathema omnibus omnium temporum haereticis atque haeresibus, nominatim vero anathema huius aetatis haeresiarchis, Luthero, Oecolampadio, Zwinglio, Rothmano, Calvino, eorumque sequacibus,

et aliis omnibus haereticis quascunque in sectas dissecti sint vel quovis nomine censeantur, universis etiam eorum haeresibus, Anathema.

Hanc veram catholicam fidem, extra quam non est salus, quam in praesenti sponte profitemur, et veraciter tenemus, eandem integram, et immaculatam usque ad extremum vitae nostrae spiritum constantissime Deo adiuvante retinere, et confiteri libere, sponte, et ex certa nostra scientia spondemus et vovemus. Et ego publico nomine totius venerabilis capituli, et cleri cum dominatione vestra Reverendissima synodum legitime facientis, et totam Ecclesiam Botuntinam representatis, tanquam, licet indignissimus, omnium os et lingua in minibus vestris Reverensissimae Pater et Domine, super hoc missali aperto et super sacrosancta imagine crucifixi promitto, iuro, et voveo. Sic me Deus adiuvet, et haec Sancta Dei Evangelia.

Brevis Orthodoxae Fidei Professio

quae ex Praescripto Sanctae Sedis Apostolocae

ab Orientalibus ad Sacrosanctae Romanae Ecclesiae

Unitatem Venientibus Facienda Proponitur

Roman Curia

12 April 1580

Gregorius PP XIII

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, unius Dei. Amen.

Ego N. toto corde credo, et ore confiteor, quod unus est Deus verus, omnipotens, incommutabilis, incomprehensibilis, ineffabilis, et aeternus, Pater scilicet, Filius, et Spiritus Sanctus, unus in essentia, trinus in personis. Pater ingenitus, Filius a solo Patre genitus, Spiritus Sanctus a Patre Filioque aeternaliter procedens, non sicut a duabus principiis, aut duabus spirationibus, sed ab utroque tanquam ab uno principio, et unica spiratione. Pater non est Filius, aut Spiritus Sanctus, Filius non est Pater, aut Sapiritus Sanctus, Spiritus Sanctus non est Pater, aut Filius, sed Pater, tantum Pater est, Filius, tantum Filius est, et Spiritus Sanctus tantum Spiritus Sanctus est. Nullus alium, aut praecedit aeternitate, aut excedit magnitudine, aut superat potestate, sed absque initio semper est, et fine fine. Pater est generans, Filius nascens, Spiritus Sanctus

procedens consubstantiales, coaequales, coomnipotentes, et coaeterni. Haec tres personae sunt unus Deus, non tres Dii, una essentia, una substantia, una immensitas, unum principium, unus creator visibilium omnium, et invisibilium, corporalium, et spiritualium. Qui, quando voluit, universas condidit creaturas sua bonitate, quas et valde bonas voluit. Et ideo reprobo, et anathematizo omnes haereses, et haereticos sentientes, et docentes contraria.

Firmiter etiam credo, et profiteor, quod unigentus Dei Filius Patri consubstantialis, semper cum Patre, et Spiritus Sancto existens, in plenitudine temporis, quam divinae misericordiae consilium inscrutabile disposuit, ut nos a peccato Adae, et caeterarum culparum nostrarum fordibus mundaret, et a morte, et inferno liberaret, incarnatus est de Spiritu Sancto in immaculato utero Beatissimae Mariae semper virginis, ac veram et integram hominis naturam assumpsit, corpus videlicet, et animam rationalem in unitate personae divinae, tanta unitate, ut unus, et idem Christus sit Deus et homo, Dei Filius, et hominis Filius, ita quod una natura non confunditur cum altera, nec una transit in alteram, nec una miscetur alteri, nec altera evanescit, sed in persona omnino una, sunt duae perfectae naturae, divina scilicet et humana, salvis earundem naturarum proprietatibus, duae voluntates, et duae operationes, ita

ut Christus sit tantum unus. Et sicut formam servi, Dei forma non adimit, ita formam Dei, servi forma non minuit. Qui enim verus Deus est, idem verus est homo. Deus per id quod in principio erat verbum, et verbum erat apud Deum, et Deus erat verbum. Homo per id, quod verbum caro factum est, et habitavit in nobis, Deus per id quod de quinque panibus quinque millia hominum satiavit, Quod Samaritanae aquam salientem in vitam aeternam promisit, Quod Lazarum quatriduanum a mortuis resuscitavit. Homo per id, quod esurivit, sitivit, fatigatus est, et in ligno crucis clavis affixus est. Unus et idem secundum divinitatem, aequalis aeterno Patri, immortalis, impassibilis. Secundum vero humanitatem minor Patre, mortalis, et passibilis.

Insuper firmiter credo, et praedico eundem Dei Filium incarnatum vere natum esse ex Maria semper virgine, et ideo ipsam virginem fateor veram Dei matrem, atque genitricem. Item vere passum, vere mortuum et sepultum, vere cum anima descendisse ad infernos ad liberandas animas sanctorum Patrum, quae in limbo detinebantur, alligato insatiabili homicida, subinde ex mortuis vere resurrexisse, et per quadraginta dies Apostolos docuisse de regno Dei, moxque ad caelos ascendisse, sedereque ad dexteram Patris, et venturum esse in fine saeculorum ad iudicandum vivos, et mortuos.

Credo et profiteor nullum unquam hominem ex semine Adae conceptum et natum, fuisse salvatum, aut fore salvandum, nisi per fidem mediatoris Dei et hominum Domini nostri Iesu Christi, in sanguine et morte ipsius, qua nos reconciliavit aeterno Patri, et delevit chirographum iniquitatum nostrarum, aeterna redemptione inventa.

Item firmiter credo legalia omnia veteris testamenti, seu Mosaicae legis, quia Christum figurabant, licet divino cultui illa aetate congruerent, ipso adveniente cessasse, et iam promulgato Evangelio servari non posse sine interitu salutis aeternae. Omnes igitur post illud tempus circumcisionis, Sabbati, ciborum eadem lege prohibitorum, reliquorumque legalium observatores alienos a fide denuntio, et salutis aeternae non posse esse participes, nisi aliquando ab his erroribus resipiscant. Ab his enim omnibus liberavit nos Christus, et septem novae legis Sacramenta instituit, quae veneror, credo, et profiteor, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Ordinem, Matrimonium, et extremam Unctionem. Quae omnia ea digne sumentibus, virtute passionis eiusdem Domini nostri Iesu Christi gratiam conferunt. Ista septem Sacramenta persiciuntur tribus, Verbis videlicet, et rebus, ac ministro. Verbis ut forma, rebus ut materia, ministro qui facere intendat quod facit Ecclesia.

Recipio insuper quicquid de eisdem Sacramentis sancta et Catholica Ecclesia Romana docet, et praedicat.

Credo quod si vere poenitentes in Dei charitate decesserint antequam dignis poenitentiae fructibus de commissorum, et omissorum poenis satisfecerint coram divina iustitia, eorum animas poenis Purgatorii post mortem purgari, utque a poenis huiusmodi releventur, prodesse eis fidelium vivorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes, et eleemosynas, ac alia pietatis officia, quae a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundum Ecclesiae instituta. Illorum animas, qui post Baptismum susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam quae post perpetrati peccati maculam, ut dictum est, purgatae sunt, in caelum mox recipi, et intueri clare ipsum Deum trinum et unum, sicuti est, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius. Illorum vero animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas.

Firmiter etiam teneo, et credo Symbolum fidei a trecentis decem et octo Patribus in Concilio Nicaeno, et a centum et quinquaginta in Concilio Constantinopolitano traditum, ac semper in Ecclesia usque modo inviolate custoditum, videlicet.

Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem caeli, et terrae, visibilium omnium, et invisibilium. Et in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei unigenitum. Et ex patre natum ante omnia saecula. Deum de Deo, Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de caelis, et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, et sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum scripturas. Et ascendit in caelum, sedet ad dexteram Patris, et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos, et mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, et vivificantem, qui ex Patre, Filioque procedit, qui cum Patre, et Filio simul adoratur, et conglorificatur, qui locutus est per Prophetas. Et unam sanctam Catholicam, et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum, et expecto resurrectionem mortuorum, et vitam venturi saeculi. Amen.

Confiteor, teneo, et praedico unum, eundemque Deum veteris, et novi testamenti, hoc est legis, et Prophetarum, atque Evangelii auctorem esse, quoniam eodem Spiritu Sancto inspirante, utriusque testamenti sancti locuti sunt. Itaque suscipio omnes libros

canonicos, quos suscipit sacrosancta Romana, et Catholica Ecclesia, sunt vero infrascripti, Testamenti veteris, Quinque Moysi, id est Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Deinde Iosue, Iudicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, Esdrae, primus, et secundus, qui dicitur Nehemias, Tobias, Iudith, Esther, Iob, Psalterium Davidicum centum quinquaginta psalmorum, Parabolae, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Hieremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, Duodecim prophetae minorum, id est, Oseas, Ioel, Amos, Abdias, Ionas, Micheas, Nahum, Abacuch, Sophonias, Aggaeus, Zacharias, Malachias, duo Macchabaeorum primus, et secundus. Testamenti novi quatuor Evangelia, secundum Matthaeum, Marcum, Lucam, et Ioannem. Actus Apostolorum a Luca Evangelista conscripti. Quatuordecim epistolae Pauli Apostoli, ad Romanos, duae ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duae ad Thessalonicenses, duae ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebraeos, Petri Apostoli duae, Ioannis Apostoli tres, Iacobi Apostoli una, Iudae Apostoli una, et Apocalypsis Ioannis Apostoli.

Item amplector, suscipio, et approbo sacrosanctam Synodum Nicaenam primam trecentorum decem, et octo Patrum, et profiteor, ac sequor quicquid illa decrevit, et reprobo, ac damno quicquid illa damnavit, et maxime impiam haeresim Arianorum cum ipso auctore

Ario, qui affirmare ausus est, Filium Dei non esse ab aeterno ex ipsa Patris substantia genitum, sed ex tempore, atque ex nihilo procreatum.

Item amplector, suscipio, et approbo sanctam Synodum Constantinopolitanam primam centum, et quinquaginta Patrum, et credo quicquid illa decrevit, et reprobo quicquid illa reprobavit, et maxime impiam haeresim Macedonii cum ipso auctore, qui affirmare ausus est Spiritum Sanctum non esse Patri, et Filio coaeternum, et consubstantialem, atque ideo nec esse Deum, sed creaturam.

Item amplector, suscipio, et approbo sacram Synodum Ephesinam primam duocentorum Patrum, et credo quicquid illa decrevit, et reprobo quicquid illa reprobavit, et maxime impiam haeresim Nestorianam cum suo auctore Nestorio, qui duas personas in Christo constituens, asserebat non esse a verbo Dei carnem assumptam in unitatem personae, sed per solam inhabitationem instar templi sanctificatam, et Christum non esse dicendum Deum incarnatum, sed hominem Deiferum, nec Beatam Mariam eius genitricem dicendam esse Deiparam, sed Christiparam.

Item amplector, suscipio, et approbo sanctam synodum Chalcedonensem sexcentorum triginta Patrum, quartam in ordine universalium synodorum, et credo, ac sequor quicquid illa decrevit, et reprobo, ac damno quicquid illa reprobavit, atque damnavit, et maxime impiam haeresim Eutychetis, et Dioscori Alexandrini, cum ipsis auctoribus, qui affirmare ausi sunt, non esse in Christo post unionem verbi cum carne duas integras, perfectas, inconfusas, et impermistas naturas cum unitate hypostasis, sive personae, et reprobo secundam synodum Ephesinam, immo potius latrocinium, quod factione eiusdem Dioscori, occiso Beato Flaviano Episcopo Constantinopolitano, legatis summi Romani Pontificis fugatis, et Episcopis ceteris terrore armorum ad assentiendum compulsis, Eutychianam haeresim impie confirmavit.

Item amplector, suscipio, et approbo synodum Constantinopolitanam secundam centum sexaginta quinque Patrum, quintam in eodem ordine universalium synodorum, et credo quicquid illa decrevit, et reprobo quicquid illa reprobavit, et maxime impiam haeresim Petri, Anthimi, Severi, et aliorum, qui existimantes ipsam divinam naturam trium personarum divinarum pro nobis crucifixam, Trisagio, verba, qui crucifixus est pro nobis, addebant.

Item amplector, suscipio, et approbo synodum Constantinopolitanam tertiam ducentorum octaginta novem Patrum, sextam in eodem ordine, et credo quicquid illa decrevit, et reprobo quicquid illa reprobavit, et maxime impiam haeresim Sergii, Pyrrhi, Pauli, Petri, Cyri, Macarii, ac Theodori, qui unam tantum in Christo voluntatem, et operationem statuentes, unam quoque dumtaxat naturam cum Eutychianis asserere conabantur.

Item amplector, suscipio, et approbo synodum Nicaenam secundam trecentorum quinquaginta Patrum, septimam in eodem ordine, et credo quicquid illa decrevit, et reprobo quicquid illa reprobavit, et maxime impiam haeresim Iconoclastarum, qui venerandas Christi, et Sanctorum imagines tamquam si idola gentium essent, e templis auferendas, et flammis absumendas esse, dicebant.

Item amplector, suscipio, et approbo sanctam synodum Florentinam amplius quam centum et quadraginta Patrum, et credo quicquid illa decrevit de Processione Spiritus Sancti a Patre, et Filio, de Consecratione panis azimi, vel fermentati, de Purgatorio, et Beatitudine animarum, de Primatu summi Romani Pontificis, necnon de Sacramentis, et Libris canonicis, et reprobo ac damno quicquid illa reprobavit, atque damnavit.

Praeterea amplector, suscipio et approbo quaecumque alia Concilia, quae recipit, et approbat sacrosancta Catholica, et Apostolica Romana Ecclesia, et maxime sanctam oecumenicam generalem synodum Tridentinam novissime celebratam, ac damno, et reprobo omnes haereses, et auctores earundem, quas, et quos reprobat, et damnat dicta Sancta Catholica et Apostolica Romana Ecclesia. Nec non quicquid illa tenet, et docet cum omni devotione, et reverentia suspicio, et amplector. Illos quoque doctores, et sanctos Patres, quos eadem Romana Ecclesia approbat, reverenter suscipio.

Teneo, et confiteor Sanctam Apostolicam sedem, et Romanum Pontificem in universum orbem tenere Primatum, et ipsum Romanum Pontificem successrorem esse Beati Petri Principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae esse caput, et omnium Christianorum patrem, ac doctorem existere, et ipsi in Beato Petro pascendi, regendi, et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse, cuius Ecclesiae unitatem tanti faciendam esse affirmo, ut nullos extra eandem ecclesiam Catholicam existentes, aeternae vitae participes fieri posse confitear.

Insuper promitto me tanquam obedientiae filium, ordinationibus, praeceptis, censuris, ac iussionibus Sanctissimi Domini Nostri

Domini Clementis divina providentia Papae Octavi et successorum suorum Romanorum Pontificum canonice intrantium, et Sedi Apostolicae semper, et fideliter obtemperaturum.

Hanc veram Catholicam fidem, quam in praesenti sponte profiteor, et veraciter teneo, eandem integram, et inviolatam usque ad extremum vitae spiritum constantissime Deo adiuvante retinere et confiteri, atque a meis subditis, seu illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, et praedicari, quantum in me erit, curaturum, ego idem N. spondeo, voveo, ac iuro. Sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei Evangelia.

Ego N., et hic character manus meae testificatur de me in hac scriptione, et in duabus similibus. In urbe Roma, XV die mensis Ianuarii, anno MDXCV nativitatis Christi.

Professio Fidei Synodi Diamperitana

Council of Diamper

20 - 26 June 1599

Clementis PP VIII

In nomine Sanctissimae et Individuae Trinitatis, Patris, Filii, et Spiritus Sancti, trium Personarum, et unius veri Dei. Anno a Nativitate Domini Nostri Iesu Christi 1599, sub Pontificatu Sanctissimi Domini Nostri Clementis Papae Octavi eiusdemque anno septimo in loco de Diamper, Regnorum de Malabar, Indiae Orientalis, in Ecclesia Omnibus Sancti dictata, die 21 mensis Iunii in Synodo Dioecesana huius Episcopatus ad Montana, ab Illustrissimo, et Reverendissimo D. D. Fratre Alexio de Menesses Archiepiscopo Metropolitano Goensi, Primate Indiarum, et partium Orientalium, Sede vacante eiusdem Episcopatus.

Ego N. libere, et spontanee, nec aliqua violentia adstrictus, sed mero meo arbitrio, et pro animae meae salute, et quia ita ex corde credo, profiteor me firma fide credere, et confiteri omnia et singula, quae continentur in Symbolo fidei, quo utitur Sancta Mater Ecclesia Romana, videlicet,

Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem caeli, et terrae, visibilium omnium, et invisibilium. Et in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei unigenitum. Et ex patre natum ante omnia saecula. Deum de Deo, Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de caelis, et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, et sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum scripturas. Et ascendit in caelum, sedet ad dexteram Patris, et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos, et mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, et vivificantem, qui ex Patre, Filioque procedit, qui cum Patre, et Filio simul adoratur, et conglorificatur, qui locutus est per Prophetas. Et unam sanctam Catholicam, et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum, et expecto resurrectionem mortuorum, et vitam venturi saeculi. Amen.

Apostolicas, et Ecclesiasticas traditiones, reliquasque eiusdem Ecclesiae observationes, et Constitutiones firmisse admitto et amplector. Item Sacram Scripturam iuxta eum sensum, quem tenuit, et tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu, et interpretatione Sacrarum Scripturarum, admitto, nec eam, unquam,

nisi iuxta unanimem consensum Patrum, accipiam, et interpretabor. Profiteor quoque septem esse vere, et propriae Sacramenta Novae Legis a Iesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, et Matrimonium, illaque gratiam conferre, et ex his Baptismum, Confirmationem, et Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque, et approbatos Ecclesiae Catholicae ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio, et admitto. Omnia et singula, quae de peccato originali et de iustificatione in Sacrosancta Tridentina Synodo definita, et declarata fuerunt, amplector, et recipio. Profiteor pariter, in Missa offerri Deum verum, proprium, et propitiatorium sacrificium pro vivis, et defunctis, atque in Sanctissimo Eucharistiae Sacramento esse vere, realiter, et substantialiter Corpus, et Sanguinem una cum Anima, et Divinitate Domini nostri Iesu Christi, fierique conversionem totius substantiae panis in corpus, et totius substantiae vini in sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia Transubstantiationem appellant. Fateor etiam sub altera tantum specie totum, atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi. Constanter teneo, Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis iuvari.

Pariter affirmo fidelium iustorum animas ex hac vita migrantes, quae hic pro poenis, ob peccata debitis, iam satisfacere, et quae per purgatorium tormentum, iuxta beneplacitum et ordinationem Dei plenam satisfactionem exhibuere, et pariter, quae post Baptismum nullum peccatum commiserunt, statim post mortem pergere in caelum, ubi vident Deum sicuti est. Exinde condemno, et anathematizo haeresim dicentium, iustorum animas esse in Paradiso terreno usque in diem Iudicii, Animasque damnatorum, non aliter torqueri, quam ex scientia tormentorum, quibus post Iudicii diem punientur. Similiter confiteor, et affirmo, Sanctos una cum Christo regnantes, venerandos, atque invocandos esse, eosque Orationes Deo pro nobis offerre, et eorum Corpora, et Reliquias esse in terris venerandas, insuper Imagines Christi et Deiparae semper Virginis, necnon aliorum Sanctorum, habendas, et retinendas esse, atque eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam.

Similiter Sacratissimam Virginem Mariam esse propriae, et vere Dei Matrem, et ita vocari debere a fidelibus, quia realiter et vere peperit secundum Carnem, ac sine dolore, aut angore aliquo, verum Dei Filium, verum hominem factum, ipsa Virgine permanente ante partum, in partu, et post partum, atque ipsam, nullam peccati actualis maculam contraxisse affirmo.

Confiteor etiam Indulgentiarum potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse.

Sanctam Catholicam, et Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum Matrem, et Magistram agnosco, et omnes quotquot ipsi non obediunt, haereticas esse Ecclesias, Schismaticas, atque inobedientes Iesu Christo, eiusque mandatis, nec non Hierarchiae Ecclesiasticae ab ipso institutae, ac demum extra aeternam esse salutem.

Promitto, et iuro veram obedientiam Papae, seu Romano Pontifici, Beati Petri Apostolorum Principis Successori, et Christi in terris Vicario, totius Ecclesiae Capiti, ipsius Doctori, et Magistro, Patri, Praelato, et Pastori omnium fidelium, necnon confiteor, omnes quotquot Romano Pontifici Christi in terris vicario non obediunt, tamquam inobedientes mandatis ipsius Christi, ab aeterna salute excludendos.

Recipio, approbo, et confiteor, omni haesitatione remota, omnes determinationes, diffinitiones, et declarationes in Sacris Canonibus, et Conciliis Generalibus, ac praesertim in Sacrosancto Concilio

Tridentino contentas. Pariter damno, reiicio, et anathematizo omnia ipsis contraria, atque haereses quascumque, ab ipsis damnatas, reiectas, et anathematizatas, una cum Ecclesia damno, reiicio, et anathematizo, ac potissimum diabolicam, et perversam haeresim Nestorianorum, cum ipsorum perfido Duce Nestorio, ipsiusque pravis Magistris Theodoro, et Diodoro, cum omnibus Sequacibus praeteritis, et praesentibus, qui a Satana seducti, et persuasi, duas in Christo personas, et duo supposita impie asserebant, affirmantes, Verbum Divinum non assumpsisse Carnem in unitatem Personae, sed tantummodo per inhabitationem, et mansionem in ea fuisse tamquam in Templo, nec dicendum esse, Deum fuisse incarnatum, nec Virginem Mariam, vocandam esse Matrem Dei, sed tantum Matrem Christi, quae omnia reiicio, condemno, et anathematizo, tamquam diabolicas haereses, immo credo, amplector, et approbo, quae circa haec Sacrosanctum Concilium Ephesinum Primum ducentorum Patrum decrevit, et in quo ex mandato Romani Pontificis Coelestini Primi praesedit Beatus Cyrillus Patriarcha Alexandrinus, quem fuisse iustum, et sanctum, Deoque gaudere omnino confiteor, quique eum blasphemant, extra aeternam fore salutem.

Similiter damno dicentes, de Christi Passione agendum non esse, nec de illa loquendum, immo id facere, esse iniuriam Christo

irrogare, sed credo, et confiteor, meditationes, et colloquia de Passione Christi maximum Fidelibus afferre proventum.

Pariter confiteor, et credo, quod sicut unus est Deus, una Fides, et unum Baptisma, ita una tantum est vera lex in tota, atque integra Christiana Ecclesia, quae est lex Iesu Christi Domini Nostri, veri Dei, et veri Hominis, quam unam legem omnes Apostoli, eorumque Discipuli, et Successores unanimiter, et uniformiter praedicaverunt, et quam praedicamus, et confitemur in toto Orbe, et damno, ac reiicio inepte dicentes, aliam esse legem Sancti Thomae, et aliam Divi Petri, atque esse omnino diversas, et nulla ratione inter se convenire, cum aliis omnibus erroribus, et haeresibus ab Ecclesia Matre reiectis.

Hanc veram Catholicam Fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor, et veraciter teneo, eamdem integram, et immaculatam usque ad extremum vitae spiritum constantissime, Deo adiuvante, retinere, et confiteri, atque a meis subditis, seu illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, et praedicari, quantum in me erit curaturum. Ego idem N. spondeo, voveo ac iuro. Sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei Evangelia.

Spondeo itaque, voveo, et iuro Deo, Cruci, et Sanctis Evangeliis, nullum me in praesens, vel in posterum in hac Ecclesia et Episcopatu Montensi, Episcopum, Archiepiscopum, Praelatum, Pastorem, vel Gubernatorem admissurum, praeter illum, qui a Sancta Sede Apostolica, per Papam, et Pontificem Romanum fuerit immediate constitutus, atque ipsi ita constituto, tamquam proprio, et vero Pastori, obedientiam praestiturum, omnino independenter, nulloque expectato consensu, aut nominatione a Patriarcha Babylonico, quem reiicio, damno, et anathematizo, tamquam Haereticum Nestorianum Schismaticum, et extra obedientiam Sanctae Romanae Ecclesiae, et idcirco extra aeternam salutem, necnon iuro, et promitto, ipsi nunquam obedire, nec in aliquo cum eo communicare. Igitur omnia dicta, et promissa spondeo, voveo, iuro, et consecro Deo Omnipotenti, et huic Sacrosanctae Christi Cruci. Sic me Deus adiuvet, et haec Sancta Dei Evangelia. Amen.

Professio Fidei Simon X Eliae Patriarchae Babylonis

Eliya VII, Patriarch of the Church of the East

1610

Paulus PP V

Ego Elias humillimus et alienigena et servus minimus Iesu Christi, qui est Deus verus ex Deo vero, cui per gratiam et praeter mea merita, credita est sedes quinta Babylonis, genuflecto ante te, et totum me submitto ante pedes sanctos tuos, Pater, qui locum obtines sancti Petri patris familias Iesu Christi mediatoris inter Deum et gentes, Domine Papa, custos Sedis, et caput omnium Sedium. Ego balbutio ante tuam Paternitatem tamquam puerulus ante matrem suam misericordem, et repeto meam fidem, quae nullo modo aliena est a tua fide, etiamsi aliquando diminuta, aut addita videatur, sed unus est finis et sensus, sicut unus est Deus, et unus est mediator inter Deum et homines, filius hominis Iesus Christus, Deus super omnia, ita etiam una est fides in eo. Ac in primis demonstrabo fidem meam in Trinitate sancta, et aequali in substantia Patris et Filii et Spiritus sanctitatis, personae aequales et non divisae.

Credimus in Deum Patrem, qui est factor caeli et terrae, et omnium quae in eis sunt, ex iis quae videntur et non videntur. Et in Filium, qui est ex eo, et qui est aequalis cum eo in essentia, et non est

minor suo genitore, et factore omnium creaturarum. Et in Spiritum sanctitatis, qui procedit ex Patre, et non est genitor, neque genitus, et ipse est substantia gloriosa, et aequalis in substantia cum Patre et Filio. Pater genitor et non genitus est, et Filius genitus et non genitor est, et Spiritus sanctitatis procedens non genitor neque genitus est.
Et confitemur etiam, quod haec est una natura Trinitatis sanctae, quae glorificatur in tribus personis, non est mortalis, neque comprehensibilis, neque variabilis, neque passibilis. Cum in sine temporum propter nos, et propter nostrum salute, et propter nostra debita, Filius Dei persona adorata filiationis descendit ad nos, et suscepit corpus ex virgine Maria sancta filia David, et est perfectus in anima et intellectu et in omnibus humanis, sicut nos praeter peccatum, cum salutationem ipsam plenam vitae nuncius pacis Gabriel attulerit Beatae Virgini, in cuius responsione ipsa dixit, ecce ego ancilla Domini sum, fiat mihi secundum verbum tuum.

Descendit Deus Verbum in virginem, et coniunctus est cum homine, qui in ea compactus est in virtute Spiritus sanctitatis, et factus est unum cum ipso homine, sicut coniunctio ignis cum ferro. Et confitemur quod corpus et animam et intellectum accepit, et non sine anima et intellectu, sicut existimant errantes. Et hoc fieri non potuit, quod in sua natura appareat creatis, sumpsit corpus naturam

secundam, hominem perfectum e genere Adae, ad salutem ipsius Adae.

Et in eo corpore in quo revelatus est mortalibus, eis locutus est, et fuit sicut illi in unione, quae non dividitur, et filiatione, quae non separatur. Ille qui natus est ex Patre ante saecula in sua Deitate, natus est in fine temporum ex Virgine Maria in sua humanitate, cum naturae et proprietates in una persona unius filiationis conserventur.

Non Deitas sua ex natura Matris, neque humanitas ex natura Patris. Sed unitas sine comixtione, et confusione, atque permixtione, dum credimus Paulo qui dixit, quod ille qui est species Dei, ipse accepit speciem servi. Quem forte vocavit speciem Dei, nisi Christum in sua divinitate et quem forte speciem servi, nisi ipsum Christum in sua humanitate ?

Ergo non posssunt corrumpi proprietates naturae posi unionem. Non enim Deitas conversa est in humanitatem et humanitas in Deitatem. Et si Deitas mutata esset, non quidem unio, sed corruptio in Deitate fieret, et si tandem humanitas mutata esset, non vera salus, sed detrimentum in humanitate fieret.

Ita credimus in cordibus nostris, et confitemur labiis, unum Deum Iesum Christum Filium Dei, cuius Deitas non celatur, neque humanitas aufertur, sed Deus perfectus et homo perfectus. Et dum Deum Christum vocamus, non Trinitatem nuncupamus, sed unam ex personis gloriosae Trinitatis, et dum hominem Christum dicimus, non omnes homines vocamus, sed illud corpus quod scienter acceptum est pro nostra salute, propter unionem cum Deo Verbo. Propter hoc Dominus Iesus Christus ille, qui genitus est in sua Deitate ex Patre ab aeterno, temporibus ultimis, propter nos natus est ex Maria Virgine, unitus cum natura suae humanitatis.

Et dum in natura suae Deitatis sine passione, necessitate et variation permansit in natura humanitatis, circumcises est, et crevit secundum testimonium Lucae, quod Iesus crescebat in statura et sapientia et gratia apud Deum et homines, servavit leges, baptismum sumpsit, dum in virtute Deitatis suae miracula operabatur, nimirum emundationem leprosorum, apertionem oculorum, et daemonum expulsionem. In natura humanitatis esurivit et sitivit ac manducavit et aquam bibit, passus, crucifixus, et mortuus est.

Dum Deitas ex ipso non discessit, neque demigravit neque in ventre, neque in cruce, neque in sepulchro. Dum enim in sepulchro positus

est, post tres dies surrexit, in virtute ineffabilis suae deitatis, et os eius vivificans dixit Iudaeis, destruite templum hoc, et post tres dies reaedificabo illud, et declarant evangelista, dum dicit, quod de sui corporis templo intellexit.

Et post quam surrexit conversatus est in terra cum discipulis suis quadraginta diebus, et ostendebat eis manus et pedes, dicens ex ore suo sancto, palpate me et scitote, quod spiritus carnem et ossa non habet, ut me videtis habere, ut confirmet eos de resurrectione in verbo et opere.

Etiam affere possumus multas auctoritates in medium Domini mei, quod nos Orientales afflicti, atque vexati non praevaricati sumus, neque defecimus a sententia Apostolorum, et fundamento fortissimo, quod tradiderunt nobis, sed haec amantibus veritatem sufficiant, et eis qui non sunt perturbati fulminibus invidiae, et odii immerito contra baptizatos.

Etsi dicunt contra nos, quod non fatemur, quod Virgo sit Deipara, nimirum Mater Dei, sed Christipara, hoc est Mater Christi Dei super omnia, et propter hoc nos in causa sumus. Sed hoc nihil est, hoc enim positum est propter confirmationem et reprobationem falsae opinionis Apollinaris, qui dicebat Deitatem esse sine humanitate, et

ad confusionem sceleris Semistii, qui ponebat hominem simplicem esse Christum, nimirum humanitatem sine divinitate.

Et duae partes anathema sunt, et expulsae, atque ab Ecclesia Romana profligatae, dum testis verus Matthaeus in principio sui libris ita dixit, liber generationis Iesu Christi, et generatio Iesu Christi ita fuit. Et Paulus dixit, et illis apparuit Christus in carne, qui est Deus super omnia. Et Petrus Princeps Apostolorum dixit, tu es Christus Filius Dei vivi, in qua responsione beatitudine dignus factus est.

Et si propter hanc responsionem expulsione digni sumus, nescio quid respondeant Apostolis, qui hoc affirmaverunt, quoniam nos in hac denominatione Christi, duas naturas Deitatis, et humanitatis continemus, et non simplicitatem in Christo confitemur sicut de nobis obloquuntur.

Etiam suscipio omne id, quod docet Sedes Sancta Apostolica Catholica Ecclesia Romana omni amore, et veneratione et teneo, ac recipio omnes etiam Doctore Ecclesiae Romanae, et teneo quod Sedes Sancta Apostolica sit Apostolica, et Papa Romae sit tenens locum illius, et Sancti Petri Principis discipulorum, et ipse vere personam Christi referat, et ipse sit vicem gerens, et caput super omnes Ecclesias, et sit pater doctorum omnium Christianorum, et

quod ei tradiderit, mediante Sancto Petro, potestatem perfecta, ut oves illius pascat, atque etiam credo in unam congregationem suae Ecclesiae. Etiam confiteor neminem posse salvari sine Ecclesia sancta Catholica praedicta, neque vitae aeternae esse participem.
Item credo sicut filius obediens, et semper obtemperabo ordinibus, et confirmationibus, atque legibus Pontificis Magnae Romae, qui nostro tempore viget, et etiam omnibus, qui ei succedent in Pontificatu Romae.

Etiam credo in Trinitatem, quae est immense, ut cognoscatur, quae est una, et una, et una. De una natura essentiae verificatur sicut dicitur, Dominus Deus tuus Dominus unus est, Dominus omnipotens, id est Pater et Filius et Spiritus sanctitatis. De varietate personarum essentiae verificatur, sicut habet tradition Evangelii Christi vivificantis, exite et docete omnes populos, et baptizate in nomine Patris et Filii et Spiritus sanctitatis.

Illud vero, quod addiderunt Patres, Deus Dominus et Spiritus sanctitatis aperte demonstraverunt, nomina esse communitatis, et singulas earum, scilicet omnes tres personas esse nomina communitatis, quod est aperte sine divisione, quod Deus sit causa Filii et Spiritus. Non causa naturae sed proprietatum.

Et Filius est genitus a Patre sine quando, ubi et quomodo. Et Spiritus sanctitatis est procedens ex Patre sine divisione. Et omne id, quod habet Filius, habet Pater et Spiritus, praeter proprietatem esse geniti. Et omne id, quod Spiritus habet, habet et Pater et Filius, praeter proprietatem processus.

Unus Deus, qui non comprehenditur in uno. Tres personae, quae non dividuntur in numerum unius, duorum, et trium. Quae sunt unitae et divisae, et divisae et unitae, quae non comprehenduntur a creatis, sicut testatur divus Paulus et Ioannes Theologus.

In hac fide vivo et morior ego humilis et minimus Elias, per gratiam Patriarcha Sedis Babylonis, et testis mihi sit Deus et angeli eius sancti, et principatus nostrae nationis Iesus Christus, et omnes Apostoli beati, cui et Patri suo et Spiritus sanctitatis honor et gloria, confessio, adoratio in saecula saeculorum.

Professio Fidei Elias IX Shemon Patriarcha Babylonis

Roman Curia

20 June 1617

Paulus PP V

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti unius Dei.

Ego Elias per misericordiam Dei humilis Patriarcha Babylonis, toto corde credo, et ore confiteor, quod unus est verus Deus, omnipotens, incommutabilis, incomprehensibilis, ineffabilis et aeternus, Pater scilicet, Filius et Spiritus Sanctus, unus in essentia, trinus in personis. Pater ingenitus, Filius a solo Patre genitus, Spiritus Sanctus a Patre Filioque aeternaliter procedens, non sicut a duabus principiis, aut duabus spirationibus, sed ab utroque, tanquam ab uno principio, et unica spiratione. Pater non est Filius, aut Spiritus Sanctus, Filius non est Pater, aut Spiritus Sanctus, Spiritus Sanctus non est Pater, aut Filius, sed Pater, tantum Pater est, Filius tantum Filius est, et Spiritus Sanctus tantum Spiritus Sanctus est. Nullus alium, aut praecedit aeternitate, aut excedit magnitudine, aut superat potestate, sed absque initio semper est, et absque fine. Pater est generans, Filius nascens, Spiritus Sanctus procedens, consubstantiales, coaequales, coomnipotentes, et coaeterni. Haec tres personae sunt unus Deus, non tres Dii, una

essentia, una substantia, una immensitas, unum principium, unus creator visibilium omnium et invisibilium, corporalium et spiritualium. Qui quando voluit, universas condidit creaturas sua bonitate, quas et valde bonas voluit. Et ideo reprobo, et anathematizo omnes haereses, et haereticos, sentientes et docentes contraria.

Firmiter etiam credo, et profiteor, quod unigentus Dei Filius Patri consubstantialis, semper cum Patre, et Spiritu Sancto existens, in plenitudine temporis, quam divinae misericordiae consilium inscrutabile disposuit, ut nos a peccato Adae, et caeterarum culparum nostrarum fordibus mundaret, et a morte, et inferno liberaret, incarnatus est de Spiritu Sancto in immaculato utero Beatissimae Mariae semper virginis, ac veram et integram hominis naturam assumpsit, corpus videlicet, et animam rationalem in unitate Personae, id est, subsistentiae divinae, tanta unitate, ut unus et idem Christus sit Deus et homo, Dei Filius, et hominis Filius, ita quod una natura non confunditur cum altera, nec una transit in alteram, nec una miscetur alteri, nec altera vanescit, sed in Persona atquae subsistentia omnino una, sunt duae perfectae naturae, divina scilicet et humana, salvis earundem naturarum proprietatibus, duae voluntates, et duae operationes, ita ut Christus

sit tantum unus, et sicut formam servi, Dei forma non adimit, ita formam Dei, servi forma non minuit.

Qui enim verus Deus est, idem verus est homo, Deus per id, quod in principio erat verbum, et verbum erat apud Deum, et Deus erat verbum, et per id quod de quinque panibus quinque millia hominum satiavit, quod Samaritana aquam salientem in vitam aeternam promisit, quod Lazarum quatriduanum a mortuis resuscitavit.

Homo per id, quod esurivit, sitivit, fatigatus est, et in ligno crucis clavis affixus est. Unus et idem, secundum divinitatem aequalis aeterno Patri, immortalis, impassibilis, secundum vero humanitatem minor Patre, mortalis, et passibilis.

Insuper firmiter credo, et praedico eundem Dei Filium incarnatum vere natum esse ex Maria semper virgine, et ideo ipsam virginem fateor veram Dei Matrem atque Genitricem. Item, vere passum, vere mortuum et sepultum, vere cum anima descendisse ad infernos, ad liberandas animas Sanctorum Patrum, quae in Limbo detinebantur, alligato insatiabili homicida, subinde vere ex mortuis resurrexisse, et per quadraginta dies Apostolos docuisse de regno Dei, moxque ad caelos ascendisse, sedereque ad dexteram Patris, et venturum esse in fine saeculorum, ad iudicandos vivos et mortuos.

Ideoque cum sancta Romana Ecclesia firmiter teneo, et credo Symbolum Fidei, a trecentist decem et octo Patribus in Concilio Nicaeno, et a centum et quinquaginta in Concilio Constantinopolitano traditum, ac semper in Ecclesia usque modo inviolate custoditum, videlicet,

Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem caeli et terrae, visibilium omnium, et invisibilium. Et in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia saecula. Deum de Deo, Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de caelis, et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum scripturas. Et ascendit in caelum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria, iudicare vivos et mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum, Dominum, et vivificantem, qui ex Patre, Filioque procedit, qui cum Patre et Filio simul adoratur, et conglorificatur, qui locutus est per prophetas. Et unam sanctam, Catholicam, et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor

unum baptisma in remissionem peccatorum, et expecto resurrectionem mortuorum, et vitam venturi saeculi. Amen.

Item amplector, suscipio, et approbo sacrosanctam Synodum Nicaenam primam trecentorum decem et octo Patrum, et profiteor, ac sequor quicquid illa decrevit, et reprobo, ac damno quicquid illa damnavit, et maxime impiam haeresim Arianorum cum ipso auctore Ario, qui affirmare ausus est, Filium Dei non esse ab aeterno ex ipsa Patris substantia genitum, sed ex tempore, atque ex nihilo procreatum.

Item amplector, suscipio, et approbo sanctam Synodum Constantinopolitanam primam, centum et quinquaginta Patrum, et credo, quicquid illa decrevit, et reprobo quicquid illa reprobavit, et maxime impiam haeresim Macedonii cum ipso auctore, qui affirmare ausus est Spiritum Sanctum non esse Patri et Filio coaeternum, et consubstantialem, atque ideo nec esse Deum, sed creaturam.

Item amplector, suscipio, et approbo sacram Synodum Ephesinam primam duocentorum Patrum, et credo, quicquid illa decrevit, et reprobo, quicquid illa reprobavit, maxime impiam haeresim Nestorianam cum suo auctore Nestorio, qui duas personas in

Christo constituens, asserebat, non esse a verbo Dei carnem assumptam in unitatem subsistentiae, et personae, sed per solam inhabitationem instar templi sanctificatam, et Christum non esse dicendum Deum incarnatum, sed hominem Deiferum, nec Beatam Mariam eius Genitricem dicendam esse Deiparam, sed Christiparam, ipsumque Nestorium obtam impias blasphemias, praecipue damno et anathematizo.

Item amplector, suscipio, et approbo sanctam synodum Chalcedonensem, sexcentorum triginta Patrum, quartam in ordine universalium synodorum, et credo, ac sequor *quicquid illa decrevit, et reprobo, ac damno* quicquid illa reprobavit, atque damnavit, et maxime impiam haeresim Eutychetis, et Dioscori Alexandrini, cum ipsis auctoribus, qui affirmare ausi sunt, non esse in Christo post unionem verbi cum carne, duas integras, perfectas, inconfusas, et impermistas naturas, cum unitate hypostasis, sive personae. Et reprobo secundam synodum Ephesinam, imo potius latrocinium, quod factione eiusdem Dioscori, occiso Beato Flaviano Episcopo Constantinopolitano, legatis summi Pontificis Romani fugatis, et Episcopis caeteris terrore armorum ad assentiendum compulsis, Eutychianam haeresim impie confirmavit.

Item amplector, suscipio, et approbo synodum Constantinopolitanam secundam, centum sexaginta quinque Patrum, quintam in eodem ordine universalium synodorum, et credo quicquid illa decrevit, et reprobo quicquid illa reprobavit, et maxime detestabiles errores, ac blasphemias non ferendas, in mysterium ineffabile Incarnationis Verbi Dei, Theodoro Mopsuesteno prolatas, et in eadem synodo cum scelerato eiusdem Theodori symbolo recensitas atque damnatas, quem Theodorum Mopsuestenum damno, et anathematizo, in omnibus adhaerens sanctorum Patrum sententiae, contra ipsum in eadem synodo latae.

Item amplector, suscipio, et approbo synodum Constantinopolitanam tertiam, ducentorum octaginta novem Patrum, sextam in eodem ordine, et credo, quicquid illa decrevit, et reprobo, quicquid illa reprobavit, et maxime impiam haeresim, Sergii, Pyrrhi, Pauli, Petri, Cyri, Macarii, ac Theodori, qui unam tantum in Christo voluntatem, et operationem statuentes, unam quoque dumtaxat naturam cum Eutychianis asserere conabantur.

Item amplector, suscipio, et approbo sanctam synodum Florentinam, amplius quam centum et quadraginta Patrum, et credo, quicquid illa decrevit, de Processione Spiritus Sancti, a Patre et Filio, de consecratione panis azymi, vel fermentati, de Purgatorio,

et beatitudine animarum, de Primatu Summi Romani Pontificis, nec non de Sacramentis, et libris canonicis, et reprobo, ac damno, quicquid illa reprobavit, atque damnavit.

Praeterea amplector, suscipio, et approbo quaecumque alia Concilia, quae recipit, et approbat sacrosancta Catholica, et Apostolica Romana Ecclesia, et maxime sanctam Oecumenicam generalem synodum Tridentinam novissime celebratam, ac damno, et reprobo omnes haereses, et auctores earundem, quas, et quos reprobat, et damnat dicta Sancta Catholica, et Apostolica Romana Ecclesia.

Nec non quicquid illa tenet et docet, cum omni devotione, et reverentia suspicio, et amplector.

Illos quoque Doctores, et Sanctos Patres, quos eadem Romana Ecclesia approbat, reverenter suscipio.

Teneo, et confiteor, sanctam Apostolicam sedem, et Romanum Pontificem, in universum orbem tenere Primatum, et ipsum Romanum Pontificem successrorem esse Beati Petri Principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae esse caput, et omnium Christianorum Patrem, ac doctorem existere, et

ipsi in Beato Petro pascendi, regendi, et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse, cuius Ecclesiae unitatem tanti faciendam esse affirmo, ut nullos extra eandem Ecclesiam Catholicam existentes, aeternae vitae participes fieri posse confitear.

Insuper promitto, me tanquam obedientiae filium, ordinationibus, praeceptis, censuris, ac iussionibus Sanctissimi Domini Nostri Domini Pauli divina providentia Papae Quinti, et successorum suorum Romanorum Pontificum canonice intrantium, et Sedi Apostolicae, semper, et fideliter obtemperaturum.

Hanc veram Catholicam fidem, quam in praesenti sponte profiteor, et veraciter teneo, eandem integram, inviolatamque usque ad extremum vitae spiritum constantissime, Deo adiuvante, retinere et confiteri, atque a meis subditis, seu illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, et praedicari, quantum in me erit, curaturum, ego idem Elias Patriarcha Babylonis spondeo, voveo, ac iuro, ac Deo gratias ago, qui per suam misericordiam, lumine suae claritatis, errores, in quibus hactenus versati sumus et ex quibus Nestoriani fuimus habiti, mihi detegere dignatus est. Quos iterum damno, et detestor, et cum authoribus eorum Nestorio, atque Theodoro anathematizo, atque reiicio, daboque operam, quantum

in me erit, ut nomina, et doctrina eorum ex nostris libris deleantur, et rescindantur.

Professio Orthodoxae Fidei ab Aethiopibus Facienda

Roman Curia

1629

Urbanus PP VIII

Ego N. firma fide credo, et profiteor omnia et singula, quae continentur in Symbolo fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet,

Credo in unum Deum Patrem Omnipotentem, factorem caeli, et terrae, visibilium omnium, et invisibilium. Et in unum Dominum Iesum Christum Filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia saecula, Deum de Deo, Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de caelis, et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, et sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum scripturas. Et ascendit in caelum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos, et mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit, qui cum Patre et Filio simul adoratur, et conglorificatur, qui locutus est per Prophetas. Et

unam sanctam Catholicam, et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi saeculi. Amen.

Credo etiam suscipio, atque, profiteor ea, quae Sacra Generalis quarta Synodus Chalcedonensis devinivit, et declaravit de duabus naturis in una Christi Persona. Quod unus, et idem Filius, et Dominus noster Iesus Christus perfectus in Deitate, et perfectus idem sit in humanitate. Deus verus, et idem verus homo ex anima rationali, et corpore, consubstantialis Patri secundum Deitatem, et idem consubstantialis nobis secundum humanitatem, per omnia nobis similis absque peccato, ante saeculaquidem a Patre genitus secundum Deitatem, in novissimis autem diebus idem propter nos, et propter nostram salutem ex Maria Virgine Dei Genitrice secundum humanitatem. Unus et idem Christus, Filius, Dominus, Unigenitus in duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendus, nusquam sublata differentia naturarum propter unitionem, sed magis salva proprietate utriusque naturae, et in unam personam, atque subsistentiam concurrente, non in dua personas partitus, aut divisus, sed unus idemque Filius, et Unigenitus, Deus Verbum, Dominus Iesus Christus, sicut ante Prophetae de eo, et ipse nos Iesus Christus erudivit, et Sanctorum Patrum nobis Symbolum tradidit. Hanc veram Catholicam et

Apostolicam doctrinam Sanctae Chalcedonensis Synodi puro corde credo, et ore confiteor, antea quoque non obscure declaratam ab ipsa prima sancta Generali Synodo Nicoena, dum in suo symbolo docet, illum ipsum Dei unigenitum factum esse hominem, et esse passum, eundemque Dei Filium immutabilem, et inalterabilem esse, quod enim unus, et idem mori posset ex uno, et mori non posset ex altero, inconfusas plane ostendit proprietates Verbi, et carnis.

Hanc etiam fidem tradidit sanctus Cyrillus in Epistola ad impium Nestorium, quam tertia sancta Ephesina Synodus, uti eiusdem primae Synodi Nicoenae doctrinam suscepit, ait enim sanctus Pater. Non enim dicimus naturam Verbi mutatam esse factam Carnem, aut mutatam esse in totum hominem anima et corpore constantem, sed diversas esse dicimus naturas, quae ad veram unionem coierunt, unum vero ex ambabus esse Christum, et Filium, non sublata diversitate naturarum propter unionem, sed quod ex Divinitate, et humanitate sit unus Dominus Iesus Christus, et Filius per ineffabilem, et inexplicabilem concursum ad unionem. Ita dicimus, Deum Verbum passum esse,et resurrexisse, non quod ipsa Dei Verbi natura passa sit vulnera, impassibilis enim est Divina Natura cum sit incorporea, sed quia Caro facta Verbi propria haec passa est, Verbum dicitur passum pro nobis, siquidem in patiente corpore erat impassibilis Deus, quoniam aeque ac nos communicavit carni et

sanguine, assumpta quoque carne manens quod erat. Quocirca a Sanctus Beatissima Virgo affirmata est Dei Mater, quoniam ex ea natum est sanctum corpus animatum anima rationali, cui Verbum unitum secundum Hypostasim dicitur natum secundum carnem.

Item suscipio cum sancta Chalcedonensi Synodo Beatissimum Leonem Papam, et eius Epistolam contra impia Eutychis, et Dioscori dogmata, quam Sancta Synodus Chalcedonensis orthodoxae fidei columnam appellavit. Et quae Sancti Generalis quinta Synodus devinivit pro Chalcedonendi Synodo, praesertim vero quae exponens propositionem illam, Una est natura Dei Verbi incarnata, declaravit, anathematizans eos, qui ex tali propositione conantur introducere unam naturam, seu substantiam Deitatis, et carnis, et non sic excipunt, sicut Patres docuerunt, Nimirum quod ex natura Divina, et humana, unitione secundum subsistentiam facta, unus Christus ex duabus, et in duabus naturis effectus sit, non confusione aliqua naturarum in seinvicem facta, sed permanente utraque hoc quod est, unus sit Christus Deus, et homo.

Item suscipio, quae sancta Generalis sexta Synodus definivit de duabus naturalibus Christi Domini voluntatibus, et duabus naturalibus operationibus indivise, inconvertibiliter, et inseparabiliter, et inconfuse in une, eodemque Domino nostro Iesu

Christo, et humanam eius voluntatem non contrariam, sed subiectam Divinae, atque omnipotenti eius voluntari.

Similiter suscipio, quae generale Concilium Viennense sub Clemente Quinto et quae generale Concilium Lateranense sub Leone Decimo diffinierunt de anima rationali, seu intellectiva, quod sit immortalis, et vere, per se, et essentialiter forma corporis humani, et pro corporum, quibus infunditur, multitudine singulariter multiplicabilis, multiplicata, et multiplicanda, et quod eadem anima rationalis, seu intellective, non ut caeterorum animantium animae per seminalem propagationem traducitur, sed iuxta veram, et Catholicam doctrinam a Deo creatur, set simul corpori infunditur, ita ut ipsi corpori nullatenus praeexistat, et rectissime a Theologis dicatur, Deum anima creando infundere, et infundendo creare.

Item suscipio quicquid super unione Occidentalis, et Orientalis Ecclesiae Sancta Oecumenica Synodus diffinivit, et declaravit, et quicquid Sacrosancta Romana, et Apostolica Ecclesia ex decretis sacrae Oecumenicae generalis Synodi Tridentinae profitendum ac recipiendum proposuit, atque praescripsit, videlicet Spiritum Sanctum a Patre, et Filio aeternaliter esse, et essentia suam, suumque esse subsistens habere ex Patre simul, et Filio, et ex utroque aeternaliter, tanquam ab uno principio, et unica spiratione

procedere, iuxta doctrinam etiam Sancti Cyrilli in tertio Generalis Concilio Ephesino. Cum id quod sancti Doctores et Patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum Sanctum, ad hanc intelligentiam tendat, ut per hoc significetur, Filium quoque esse secundum Graecos quidem causam, secundum Latinos vero principium subsistentiae Spiritus Sancti, sicut et Patrem. Cumque omnia, quae Patris sunt, ipse Pater Unigenito Filio suo gignendo dederit, praeter esse Patrem, hoc ipsum, quod Spiritus Sanctus procedit ex Filio, ipse Filius a Patre aeternaliter habet, a quo aeternaliter etiam genitus est. Illamque verborum illorum, Filioque, explicationem veritatis declarandae gratia, et imminente tunc necessitate, licite, ac rationabiliter symbolo fuisse appositam.

Item in Azymo, sive fermentato pane triticeo Corpus Christi, et in Vino vitis, cui ante consecrationem aqua modiciffima debet admisceri, Christi Sanguinem, veraciter confici, et aquam ideo admisceri vino, quia iuxta testimonia sanctorum Patrum, et Doctorem Ecclesiae creditor, ipsum Dominum in vino aqua permixto, hoc instituisse Sacramentum.

Item Sacerdotes conficere debere Corpus Domini in altero, nimirum vel azymo, vel fermentato, unumquemque iuxta suae Ecclesiae, sive Occidentalis, sive Orientalis consuetudinem.

Profiteor partier in Missa offerri Deo verum, proprium, et propitiatorium sacrificium pro vivis, et defunctis, atque in sanctissimo Eucharistiae Sacramento esse vere, realiter, et substantialiter corpus, et sanguinem, una cum anima, et divinitate Domini nostri Iesu Christi, fierique conversionem totius substantiae panis in Corpus, et totius substantiae vini in Sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia transubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie, totum, et integrum Christum, verumque Sacramentum sumi.

Item constanter teneo Purgatorium esse, ibique animas eorum, qui vere poenitentes in Dei charitate decesserint, antequam dignis poenitentiae fructibus de commissis satisfecerint, et omissis, poenis Purgatoriis post mortem purgari, et ut a poenis huiusmodi releventur, prodesse eis fidelium vivorum suffragia, Missarum scilicet, sacrificia, orationes, et eleemosynas, et alia pietatis officia, quae a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundum Ecclesiae instituta, illorumque animas, qui post Baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam quae post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem exutae corporibus, prout superius dictum est, sunt purgatae, in

caelum mox recipi, et intueri clare ipsum Deum Trinum, et unum, sicuti est, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectus.

Illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedent, etiam si nati sint a parentibus baptizatis, mox in Infernum descendere, poenis tamen disparibus perpetuo puniendas. Nec infantibus cum originali decedentibus posse ad salutem consequendam quicquam prodesse, quod orti sint ex parentibus sacra communione refectis.

Item sanctos una cum Christo regnantes venerandos, atque invocandos esse, eosque Orationes Deo pro nobis offere, atque eorum reliquias esse venerandas.

Firmissime assero Imagines Christi, ac Deiparae semper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas, et retinendas esse, atque eis debitum honorem et venerationem impertiendam, ut ex traditione Apostolica Generalis septime Synodus declaravit.

Item profiteor, ac firmiter teneo, Sanctam Catholicam, et Apostolicam Ecclesiam Romanam esse omnium Ecclesiarum Matrem, et Magistram, et sanctam Apostolicam Sedem, et Romanum Pontificem in universum Orbem tenere primatum, et

ipsum Pontificem Romanum successorem esse Beati Petri Principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae caput, et omnium Christianorum Patrem, ac Doctorem existere, et ipsi in Beato Petro pascendi, regendi, et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem tradiam esse, quemadmodum etiam in gestis Oecumenicorum Conciliorum, et in Sacris Canonibus continentur. Eidemque Romano Pontifici veram obedientiam spondee, et iuro.

Apostolicas, et Ecclesiasticas traditions, etiam non scriptas, reliquasque eiusdem Ecclesiae observations, et Constitutiones firma fide admitto, et amplector.

Itam sacram Scripturam iuxta eum sensum, quem tenuit, et tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu, et interpretation Sacrarum Scripturarum, admitto, nec eam unquam nisi iuxta unanimem consensum Patrum accipam, et interpretabor.

Profiteor quoque septem esse vere, ac propria Sacramenta novae legis a Iesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, et Matrimonium, illaque gratiam

conferre, et ex his Baptismum, Confirmationem, et Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse.

Item fateor haec septem novae legis Sacramenta multum differe a Sacramentis antiquae legis, nam legis novae Sacramenta continent, et conferunt gratiam, quam significant, non ponentibus obicem, legis vero antiquae Sacramenta figuram tantum fuisse, et adveniente Christo cessasse, ac proinde post promulgatum Evangelium Mosaycae legis observationes, ut circumcisionem, Sabbata, ciborum delectum, et caetera legalia sine interitu aeternae salutis servari non posse.

Ex his vero novae legis Sacramentis Baptismum in pueris non esse necessario differendum, et si mortis immineat periculum, cum sit ad salutem necessarius, omnino esse conferendum.

Sacrae autem Confirmationis Ordinarium Ministrum esse solum Episcopum, et non quemlibet simplicem Sacerdotem.

Ad Sacram porro Eucharistiam neminem sibi conscium mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque praemissa sacramentali confessione modo non desit illi copia confessoris

accedere debere, quod si necessitate urgente Sacerdos absque praevia confessione celebraverit, quamprimum confiteatur.

In Sacramento vero poenitentiae ad remissionem peccatorum necessarium esse iure Divino confiteri omnia, et singular peccata mortalia, quorum memoria cum debita, et diligenti praemeditatione habeatur, etiam occulta, et circumstantias, quae peccati speciem mutant.

Item per Matrimonii Sacramentum, cum sit signum coniunctionis Christi, et Ecclesiae, oriri vinculum inter duos tantum coniunctos, et copulatos, quod post ipsum matrimonium ratum, et consumatum nullo modo, nisi per mortam alterius coniugum dissolvi potest, et licet quod thorum, et cohabitationem ob fornicationem, et alias causas, eorum separatio interdum fiat iudicio Ecclesiae ad certum, vel incertum tempus, non tamen aliud matrimonium contrahere fas esse, cum matrimonii legitime contracti vinculum sit perpetuum, nec licere viro plures simul uxores habere, nec multi plures viros.

Receptos quoque et approbatos Ecclesiae Catholicae ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio, et admitto.

Omnia et singula, quae de peccato originale, et de iustificatione in Sacrosancta Synodo Tridentina definita, et declarata fuerunt, amplector, et recipio.

Indulgentiam etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse affirmo.

Caetera item omnia a Sacris Canonibus, et Oecumenicis Conciliis, tradita, definita, et declarata, indubitanter recipio, prout recipit Sancta Romana Ecclesia simulque contraria omnia, et schismata, atque haereses quasqumque ab eadem Ecclesia damnatas, et reiectas, et anathematizatas, ego pariter damno, reiicio, anathematizo, et abiuro.

Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor, et veraciter teneo, eandem integram, et inviolatam usque ad extremum vitae spiritum constantissime Deo adiuvante retinere, ac confiteri, atque a meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, et praedicari, quantum in me erit curaturum. Ego idem N. spondeo, voveo, ac iuro. Sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei Evangelia.

Professio Orthodoxae Fidei ab Orientalibus Facienda

Roman Curia

1642

Urbanus PP VIII

Ego N. firma fide credo et profiteor omnia et singula quae continentur in Symbolo fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet,

Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem caeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia saecula, Deum de Deo, Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero, genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt, qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de caelis, et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria virgine et homo factus est, crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est, et resurrexit tertia die secundum Scripturas, et ascendit in caelum, sedet ad dexteram Patris, et iterum venturus est cum gloria, iudicare vivos et mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum, Dominum et viviticantem qui ex Patre Filioque procedit, qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur, qui locutus est per prophetas. Et

unam sanctam catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et exspecto resurrectionem mortuorum, et vitam venturi saeculi. Amen.

Veneror etiam et suscipio universales Synodos, prout sequitur, videlicet,

Nicaenam primam, et profiteor, quod in ea contra Arium damnatae memoriae definitum est, Dominum Iesum Christum esse Filium Dei ex Patre natum unigenitum, id est ex substanta Patris natum, non factum, consubstantialem Patri, atque impias illas voces recte in eadem Synodo damnatas esse, “quod aliquando non fuerit”, aut “quod factus sit ex iis, quae non sunt, aut ex alia substantia vel essential”, aut “quod sit mutabilis vel convertibilis Filius Dei”.

Constantinopolitanam primam, secundam in ordine, et profiteor, quod in ea contra Macedonium damnatae memoriae definitum est, Spiritum Sanctum non esse servum, sed Dominum, non creaturam, sed Deum, ac unam habentem cum Patre et Filio deitatem.

Ephesinam primam, tertiam in ordine, et profiteor, quod in ea contra Nestorium damnatae memoriae definitum est, divinitatem et humanitatem ineffabili et incomprehensibili unione in una persona

Filii Dei unum nobis Iesum Christum constituisse, eaque de causa beatissimam Virginem vere esse Dei genitricem.

Chalcedonensem, quartam in ordine, et profiteor, quod in ea contra Eutychen et Dioscorum, ambos damnatae memoriae, definitum est, unum eundemque Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum perfectum esse in deitate, et perfectum in humanitate, Deum verum, et hominem verum ex anima rationali et corpore, consubstantialem Patri secundum deitatem, eundem consubstantialem nobis secundum humanitatem, per omnia nobis similem absque peccato, ante saecula quidem de Patre genitum secundum deitatem, in novissimis autem diebus eundem propter nos et propter nostram salutem ex Maria Virgine Dei genitrice secundum humanitatem unum eundemque Christum Filium Dominum unigenitum in duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum, nusquam sublata differentia naturarum propter unionem, magisque salva proprietate utriusque naturae in unam personam atque substantiam concurrente, non in duas personas partitum aut divisum, sed unum eundemque Filium et Unigenitum Deum Verbum Dominum Iesum Christum. Item eiusdem Domini nostri Iesu Christi divinitatem, secundum quam consubstantialis est Patri et Spiritu Sancto, impassibilem esse et immortalem, eundem autem crucifixum et mortuum tantummodo

secundum carnem, ut pariter definitum est in dicta Synodo et in epistola Sancti Leonis Romani Pontificis, cuius ore Beatum Petrum Apostolum locutum esse Patres in eadem Synodo acclamaverunt, per quam definitionem damnatur impia haeresis illorum, qui Trisagio ab angelis tradito et in praefata Chalcedonensi Synodo decantato, 'Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis, miserere nobis', addebant, 'qui crucifixus es pro nobis' atque adeo divinam naturam trium personarum passibilem asserebant et mortalem.

Constantinopolitanam secundam, quintam in ordine, in qua praefatae Chalcedonensis Synodi definitio renovata est.

Contantinopolitanam tertiam, sextam in ordine, et profiteor, quod in ea contra Monothelitas definitum est, in uno eodemque Domino nostro Iesu Christo duas esse naturales voluntates et duas naturales operationes indivise, inconvertibilter, inseparabiliter, inconfuse, et humanam eius voluntatem non contrariam, sed subjectam divinae eius atque omnipotenti voluntati.

Nicaenam secundam, septimam in ordine, et profiteor, quod in ea contra Iconoclastas definitum est, imagines Christi ac Deiparae

Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem et venerationem impertiendam.

Constantinopolitanam quartam, octavam in ordine, et profiteor, in ea Photium merito fuisse damnatum et sanctum Ignatium Patriarcham restitutum.

Veneror etiam et suscipio omnes alias universales Synodos auctoritate Romani Pontificis legitime celebratas et confirmatas, et praesertim Florentinam Synodum, et profiteor, quae in ea definita sunt, videlicet,

Quod Spiritus Sanctus ex Patre et Filio aeternaliter est, et essentiam suam suumque esse subsistens habet ex Patre simul et Filio, et ex utroque aeternaliter, tamquam ab uno principio et unica spiratione procedit. Item dictionem illam 'Filioque' veritatis declarandae gratia, et imminente necessitate, licite ac rationabiliter Symbolo fuisse appositam.

Item, in azymo sive fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici, sacerdotesque in altero ipsum Domini corpus conficere debere, unumquemque scilicet iuxta suae Ecclesiae, sive occidentalis sive orientalis consuetudinem.

Item, si vere paenitentes in Dei caritate decesserint, antequam dignis paenitentiae fructibus de commissis satisfecerint et omissis, eorum animas poenis purgatoriis post mortem purgari, et ut a poenis huiusmodi releventur, prodesse eis fidelium vivorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes et eleemosynas, et alia pietatis officia, quae a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundum Ecclesiae instituta. Illorumque animas, qui post baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quae post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem exutae corporibus, prout superius dictum est, sunt purgatae, in caelum mox recipi et intueri clare ipsum Deum trinum et unum, sicuti est, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius. Illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas.

Item diffinimus, sanctam Apostolicam Sedem, et Romanum Pontificem, in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri principis Apostolorum et verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiae caput et omnium Christianorum patrem ac doctorem exsistere, et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam

a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam ut eadem Florentina Synodus asserit, in gestis oecumenicorum Conciliorum et in sacris canonibus continetur.

Item, legalia Veteris Testamenti, seu Mosaicae legis, quae dividuntur in ceremonias, sacra sacrificia, et sacramenta, Domino nostro Iesu Christo adveniente, cessasse, et post promulgatum Evangelium, sine peccato observari non posse. Eiusdem etiam Legis Veteris ciborum mundorum et immundorum differentiam ad ceremonialia pertinere, quae surgente Evangelio transierunt. Illam etiam Apostolorum prohibitionem “ab immolatis simulacrorum, et sanguine, et suffocato”, illi tempori congruisse, ut inter Iudaeos et Gentiles dissensionis materia tolleretur, cuius apostolicae prohibitionis causa cessante, etiam cessavit effectus.

Pariter veneror et suscipio Tridentinam Synodum, et profiteor, quae in ea definita et declarata sunt, et praesertim offerri Deo in Missa verum, proprium et propitiatorium sacrificium, pro vivis et defunctis, atque in sanctissimo Eucharistiae sacramento, iuxta fidem, quae semper in Ecclesia Dei fuit, contineri vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem una cum anima et divinitate Domini nostri Jesu Christi ac proinde totum Christum, fierique

conversionem totius substantiae panis in corpus et totius substantiae vini in sanguinem, quam conversionem catholica Ecclesia aptissime transsubstantiationem appellat, et sub unaquaque specie, et singulis cuiusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri.

Item septem esse Novae Legis sacramenta a Christo Domino nostro instituta ad salutem humani generis, quamvis non omnia singulis necessaria, videlicet baptismum, confirmationem, Eucharistiam, paenitentiam, extremam unctionem, ordinem et matrimonium, illaque gratiam conferre, et ex his baptismum, confirmationem et ordinem iterari non posse. Item baptismum esse necessarium ad salutem, ac proinde, si mortis periculum immineat, mox sine ulla dilatione conferendum esse, et a quocumque et quandocumque sub debita materia et forma et intentione collatum esse validum. Item sacramenti matrimonii vinculum indissolubile esse, et quamvis propter adulterium, haeresim aut alias causas possit inter coniuges thori et cohabitationis separatio fieri, non tamen illis aliud matrimonium contrahere fas esse.

Item apostolicas et ecclesiasticas traditiones suscipiendas esse et venerandas. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo Ecclesiae relictam fuisse, illarumque usum christiano populo maxime

salutarem esse. Pariter, quae de peccato originali, de iustificatione de sacrorum librorum tam Veteris quam Novi Testamenti indice et interpretatione in praefata Tridentina Synodo definita sunt, suscipio et profiteor.

Cetera item omnia suscipio et profiteor, quae recipit et profitetur sancta Romana Ecclesia, simulque contraria omnia, et schismata et haereses ab eadem Ecclesia damnatas, reiectas et anathematizatas, ego pariter damno, reicio et anathematizo.

Insuper Romano Pontifici beati Petri principis Apostolorum successori ac Iesu Christi vicario veram oboedientiam spondeo ac iuro.

Hanc fidem catholicae Ecclesiae, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor et veraciter teneo, eandem integram et inviolatam usque ad extremum vitae spiritum constantissime, Deo adiuvante, retinere et confiteri, atque a meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri et praedicari, quantum in me erit, curaturum, ego idem N. spondeo, voveo ac iuro. Sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei Evangelia.

Formula Iuramenti a Graecis Depositi

Council of Pécsi Egyházmegye

18 January 1690

Alexander PP VIII

Ego N. firma fide credo et profiteor omnia et singula, quae continentur in Symbolo Fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur, firmiter cum eadem tenendo, Spiritum Sanctum a Patre Filioque procedere, Sanctam quoque Catholicam et Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum Matrem et Magistram agnosco, Romanoque Pontifici Beati Petri Apostolorum Principis Successori ac Iesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo, voveo ac iuro pro me meisque. Sic me Deus adiuvet, et haec Sancta Dei Evangelia.

Professio Fidei Samuel Kapasoulis

Samuel Kapasoulis, Greek Patriarch of Alexandria

28 April 1713

Clemens PP XI

Ego Samuel Capasulis a Chio Flius Demetrii Capasulis, Dei misericordia Patriarcha Alexandriae, per directionem admodum Reverendus Pater Archangeli a Melita, et coram Reverendorum Patrum Aegidio a Lacu Nigro Vice Praefecto Missionis in Aegypto, et Ioanne Iosepho Mazet Apostolicis Terrae Sanctae Missionariis, et cum assensu Patrum Minorum cum iisdem existentium, habens coram me Sancta Evangelia, iisque proprias meas manus imponens, iuro super ipsis, et ex corde credo, atque ore confiteor illam Sanctam Fidem Catholicam, et Apostolicam, quam Sancta Romana Ecclesia credit, docet, confitetur, et servat, et consequenter respuo, aversor, et execror omnes haereses cuiuscumque Sectae erroneae, et quorumcumque Haereticorum, qui Sanctae Catholicae, et Apostolicae Romanae Ecclesiae adversantur.

Item iuro, quod credo, et confiteor, corde, et ore, quod Spiritus Sanctus ex Patre, Filioque procedat, tanquam ex uno Principio, uno Spiratore, et una Spiratione, et quod Filius sit principium hypostasis Spiritus Sancti, quemadmodum et Pater, et quod hoc Verbum

(Filioque) licite, et rationabiliter Nicaeno, et Constantinopolitano Symbolo sit appositum ab Occidentali Ecclesia, tanquam necessaria explicatio ad cohibendas haereses, quae tunc temporis vigebant, et quod in pane triticeo, sive azymo, sive fermentato Sacramentum Eucharistiae vere conficiatur, et quod Sacerdotes alterutrum consecrare oporteat, unumquemque secundum propriae Ecclesiae morem, sive Occidentalis, sive Orientalis, et quod animae vere poenitentium, qui non plene pro commissis, et omissis suis satisfecerunt, atque eatenus in Dei charitate decesserunt, post mortem purgatorii poenis expientur, ad quas liberandas conducunt vivorum fidelium suffragia, Missarum scilicet Sacrifidia, Orationes, et Eleemosynae, atque alia misericordiae opera, quae a Fidelibus, secundum Ecclesiae traditionem, pro animabus illis fieri consueverunt. Firmiter etiam affirmo, ac teneo animas eorum, qui post susceptum Baptismum nullam peccati maculam incurrerunt, nec non eorum, qui post Baptismum in lethale peccatum lapsi sunt, sed expiati in corporibus suis per poenitentiam, aut extra corpus in Purgatorio, statim in caelestem gloriam recipi, Deumque Trinum et Unum, uti est, clare intueri. Animas autem decedentium in peccato mortali, sive actuali, sive solo originali mox in infernum descendere, ubi pro ratione diversorum demeritorum diversimode puniuntur. Praeterea Sancta, et Apostolica Romana Cathedra, atque eam tenens Pastorum Princeps, et Summus Sacerdos Primatum habet

super omnem terram, atque hic est Successor Sancti Petri primi, et Principis Apostolorum, verusque Vicarius Iesu Christi Domini Nostri, Caput totius in Christo Ecclesiae, Dominus noster, et Pater, et Magister omnium Christianorum, ut quod ipsi in persona Beati Petri data est plenissima potestas a Christo Domino nostro pascendi, regendi, et gubernandi Catholicam Ecclesiam.

Item iuro, quod amplector, et veneror omnes Sanctas Synodos, quas recipit Sancta Catholica, et Apostolica Romana Ecclesia, et praecipue duo Oecumenica Concilia Florentinum, et Tridentinum, et respuo omnes falsas doctrinas veritati suprascripti Dogmatis repugnantes, et verae Fidei Sanctae Romanae Ecclesiae, sine qua nemo salvari potest.

Iuro autem super his Sacris Evangeliis, quod nunquam consentiam, aut eligam admittere haeresim aliquam, aut amplecti dogma, fidei contrarium Catholicae, et Apostolicae Romanae Ecclesiae, et verae ipsius Fidei. Ita promitto, quod nunquam haereticorum libris fidem adhibebo, aut illos recipiam, sed reprobabo, et omnes pariter haereses suprascriptae verae fidei contrarias reiicio, et execror. Haec spondeo hodie coram Deo Trino in Personis, et Uno in Natura, et in praesentia supradictorum Testium, Reverendorum Patrum scilicet subscriptorum. Anno salutis millesimo septengesimo

duodecimo mense Maio die viginti sex feria secunda secundum antiquum computum. Indictione quinta secundum novum vero die sexta mensis Iunii eiusdem anni. In diversorio dictorum Patrum Missionariorum Apostolicorum Terrae Sanctae in Aegypto.

Theses Neo Approbandis et Aliis Presbyteris

Archidioecesis Coloniensis ad Subscribendum Propositae

Archdiocese of Cologne

1837

Gregorius PP XVI

1. Credo et confiteor, damnabilem esse errorem, si quis dubium positivum tamquam basin omnis theologicae inquisitionis facere tentet, quoniam haec via tenebrosa et ad errorem omnigenum ducens declinat a regio tramite, quem universa traditio et Sancti Patres in exponendis et vindicandis fidei veritatibus stravere.

2. Credo et confiteor, damnabilem esse conatum, siquis gratiam fidei, in qua maxima Dei misericordia natus est, abiicere velit, ut ex dubio positivo incipiens, sola ratione duce, fidem quaerat, ita, ut, si ratio fidem seu fidei necessitatem non inveniat, fidem omnino abdicare possit.

3. Credo et confiteor, fidem esse Dei donum et lumen, quo illustratus homo firmiter assentitur atque adhaeretiis, quae, ut credantur, sunt divinitus revelata et ab Ecclesia nobis proposita.

4. Omnino abiicio et damno illum errorem, qui statuit, rationem principem normam ac unicum medium esse, quo homo assequi possit supernaturalium veritatum cognitionem.

5. Credo et confiteor, erroneam esse opinionem, quae rationi humanae in rebus fidei summam docendi iudicandique auctoritatem tribuit, sed fidem potius esse ianuam nostrae salutis, sinc qua Deum invenire et invocare, Deo, servire et placere nullus in hac vita protest, et fidei id vel maxime proprium esse, ut in captivitatem redigat omnem intellectum in obsequium Christi.

6. Circa naturam fidei et credendorum regulam, circa sacram Scripturam, Traditionem, revelationem et Ecclesiae magisterium, circa motiva credibilitatis, circa argumenta, queis existentia Dei adstrui confirmarique consuevit, circa ipsius Dei essentiam, sanctitatem, iustitiam, libertatem, Eiusque finem in operibus, quae a Theologis vocantur ad extra, nec non circa gratiae necessitatem, eiusdemque ac donorum distributionem, retributionem praemiorum et poenarum inflictionem, circa protoparentum statum,

peccatum originale ac hominis lapsi vires nihil aliud me credere, tenere, et me nihil aliud docere velle, nisi quod tota ecclesia catholica tenet ac docet, spondeo ac promitto.

7. Credo et confiteor, omnes homines propter solam generationem ex Adae semine sub peccato originali, includente culpae et poenae reatum, nasei, et hoc peccatum, quod origine unum est, propagatione, non imitatione transfusum omnibus, inesse unicuique proprium, et practer hoc peccatum originale et una cum eo et ex eo etiam concupiscentiam, quae ex peccato est et ad peccatum inclinat in omnes redundasse.

8. Attamen, quod ad conceptionem beatissimae et immaculatae Virginia Mariae Dei Genitricis attinet, obtemperabo iis, quoe de hac re constituta sunt in decreto felicis memoriae Gregorii Papae Decimiquinti, anno millesimo sexcentesimo vigesimo secundo edito, quod incipit Sanctissimus, et in bulla felicis memoriae Alexandri Papae Septimi, quae incipit Sollicitudo quibus permittitur, publice privatimque docere, beatissimam Mariam Virginem sine peccato originali esse conceptam, contrarium autem, scilicet beatissimam Mariam Virginem cum peccato originali

conceptam esse, publice privatimque docere aut contendere, prohibetur sub excommunicationis poena, eo ipso sine alia declaratione incurrenda. Praeterea tenebo, quod tenet Ecclesia, scilicet, beatam Virginem Mariam in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitasse, ac spondeo, me nunquam nec privatim nec publice de perpetua Virginitate beatissimae Mariae Virginis aliud docere velle, nisi, Christum Dominum natum esse ex Matre sine ulla maternae virginitatis diminutione, Iesum Christum ex materna alvo sine ulla maternae virginitatis detrimento editum esse, quod quidem Spiritus Sancti virtute effectum est, qui in Filii conceptione et partu Matri ita affuit, ut ei et foecunditatem dederit et perpetuam virginitatem conservarit.

9. Credo et confiteor, sine praeveniente Spiritus Sancti inspiratione atque eius adiutorio hominem non posse credere, sperare, diligere aut poenitere, sicut oportet, ut ei iustificationis gratia conferatur. Similiter credo et confiteor divinam gratiam per Christum Iesum non solum ad hoc dari, ut facilius homo iuste vivere ac vitam aeternam promereri possit, quasi per liberum arbitrium sine gratia utrumque, sed aegre tamen et difficulter, possit.

10. Credo et confiteor, unumquemque iustitiam recipere secundum suam mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis, prout vult, et secundum propriam cuiusque dispositionem et cooperationem, orationem autem petitoriam non tantum praeparare animum ad accipienda dona Dei, sed esse medium a Christo Domino praeceptum, quo Deus commovetur ad dandum id, quod petimus, dummodo quod petimus, saluti nostrae non adversetur.

11. Credo et confiteor, nos iustificari per iustitiam Dei nobis inhaerentem, quae a Deo nobis infunditur per meritum Christi.

12. Damno et anathematizo illum errorem, siquis dicat, homines iustificari vel sola imputatione Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia et charitate, quae in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur atque illis inhaereat, aut etiam gratiam, qua iustificamur, esse tantum favorem Dei.

13. Credo et confiteor, praedestinationem esse admirabile et adorandum mysterium, quod pie et devote credendum, non

autem nimis curiose ratione perscrutandum sit, nec nisi caute, nec nisi coram illis, qui maturioris aetatis sint, traetandum. Similitor credo et confiteor, beatos salutem suam misericordiae Dei debere, attamen bona opera, quae per Dei gratiam et Iesu Christi meritum, Cuius viva membra fuerunt, in terris fecerunt, non ita esse dona Dei, ut non in etiam bona eorum merita, reprobatos autem neminem, nisi se ipsos, accusare posse.

14. Credo et confiteor, Dominum universa propter semet ipsum operatum esse, impium quoque ad diem malum et iustificationis nostrae causam finalem esse Dei ac Christi gloriam et vitam aeternam.

15. Credo et confiteor, secundum mentem Ecclesiae satisfactionem in confessione non tantum ad novae vitae custodiam et infirmitatis medicamentum imponi, sed etiam ad praeteritorum peccatorum vindictam et castigationem.

16. Credo et confiteor, Deum ex iustitia, quae vocatur vindicativa, propter internam peccati malitiam malos aeternis poenis addicere.

17. Spondeo et promitto, me decretum sacrosancti Concilii Tridentini ad coercenda petulantia ingenia latum, ut nemo suae prudentiae innixus, in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae Christianae pertinentium, sacram Scripturam ad suos sensus contorquens contra eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam scripturam sacram interpretari audeat, etiamsi eiusmodi interpretationes nullo unquam tempore in lucem edendae forent, accuratissime observare velle.

18. Spondeo ac promitto Archiepiscopo meo reverentiam et obedientiam in omnibus, quae ad doctrinam et disciplinam spectant, sine omni restrictione mentali, meque ab Archiepiscopi mei iudicio secundum Hierarchiae catholicae ordinem ad neminem, nisi ad Papam, totius Ecclesiae Caput, provocare posse et debere confiteor, Romanum autem Pontificem in universam Ecclesiam tenere Primatum ordinis et iurisdictionis, et ipsum successorem esse Beati Petri, Principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium totiusque Ecclesiae Caput, et centrum unitatis, pastorum Pastorem, et omnium Christi fidelium et Patrem et Doctorem existere, et

ipsi in Beato Petro agnos et oves pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Christo plenam potestatem traditam esse, firmo semper tenebo animo, ac profitebor verbo opereque, atque in specie decretis Pontificis Maximi in rebus fidei et morum obtemperare me debere et velle, profiteor et spondeo.

Haec omnia, quae his supra scriptis et modo lectis thesibus continentur, simplici animo observare, credere ac tenere, nunquam autem contra agere aut disputaro, aut verba in alium sensum, a simplici verborum significatione et ordine abhorrentem, vertere et detorquere, nec publice nec privatim, nec oretenus nec in scriptis docere me velle, coram Deo, qui est scrutans renes et corda spondeo ac promitto.

Professionem Fidei Catholicae a Neo Conversis

iuxta Formam a Sacra Congragatione Sancti Officii Praescriptam

Supreme Sacred Congregation of Holy Office

20 July 1859

Pius PP IX

Coram sanctis Evangeliis, quae manu mea tango, et persuasus, neminem salvari posse sine ea fide, quam sancta, Catholica, Apostolica, Romana Ecclesia tenet, credit ac docet, et contra quam multum deliqui, admittendo ac credendo (quod nunc detestor) doctrinas, quae eius doctrinae contradicunt, ego N. nunc cum dolore et contritione de meis praeteritis erroribus credo sanctam, Catholicam, Apostolicam, Romanam Ecclesiam unicam et veram Ecclcsiam esse, quam Christus in terris fundavit, eique ex toto corde me subiicio. Credo omnes articulos, quos ipsa credendos proponit, ac reiicio et condemno omnia, quae ipsa reiicit et condemnat, et paratus sum omnia observare, quae ipsa mihi praecipit,

Credo in unum solum Deum, in tres Personas divinas, quae licet ab invicem distinctae, tamen coaequales sunt, videlicet in Patrem, in Filium et in Spiritum Sanctum. Insuper profiteor catholicam doctrinam de incarnatione, de passione, morte et resurrectione Domini nostri Iesu Christi, admitto unionem duarum naturarum,

divinae et humanae, in unicam personam, divinam maternitatem beatissimae Mariae sine labe conceptae, prout etiam eius immaculatam virginitatem.

Profiteor veram, realem, substantialem praesentiam corporis et sanguinis Domini nostri Iesu Christi una cum eius anima et divinitate in sanctissimo Altaris Sacramento. Septem esse sacramenta a Christo Domino ad humani generis sanctificationem instituta, videlicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium.

Credo in purgatorium, resurrectionem mortuorum, et vitam aeternam.

Admitto primatum non tantum honoris, sed etiam iurisdictionis Romani Pontificis, beati Petri principis apostolorum, ac Iesu Christi vicarii successoris.

Cultum sanctorum et eorum imaginum.

Auctoritatem apostolicae et ecclesiasticae Traditionis, et ita etiam sacrae Scripturae, guam in nullo alio sensu explicare et intelligere

debemus, praeter illum, guem tenuit ac etiam nunc tenet sancta mater Ecclesia Catholica.

Tandem omnia profiteor, quae per sacros canones, oecumenica concilia ac praesertim Tridentinum et Vaticanum stabilita et definita fuere.

Quare sincero corde et fide non ficta reiicio et anathematizo omnem errorem, omnem haeresim et sectam, quae praefatae sanctae, Catholicae et Apostolico Romanae Ecclesiae contraria sunt. Sic me Deus adiuvet et haec sancta Evangelia, quae manu tango.

Professio Orthodoxae Fidei

iuxta Formam a Summis Pontificibus Pio IV et Pio IX Praescriptam

Supreme Sacred Congregation of Holy Office

20 January 1877

Pius PP IX

Ego N. firma fide credo et profiteor omnia et singula, quae continentur in symbolo, quo sancta Romana ecclesia utitur, videlicet,

Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem caeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia saecula. Deum de Deo, Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de caelis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria virgine, et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est, et resurrexit tertia die, secundum scripturas, et ascendit in caelum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria, iudicare vivos et mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum, Dominum et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio

simul adoratur et conglorificatur, qui locutus est per prophetas. Et unam, sanctam, catholicam et apostolicam ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum, et vitam venturi saeculi. Amen.

Apostolicas et ecclesiasticas traditiones reliquasque eiusdem ecclesiae observationes et constitutiones firmissime admitto et amplector.

Item sacram scripturam iuxta eum sensum, quem tenuit et tenet sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione sacrarum scripturarum, admitto, nec eam umquam nisi iuxta unanimem consensum patrum, accipiam et interpretabor.

Profiteor quoque septem esse vere et proprie sacramenta novae legis a Iesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis, necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Paenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium, illaque gratiam conferre, et ex his Baptismum, Confirmationem et Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque et approbatos ecclesiae catholicae ritus in supradictorum omnium sacramentorum solemni administratione recipio et admitto.

Omnia et singula, quae de peccato originali et de iustificatione in sacrosancta Tridentina Synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio.

Profiteor pariter, in missa offerri Deo verum, proprium et propitiatorium sacrificium pro vivis et defunctis. Atque in sanctissimo Eucharistiae Sacramento esse vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem, una cum anima et divinitate Domini nostri Iesu Christi, fierique conversionem totius substantiae panis in corpus ac totius substantiae vini in sanguinem, quam conversionem ecclesia catholica transubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum verumque sacramentum sumi.

Constanter teneo, purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis iuvari. Similiter et sanctos, una cum Christo regnantes, venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas. Firmiter assero, imagines Christi ac Deiparae semper virginis, necnon aliorum sanctorum habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem et venerationem impertiendam.

Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse affirmo.

Sanctam, catholicam et apostolicam Romanam ecclesiam omnium ecclesiarum matrem et magistram agnosco, Romanoque Pontifici, Beati Petri apostolorum principis successori, ac Iesu Christi vicario, veram oboedientiam spondeo ac iuro.

Cetera item omnia a sacris canonibus et oecumenicis conciliis, ac praecipue a sacrosancta Tridentina Synodo, et ab oecumenico Concilio Vaticano tradita, definita et declarata, praesertim de Romani Pontificis primatu et infallibili magisterio, indubitanter recipio ac profiteor, simulque contraria omnia, atque haereses quascumque ab ecclesia damnatas et reiectas et anathematizatas ego pariter damno, reicio, et anathematizo.

Hanc veram catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor et veraciter teneo, eandem integram, et immaculatam usque ad extremum vitae spiritum, constantissime, Deo adiuvante, retinere et confiteri, atque a meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri et praedicari, quantum in me erit, curaturum, ego

idem N. spondeo, voveo ac iuro. Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei evangelia.

Professio Catholicae Fidei pro Graecis

iuxta Formulam a Summo Pontifico Gregorio XIII Praescriptam

Sacred Congregation for the Propagation of the Faith

16 July 1878

Leo PP XIII

Ego N. firma fide credo et profiteor omnia et singula quae continentur in Symbolo fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet,

Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem caeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia saecula, Deum de Deo, Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero, genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt, qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de caelis, et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria virgine et homo factus est, crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est, et resurrexit tertia die secundum Scripturas, et ascendit in caelum, sedet ad dexteram Patris, et iterum venturus est cum gloria, iudicare vivos et mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum, Dominum et vivificantem qui ex Patre Filioque procedit, qui cum Patre et Filio

simul adoratur et conglorificatur, qui locutus est per prophetas. Et unam sanctam catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et exspecto resurrectionem mortuorum, et vitam venturi saeculi. Amen.

Credo etiam, suscipio atque profiteor ea omnia, quae sacra oecumenica Synodus Florentina super unione occidentalis et orientalis Ecclesiae definivit et declaravit, videlicet,

quod Spiritus Sanctus a Patre et Filio aeternaliter est, et essentiam suam suumque esse subsistens habet ex Patre simul et Filio, et ex utroque aeternaliter, tamquam ab uno principio et unica spiratione procedit, cum id, quod sancti Doctores et Patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum Sanctum, ad hanc intelligentiam tendat, ut per hoc significetur, Filium quoque esse secundum Graecos quidem causam secundum Latinos vero principium subsistentiae Spiritus Sancti, sicut et Patrem. Cumque omnia quae Patris sunt, ipse Pater unigenito Filio suo gignendo dederit, praeter esse Patrem, hoc ipsum quod Spiritus Sanctus procedit ex Filio, ipse Filius a Patre aeternaliter habet, a quo aeternaliter etiam genitus est. Illamque verborum illorum "Filioque" explicationem, veritatis declarandae gratia, et imminente tunc necessitate, licite ac rationabiliter Symbolo fuisse appositam.

Item, in azymo sive fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici, sacerdotesque in altero ipsum Domini corpus conficere debere, unumquemque scilicet iuxta suae Ecclesiae, sive occidentalis sive orientalis consuetudinem.

Item, si vere paenitentes in Dei caritate decesserint, antequam dignis paenitentiae fructibus de commissis satisfecerint et omissis, eorum animas poenis purgatoriis post mortem purgari, et ut a poenis huiusmodi releventur, prodesse eis fidelium vivorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes et eleemosynas, et alia pietatis officia, quae a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundum Ecclesiae instituta. Illorumque animas, qui post baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quae post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem exutae corporibus, prout superius dictum est, sunt purgatae, in caelum mox recipi et intueri clare ipsum Deum trinum et unum, sicuti est, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius. Illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas.

Item diffinimus, sanctam Apostolicam Sedem, et Romanum Pontificem, in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri principis Apostolorum et verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiae caput et omnium Christianorum patrem ac doctorem exsistere, et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam ut eadem Florentina Synodus asserit, in gestis oecumenicorum Conciliorum et in sacris canonibus continetur.

Insuper profiteor ac recipio alia omnia, quae ex decretis sacrae oecumenicae generalis Synodi Tridentinae sacrosancta Romana et Apostolica Ecclesia, etiam ultra contenta in supradictis fidei Symbolis, profitenda ac recipienda proposuit atque praescripsit, ut sequitur,

Apostolicas et Ecclesiasticas traditiones reliquasque eiusdem ecclesiae observationes et constitutiones firmissime admitto et amplector. Item sacram Scripturam iuxta eum sensum, quem tenuit et tenet sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto, nec eam umquam nisi iuxta unanimem consensum Patrum, accipiam et interpretabor.

Profiteor quoque septem esse vere et proprie Sacramenta novae legis a Iesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis, necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Paenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium, illaque gratiam conferre, et ex his Baptismum, Confirmationem et Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque et approbatos Ecclesiae catholicae ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio et admitto. Omnia et singula, quae de peccato originali et de iustificatione in sacrosancta Tridentina Synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio.

Profiteor pariter, in Missa offerri Deo verum, proprium et propitiatorium sacrificium pro vivis et defunctis. Atque in sanctissimo Eucharistiae Sacramento esse vere, realiter et substantialiter Corpus et Sanguinem, una cum anima et divinitate Domini nostri Iesu Christi, fierique conversionem totius substantiae panis in Corpus ac totius substantiae vini in Sanguinem, quam conversionem Ecclesia catholica transubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum verumque Sacramentum sumi.

Constanter teneo, Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis iuvari. Similiter et Sanctos, una cum Christo regnantes, venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas. Firmiter assero, imagines Christi ac Deiparae semper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem et venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse affirmo.

Sanctam, catholicam et apostolicam Romanam Ecclesiam omnium ecclesiarum matrem et magistram agnosco, Romanoque Pontifici, beati Petri Apostolorum principis successori, ac Iesu Christi Vicario, veram oboedientiam spondeo ac iuro.

Cetera item omnia a sacris canonibus et oecumenicis Conciliis, ac praecipue a sacrosancta Tridentina Synodo, et ab oecumenico Concilio Vaticano tradita, definita et declarata, praesertim de Romani Pontificis Primatu et infallibili Magisterio, indubitanter recipio atque profiteor, simulque contraria omnia, et schismata, atque haereses quascumque ab Ecclesia damnatas et reiectas et anathematizatas ego pariter damno, reicio, et anathematizo.

Hanc veram Catholicam Fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor et veraciter teneo, eandem integram, et immaculatam usque ad extremum vitae spiritum, constantissime, Deo adiuvante, retinere et confiteri, atque a meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri et praedicari, quantum in me erit, curaturum, ego idem N. spondeo, voveo ac iuro. Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia.

Professio Catholicae Fidei pro Orientalibus

iuxta Formulam a Summo Pontifico Urbano VIII Praescriptam

Sacred Congregation for the Propagation of the Faith

16 July 1878

Leo PP XIII

Ego N. firma fide credo et profiteor omnia et singula quae continentur in Symbolo fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet,

Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem caeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia saecula, Deum de Deo, Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero, genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt, qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de caelis, et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria virgine et homo factus est, crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est, et resurrexit tertia die secundum Scripturas, et ascendit in caelum, sedet ad dexteram Patris, et iterum venturus est cum gloria, iudicare vivos et mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum, Dominum et vivificantem qui ex Patre Filioque procedit, qui cum Patre et Filio

simul adoratur et conglorificatur, qui locutus est per prophetas. Et unam sanctam catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et exspecto resurrectionem mortuorum, et vitam venturi saeculi. Amen.

Veneror etiam et suscipio universales Synodos, prout sequitur, videlicet,

Nicaenam primam, et profiteor, quod in ea contra Arium damnatae memoriae definitum est, Dominum Iesum Christum esse Filium Dei ex Patre natum unigenitum, id est ex substanta Patris natum, non factum, consubstantialem Patri, atque impias illas voces recte in eadem Synodo damnatas esse, “quod aliquando non fuerit”, aut “quod factus sit ex iis, quae non sunt, aut ex alia substantia vel essential”, aut “quod sit mutabilis vel convertibilis Filius Dei”.

Constantinopolitanam primam, secundam in ordine, et profiteor, quod in ea contra Macedonium damnatae memoriae definitum est, Spiritum Sanctum non esse servum, sed Dominum, non creaturam, sed Deum, ac unam habentem cum Patre et Filio deitatem.

Ephesinam primam, tertiam in ordine, et profiteor, quod in ea contra Nestorium damnatae memoriae definitum est, divinitatem et

humanitatem ineffabili et incomprehensibili unione in una persona Filii Dei unum nobis Iesum Christum constituisse, eaque de causa beatissimam Virginem vere esse Dei genitricem.

Chalcedonensem, quartam in ordine, et profiteor, quod in ea contra Eutychen et Dioscorum, ambos damnatae memoriae, definitum est, unum eundemque Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum perfectum esse in deitate, et perfectum in humanitate, Deum verum, et hominem verum ex anima rationali et corpore, consubstantialem Patri secundum deitatem, eundem consubstantialem nobis secundum humanitatem, per omnia nobis similem absque peccato, ante saecula quidem de Patre genitum secundum deitatem, in novissimis autem diebus eundem propter nos et propter nostram salutem ex Maria Virgine Dei genitrice secundum humanitatem unum eundemque Christum Filium Dominum unigenitum in duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum, nusquam sublata differentia naturarum propter unionem, magisque salva proprietate utriusque naturae in unam personam atque substantiam concurrente, non in duas personas partitum aut divisum, sed unum eundemque Filium et Unigenitum Deum Verbum Dominum Iesum Christum. Item eiusdem Domini nostri Iesu Christi divinitatem, secundum quam consubstantialis est Patri et Spiritu Sancto, impassibilem esse et

immortalem, eundem autem crucifixum et mortuum tantummodo secundum carnem, ut pariter definitum est in dicta Synodo et in epistola Sancti Leonis Romani Pontificis, cuius ore Beatum Petrum Apostolum locutum esse Patres in eadem Synodo acclamaverunt, per quam definitionem damnatur impia haeresis illorum, qui Trisagio ab angelis tradito et in praefata Chalcedonensi Synodo decantato, “Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis, miserere nobis”, addebant, “qui crucifixus es pro nobis” atque adeo divinam naturam trium personarum passibilem asserebant et mortalem.

Constantinopolitanam secundam, quintam in ordine, in qua praefatae Chalcedonensis Synodi definitio renovata est.

Contantinopolitanam tertiam, sextam in ordine, et profiteor, quod in ea contra Monothelitas definitum est, in uno eodemque Domino nostro Iesu Christo duas esse naturales voluntates et duas naturales operationes indivise, inconvertibilter, inseparabiliter, inconfuse, et humanam eius voluntatem non contrariam, sed subjectam divinae eius atque omnipotenti voluntati.

Nicaenam secundam, septimam in ordine, et profiteor, quod in ea contra Iconoclastas definitum est, imagines Christi ac Deiparae

Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem et venerationem impertiendam.

Constantinopolitanam quartam, octavam in ordine, et profiteor, in ea Photium merito fuisse damnatum et sanctum Ignatium Patriarcham restitutum.

Veneror etiam et suscipio omnes alias universales Synodos auctoritate Romani Pontificis legitime celebratas et confirmatas, et praesertim Florentinam Synodum, et profiteor, quae in ea definita sunt, videlicet,

Quod Spiritus Sanctus ex Patre et Filio aeternaliter est, et essentiam suam suumque esse subsistens habet ex Patre simul et Filio, et ex utroque aeternaliter, tamquam ab uno principio et unica spiratione procedit. Item dictionem illam “Filioque” veritatis declarandae gratia, et imminente necessitate, licite ac rationabiliter Symbolo fuisse appositam.

Item, in azymo sive fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici, sacerdotesque in altero ipsum Domini corpus conficere debere, unumquemque scilicet iuxta suae Ecclesiae, sive occidentalis sive orientalis consuetudinem.

Item, si vere paenitentes in Dei caritate decesserint, antequam dignis paenitentiae fructibus de commissis satisfecerint et omissis, eorum animas poenis purgatoriis post mortem purgari, et ut a poenis huiusmodi releventur, prodesse eis fidelium vivorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes et eleemosynas, et alia pietatis officia, quae a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundum Ecclesiae instituta. Illorumque animas, qui post baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quae post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem exutae corporibus, prout superius dictum est, sunt purgatae, in caelum mox recipi et intueri clare ipsum Deum trinum et unum, sicuti est, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius. Illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas.

Item diffinimus, sanctam Apostolicam Sedem, et Romanum Pontificem, in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri principis Apostolorum et verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiae caput et omnium Christianorum patrem ac doctorem exsistere, et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam

a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam ut eadem Florentina Synodus asserit, in gestis oecumenicorum Conciliorum et in sacris canonibus continetur.

Item, legalia Veteris Testamenti, seu Mosaicae legis, quae dividuntur in ceremonias, sacra sacrificia, et sacramenta, Domino nostro Iesu Christo adveniente, cessasse, et post promulgatum Evangelium, sine peccato observari non posse. Eiusdem etiam Legis Veteris ciborum mundorum et immundorum differentiam ad ceremonialia pertinere, quae surgente Evangelio transierunt. Illam etiam Apostolorum prohibitionem 'ab immolatis simulacrorum, et sanguine, et suffocato', illi tempori congruisse, ut inter Iudaeos et Gentiles dissensionis materia tolleretur, cuius apostolicae prohibitionis causa cessante, etiam cessavit effectus.

Pariter veneror et suscipio Tridentinam Synodum, et profiteor, quae in ea definita et declarata sunt, et praesertim offerri Deo in Missa verum, proprium et propitiatorium sacrificium, pro vivis et defunctis, atque in sanctissimo Eucharistiae sacramento, iuxta fidem, quae semper in Ecclesia Dei fuit, contineri vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem una cum anima et divinitate Domini nostri Jesu Christi ac proinde totum Christum, fierique

conversionem totius substantiae panis in corpus et totius substantiae vini in sanguinem, quam conversionem catholica Ecclesia aptissime transsubstantiationem appellat, et sub unaquaque specie, et singulis cuiusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri.

Item septem esse Novae Legis sacramenta a Christo Domino nostro instituta ad salutem humani generis, quamvis non omnia singulis necessaria, videlicet baptismum, confirmationem, Eucharistiam, paenitentiam, extremam unctionem, ordinem et matrimonium, illaque gratiam conferre, et ex his baptismum, confirmationem et ordinem iterari non posse. Item baptismum esse necessarium ad salutem, ac proinde, si mortis periculum immineat, mox sine ulla dilatione conferendum esse, et a quocumque et quandocumque sub debita materia et forma et intentione collatum esse validum. Item sacramenti matrimonii vinculum indissolubile esse, et quamvis propter adulterium, haeresim aut alias causas possit inter coniuges thori et cohabitationis separatio fieri, non tamen illis aliud matrimonium contrahere fas esse.

Item apostolicas et ecclesiasticas traditiones suscipiendas esse et venerandas. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo Ecclesiae relictam fuisse, illarumque usum christiano populo maxime

salutarem esse. Pariter, quae de peccato originali, de iustificatione de sacrorum librorum tam Veteris quam Novi Testamenti indice et interpretatione in praefata Tridentina Synodo definita sunt, suscipio et profiteor.

Item veneror et suscipio oecumenicam synodum Vaticanam, atque omnia ab eadem tradita, definita et declarata, praesertim de Romani Pontificis primatu ac de eius infallibili magisterio, firmissime amplector et profiteor.

Cetera item omnia suscipio et profiteor, quae recipit et profitetur sancta Romana Ecclesia, simulque contraria omnia, et schismata et haereses ab eadem Ecclesia damnatas, reiectas et anathematizatas, ego pariter damno, reicio et anathematizo.

Insuper Romano Pontifici beati Petri principis Apostolorum successori ac Iesu Christi vicario veram oboedientiam spondeo ac iuro.

Hanc fidem catholicae Ecclesiae, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor et veraciter teneo, eandem integram et inviolatam usque ad extremum vitae spiritum constantissime, Deo adiuvante, retinere et confiteri, atque a meis

subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri et praedicari, quantum in me erit, curaturum, ego idem N. spondeo, voveo ac iuro. Sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei Evangelia.

Formula Brevior Professionis Fidei pro Haereticis Occidentalibus

Supreme Sacred Congregation of Holy Office

1890

Pius PP XII

Ego N., annos … natus, coram te a Reverendissimo Ordinario Delegato genibus provolutus, et sacrosanctum Evangeliorum librum manu attrectans, cum probe sciam neminem posse salvum fieri extra fidem, quam sancta, catholica et romana Ecclesia tenet, profitetur, et docet, sincere doleo quod ab hac fide multum defecerim, quippe qui opiniones tenui, quae Ecclesiae doctrinae adversantur.

Impraesentiarum, divina gratia collustratus, credere me profiteor, sanctam, catholicam, apostolicam et Romanam Ecclesiam esse unicam et veram a Iesu Christo in terris institutam Ecclesiam, cui me toto corde subiicio. Quos fidei articulos ipsa mihi credendos proponit, hos ego firmiter credo. Quidquid autem ipsa reprobat et condemnat, hoc et ego reprobo et damno, sumque paratus exsequi quaecumque ipsa mihi facienda praecipit. Signanter vero sequentia puncta credere me profiteor, scilicet,

Deum unum in essentia et trinum in distinctis aequalibus personis, quae Pater et Filius et Spiritus Sanctus nominantur.

Doctrinam catholicam de incarnatione, passione, morte et resurrectione Domini nostri Iesu Christi, utriusque naturae, divinum nimirum et humanae, in eo hypostaticam unionem, divinam Beatae Virginis Mariae cum integerrima eius Virginitate coniunctam Maternitatem, immaculatumque insuper eius conceptum.

Veram, realem substantialemque Corporis Domini nostri Iesu Christi praesentiam una cum eius anima et divinitate in Sanctissimo Eucharistiae Sacramento.

Septem a Iesu Christo Domino nostro ad salutem humani generis instituta Sacramenta, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, et Matrimonium.

Credo insuper Purgatorium, resurrectionem mortuorum, et vitam aeternam.

Credo, non solum honoris, verum etiam iurisdictionis Primatum esse penes Romanum Pontificem, Beati Petri Apostolorum Principis Successorem ac Iesu Christi Vicarium.

Credo impertiendum esse cultum Sanctis eorumque imaginibus.

Credo apostolicarum ecclesiasticarumque Traditionum et Sacrae Scripturae auctoritatem, iuxta sensum quem tenuit ac tenet sancta Mater Ecclesia, cuius solius est de eorum sensu atque interpretatione iudicare.

Credo item caetera omnia, quae a sacris Canonibus, oecumenicis Conciliis ac praecipue a sacrosancto Tridentino Concilio atque ab oecumenico Concilio Vaticano definita fuerunt ac declarata.

Propterea, animo sincero, fide non ficta, omnem errorem, haeresim et sectam, supradictae catholicae, apostolicae et Romanae Ecclesiae contrariam, detestor atque eiuro.

Ita me Deus adiuvet et sancta haec, quae manu tango, Dei Evangelia. Ego N. propria manu subscripsi hanc de sincera mea conversione et in verae Ecclesiae sinum regressione schedulam, quam clara voce pronuntiavi.

Formula Brevior Professionis Fidei

pro Haereticis seu Schismaticis Orientalibus

Sacred Congregation for the Propagation of the Faith

1890

Leo PP XIII

Ego N. firma fide teneo et profiteor omnia et singula, quae continentur in symbolo fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet,

Credo in unum Deum Patrem omnipotentem factorem caeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Iesum Christum Filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia saecula, Deum de Deo, Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt, qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de caelis, et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria virgine, et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die, secundum Scripturas, et ascendit in caelum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos et mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit, qui cum Patre et Filio

simul adoratur et conglorificatur, qui locutus est per prophetas. Et unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum, et vitam venturi saeculi. Amen.

Credo Dominum Nostrum lesum Christum Deum et hominem esse, perfectum Deum perfectumque hominem, divinitatem et humanitatem ineffabili et incomprehensibili unione in una persona Filii Dei, unum nobis lesum Christum constituisse, eaque de causa Beatissimam Virginem immaculate conceptam vere esse Dei Genitricem, duas in ipso Christo esse inconfuse naturas, duasque naturales voluntates, et duas naturales operationes.

Credo septem esse vere et proprie Sacramenta Novae Legis a Christo Domino Nostro instituta ad salutem humani generis, quamvis non omnia singulis necessaria, videlicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, et Matrimonium, illaque gratiam conferre, et ex his Baptismum, Confirmationem et Ordinem iterari non posse.

Credo in azymo sive fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici, ac sub altera tantum specie totum atque integrum Christum sumi.

Credo matrimonii vinculum indissolubile esse, et quamvis propter adulterium, haeresim, aut alias causas possit inter coniuges thori et cohabitationis separatio fieri, non tamen illis aliud matrimonium contrahere fas esse.

Credo, si vere poenitens in Dei caritate decesserint, antequam dignis poenitentiae fructibus de commissis satisfecerint et omissis, eorum animas poenis Purgatorii post mortem purgari, et ut a poenis huiusmodi releventur, prodesse eis fidelium vivorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes et eleemosynas et alia pietatis officia, quae a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt, secundum Ecclesia instituta, illorumque animas qui post Baptismum susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam quae post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem exutae sunt purgatae, in caelum mox recipi, et intueri clare Deum trinum et unum, sicuti est, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius, illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas.

Credo Sanctam Apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum et ipsum Pontificem

successorem esse Beati Petri Principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae caput et omnium Christianorum Patrem et Doctorem existere, et ipsi in Beato Petro pascendi regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino Nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse.

Caetera item omnia a Sacratissimis Canonibus et Oecumenicis Conciliis, ac praecipue a Florentina, Tridentina, et Vaticana Synodo tradita definita ac declarata, praesertim de Romani Pontiticis primatu et infallibili magisterio, indubitanter recipio atque profiteor, simulque contraria omnia et schismata et haereses ab Ecclesia damnatas, ego quoque reiicio et damno. Hanc veram fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam sponte profiteor, et veraciter teneo, hanc ipsam omnino usque ad extremum vitae meae spiritum, Deo adiuvante, volo retinere et profiteri.

Sic ego N. promitto et iuro. Sic me Deus adiuvet et haec Sancta Dei Evangelia.

Formula Brevis Professionis Fidei pro Iudimagistris

…

1890

Leo PP XIII

Ego N. firma fide credo atque profiteor omnia et singula mysteria religionis nostrae et omnia quae nobis credenda proponit Sancta Mater Ecclesia. Errores omnes ab Ecclesia Catholica Apostolica Romana damnatos ego partier abominor et damno. Sic me Deus adiuvet et protegat. Amen.

Professionem Fidei Catholicae a Neo Conversis Emittendam

iuxta Praescriptionem Sacra Congregatione Sancti Officii

Supreme Sacred Congregation of Holy Office

1890

Leo PP XIII

Ego N. filius (filia) N. aetatem agens …, genuflexus (genuflexa) coram te N. coram me habens ac tangens mea manu sacrosancta Evangelia, persuasus (persuasa) nullum posse aeternam consequi salutem, nisi credat, quod tenet et credit, praedicat et docet sancta Catholica et Apostolica Romana Ecclesia, contra quam doleo me graviter erasse, quia natus (nata) extra ipsam, tenui et credidi errores ipsius doctrinae contrarios.

Nunc divina gratia illustratus (illustrata) me credere profiteor sanctam Ecclesiam Catholicam Apostolicam Romanam unicam et veram esse ecclesiam a Iesu Christo in terra fundatam, cui ex toto corde me subiicio. Credo omnes fidei articulos, quos ipsa mihi credendos proponit, reiicio et damno quidquid ipsa reiicit et damnat, et paratus (parata) sum servare quidquid ipsa mihi praecipit, et specialiter me credere profiteor,

Unum solum Deum in tribus Personis distinctis et aequalibus, scilicet Patre, Filio, et Spirito Sancto. Catholicam doctrinam de incarnatione, passione, morte et resurrectione Domini nostri Iesu Christi, et unionem hypostaticam duarum naturarum, divinae et humanae, divinam maternitatem sanctissimae virginis Mariae, una cum integerrima eius virginitate et immaculata conceptione.

Praesentiam veram, realem, et substantialem corporis una cum anima et divinitate Domini nostri Iesu Christi in sanctissimo Eucharistiae Sacramento. Septem sacramenta a Iesu Christo instituta pro humani generis salute, scilicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, et Matrimonium.

Purgatorium, resurrectionem, vitam aeternam.

Primatum non solum honoris, sed etiam iurisdictionis Romani Pontificis, successoris sancti Petri, principis apostolorum, et vicarii infallibillis Iesu Christi.

Cultum sanctorum et eorum imaginum.

Auctoritatem apostolicarum et ecclesiasticarum Traditionum, itemque sacrarum Scripturarum, quas non licet interpretari et intelligere nisi eo sensu, quem tenuit ac tenet sancta mater Ecclesia Catholica.

Cetera item omnia a sacris canonibus et oecumenicis conciliis, ac praecipue a sacrosancta Tridentina et Vaticana Synodo definita et declarata.

Quapropter cum corde sincero, et fide non ficta detestor et abiuro omnes errores, haereses, et sectas, dictae sanctae Catholicae et Apostolicae Romanae Ecclesiae contraria. Sic me Deus adiuvet et haec sancta eius Evangelia, quae propriis manibus tango.

Ego N. praedictus (praedicta) huic syngrapho sincerae meae conversionis et reditus in gremium eiusdem ecclesiae mea manu subscripsi, postquam eam ad verbum recitavi.

Iusiurandum Contra Errores Modernismi

Pius PP X

1 September 1910

Pius PP X

Ego N. firmiter amplector ac recipio omnia et singula, quae ab inerranti Ecclesia magisterio definita, adserta ac declarata sunt, praesertim ea doctrinae capita, quae huius temporis erroribus directo adversantur.

Ac primum quidem, Deum, rerum omnium principium et finem, naturali rationis lumine "per ea quae facta sunt" hoc est, per visibilia creationis opera, tamquam causam per effectus, certo cognosci, adeoque demonstrari etiam posse, profiteor.

Secundo, externa revelationis argumenta, hoc est facta divina, in primisque miracula et prophetias admitto et agnosco tanquam signa certissima divinitus ortae christianae religionis, eademque tenea aetatum omnium atque hominum, etiam huius temporis, intelliegentiae esse maxime accommodata.

Tertio, firma pariter fide credo Ecclesiam, verbi revelati custodem et magistram, per ipsum verum atque historicum Christum, cum apud

nos degeret, proximo ac directo institutam eandemque super Petrum, apostolicae hierarchiae principem, eiusque in aevum successores aedificatam.

Quarto, fidei doctrinam ab Apostolis per orthodoxos Patres eodem sensu eademque semper sententia ad nos usque transmissam, sincero recipio, ideoque prorsus reicio haereticum commentum evolutionis dogmatum, ab uno in alium sensum transeuntium, diversum ab eo, quem prius habuit Ecclesia, pariterque damno errorem omnem, quo, divino deposito, Christi Sponsae tradito ab eaque fideliter custodiendo, sufficitur philosophicum inventum, vel creatio humanae conscientiae, hominum conatu sensim efformatae et in posterum indefinito progressu perficiendae.

Quinto, certissime teneo ac sincere profiteor, fidem non esse caecum sensum religionis e latrebis subconscientiae erumpentem, sub pressione cordis et inflesione voluntatis maraliter informatae, sed verum assensum intellectus veritati extrinsecus acceptae "ex auditu", quo nempe, quae a Deo personali, creatore ac Domino nostro dicta, testata et revelata sunt, vera esse credimus, propter Dei auctoritatem summe veracis.

Me etiam, qua par est, reverentia subicio totoque animo adhaereo damnationibus, declarationibus, praescriptis omnibus, quae in Encyclicis litteris "Pascendi" et in Decreto "Lamentabili" continentur, praesertim circa eam quam historiam dogmatum vocant.

Idem reprobo errorem affirmantium, propositam ab Ecclesia fidem posse historiae repugnare, et catholica dogmata, quo sensu nunc intelliguntur, cum verioribus christianae religionis originibus componi non posse.

Damno quoque ac reicio eorum sententiam, qui dicunt christianum hominem eruditiorem induere personam duplicem, aliam credentis, aliam historici, quasi liceret historico ea retinere, quae credentis fidei contradicant, aut praemissas adstruere, ex quibus consequatur, dogmata esse aut falsa aut dubia, modo haec directo non denegentur.

Reprobo pariter eam Scripturae sanctae diiudicandae atque interpretandae rationem, quae, Ecclesiae traditione, analogia fidei et Apostolicae Sedis normis posthabitis, rationalistarum comentis inhaeret, et criticem textus velut unicam supremamque regulam haud minus licenter quam temere amplectitur.

Sententiam praeterea illorum reicio, qui tenent, doctori disciplinae historicae theologicae tradendae aut iis de rebus scribenti seponendam prius esse opinionem ante conceptam sive de supernaturali origine catholicae traditionis, sive de promissa divinitus ope ad perennem conservationem uniuscuiusque revelati veri, deinde scripta Patrum singulorum interpretanda solis scientiae principiis, sacra qualibet auctoritate seclusa, eaque iudicii libertate, qua profana quaevis monumenta solent investigari.

In universum denique me alienissimum ab errore profiteor, quo modernistae tenent in sacra traditione nihil inesse divini, aut, quod longe deterius, pantheistico sensu illud admittunt, ita ut nihil iam restet nisi nudum factum et simplex, communibus historiae factis aequandum, hominum nempe sua industria, solertia, ingenio scholam a Christo eiusque Apostolis inchoatam per subsequentes aetates continuantium.

Proinde fidem Patrum firmissime retineo et ad extremum vitae spiritum retinebo, de charismate veritatis certo, quod est, fuit eritque semper in “episcopatus ab Apostolis successione”, non ut id teneatur, quod melius et aptius videri possit secundum suam cuiusque aetatis culturam, sed ut “numquam aliter credatur,

numquam aliter” intelligatur absoluta et immutabilis veritas ab initio per Apostolos praedicata.

Haec omnia spondeo me fideliter, integre sincereque servaturum et inviolabiliter custoditurum, nusquam ab iis sive in docendo sive quomodolibet verbis scriptisque deflectendo. Sic spondeo, sic iuro, sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia.

Brevior Professionis Fidei Formula pro Locis Missionum

Professionem Fidei Catholicae a Neo Conversis

Supreme Sacred Congregation of Holy Office

28 March 1942

Pius PP XII

Ego N. manu tangens sacra Dei Evangelia, divina gratia illustratus, profiteor fidem quam proponit Ecclesia Catholica, Apostolica, Romana. Credo illam esse unicam et veram Ecclesiam, quam Iesus Christus in terra fundavit eique me toto corde subiicio.

Credo in Deum, Patrem omnipotentem, creatorem caeli et terrae. Et in Iesum Christum, Filium eius unicum, Dominum nostrum, qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, et sepultus, descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis, ascendit ad caelos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis, inde venturus est iudicare vivos et mortuos. Credo in Spiritum Sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam, sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam aeternam. Amen.

Credo septem sacramenta a Iesu Christo instituta esse pro humani generis salute, scilicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium.

Credo Romanum Pontificem esse Vicarium Iesu Christi in terris, caput supremum visibile, totius Ecclesiae, qui docet infallibiliter credenda et agenda.

Credo praeterea omnia quae Sancta Ecclesia Catholica, Apostolica et Romana definit et declarat esse credenda. Ei, toto corde adhaereo, et reiicio omnes errores et schismata ab ea damnata.

Sic me Deus adiuvet et haec sancta eius Evangelia, quae manu tango.

Formula Nova Professionis Fidei

Theological Commission of Second Vatican Council

9 November 1961

Ioannes PP XXIII

Ego N. firma fide credo et profiteor omnia et singula, quae continentur in symbolo fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet,

Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem caeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei Unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia saecula. Deum de Deo, Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de caelis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die, secundum Scripturas. Et ascendit in caelum, sedet ad dexteram Patris, et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos et mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum, Dominum et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit, qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur, qui locutus est per Prophetas. Et

unam sanctam catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum, et vitam venturi saeculi. Amen.

Firmiter quoque recipio omnia et singula, quae ab inerranti Ecclesia sive sollemni iudicio definita, siver ordinario et universali magisterio adserta et declarata sunt, praesertim ea quae erroribus huius temporis adversantur.

Ac primum profiteor Deum personalem, rerum omnium principium et finem, naturali rationis lumine, per ea quae facta sunt, tamquam causam per effectus, certo cognosci adeoque demonstrari posse, eundemque ut Dominum supremum non tantum a singulis hominibus, sed etiam a civili societate esse agnoscendum.

Indubitanter quoque credo unum eundemque esse Iesum Christum, quem fide verum Deum profitemur et cuius vitam in terris Evangelia testantur, ipsumque Mediatorem agnosco, qui sacrificio Crucis pro totius humani generis peccatis divinae iustitiae satisfecit.

Immaculatam semperque Virginem Mariam, Dei Genitricem hominumque Matrem, ab Ecclesia singulariter colendam testificor,

eiusque cultu genuino cultum Dei et Iesu Christi, non minui, immo potius augeri declaro.

Unicam Iesu Christi Ecclesiam, salutis arcam, fide admitto, eam nempe quam ipse condidit et sanguine suo acquisivit, et pascendam tradidit Sancto Petro, Apostolorum Principi, et successoribus eius, Romanis Pontificibus, quibus veram obedientiam spondeo ac iuro, quorumque supremo magisterio, etiam in lege naturali explicanda, sincere me subiicio. Episcopos autem in communione et sub auctoritate Romani Pontificis, Apostolorum successores esse agnosco.

Credo esse septem vere et proprie dicta Novae Legis Sacramenta, a Iesu Christo instituta, quibus gratia quam significant, confertur, nullam autem esse salutem nisi per Baptismum, Ecclesiae ostium, sive re sive voto susceptum.

Sacrificium Missae, a solo sacerdote, rite ordinato, prout Christi Summi Sacerdotis personam gerit, confici eiusque divinam immolari victimam profiteor, a fidelibus autem eandem victimam cum sacerdote et per sacerdotem Deo Patri offerri.

Praeterea adoro Sanctissimae Eucharistiae Sacramentum, in Sacrificio incruento confectum, et credo in eo contineri vere et realiter et substantialiter Corpus et Sanguinem una cum anima et divinitate Domini Nostri Iesu Christi, itemque credo verbis consecrationis fieri conversionem totius substantiae panis in Corpus, totiusque substantiae vini in Sanguinem Domini, quam conversionem Catholica Ecclesia aptissime Transubstantiationem appellat. Insuper profiteor etiam sub alterutra specie totum et integrum Christum adesse, verumque sumi Sacramentum.

Recepta quoque ab Ecclesia Sacramentalia recipio. Indulgentias pro vivis et defunctis admitto, Sanctorum invocationem itemque eorum reliquiarum et imaginum venerationem populo christiano salutares esse detineo.

Peccatum originale, quo omnes homines in protoparente Adam peccaverunt, veri nominis peccatum, generatione transmissum et unicuique proprium, sincera fide admitto.

Externa revelationis argumenta, imprimisque miracula et prophetias agnosco tamquam signa certissima, quibus divinitus orta christiana religio invicte demonstratur, eademque retineo etiam hodie humanae intelligentiae esse accomodata. Teneo quoque Ecclesiam

ipsam, in se consideratam, propter suam catholicam unitatem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis foecunditatem, ob mirabilem propagationem invictamque stabilitatem perpetuum esse motivum credibilitatis et divinae suae legationis testimonium irrefragabile.

Fidei doctrinam ab Apostolis per ortodoxos Patres eodem sensu eademque sententia usque ad nos transmissam sincere recipio. Quare etsi crescit in Ecclesia veritatis revelatae intelligentia, tamen sententiam evolutionis dogmatum decursu temporum in alium sensum transeuntium ab eo quem semel docuit Ecclesia, veluti haereticam reiicio.

Depositum fidei, seu verbum Dei cum scriptum tum traditum cum Apostolis completum esse retineo. Sacram Scripturam, a quovis errore immunem, ductu Magisterii Ecclesiae, ad normam Traditionis et secundum analogiam fidei explicandam esse firmiter teneo.

Fidem non esse caecum sensum religionis vel solum animi effectum profiteor, sed verum assensum intellectus veritati extrinsecus acceptae ex auditu, quo nempe quae a Deo personali revelata et testata sunt, vera esse credimus propter Dei auctoritatem summe

veracis, cui credendo plenum obsequium intellectus et voluntatis, adspirante et adiuvante Dei gratia, praestamus.

Caetera item omnia ab Oecumenicis Conciliis ac praecipue a Sacrosancta Tridentina Synodo et ab Oecumenico Concilio Vaticano primo, definita ac declarata, praesertim de Romani Pontificis primatu iurisdictionis et infallibili magisterio, indubitanter profiteor, sicut damno et reiicio ea quae in iisdem Conciliis et Encyclicis Litteris, nominatim Pascendi et Humani Generis, damnata atque reiecta sunt.

Hanc veram catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, in praesenti sponte profiteor et veraciter teneo, eandemque integram et inviolatam usque ad extremum vitae spiritum, constantissime, Deo adiuvante, a me meisque subditis retinendam curabo. Sic idem ego N. coram Deo et Iesu Christo, qui me iudicaturus est in vitam vel poenam aeternam spondeo, voveo et iuro. Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia.

Formula Deinceps Adhibenda in Casibus

in Quibus Iure Praescribitur Professio Fidei

Loco Formulae Tridentinae et Iuramenti Antimodernistici

Sacred Congregation for the Doctrine of the Faith

17 July 1967

Paulus PP VI

Ego N. firma fide credo et profiteor omnia et singula quae continentur in symbolo fidei, videlicet,

Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem caeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium et in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia saecula, Deum de Deo, Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, consubstantialem Patri per quem omnia facta sunt, qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de caelis, et incarnatus est de Spiritu Sancto, ex Maria Virgine, et homo factus est, crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est, et resurrexit tertia die secundum Scripturas, et ascendit in caelum, sedet ad dexteram Patris, et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos et mortuos, cuius regni non erit finis, et in Spiritum Sanctum Dominum et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit, qui cum Patre et Filio

simul adoratur et conglorificatur qui locutus est per Prophetas, et unam sanctam catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum, et expecto resurrectionem mortuorum, et vitam venturi saeculi. Amen.

Firmiter quoque amplector et retineo omnia et singula quae circa doctrinam de fide et moribus ab Ecclesia, sive sollemni iudicio definita sive ordinario magisterio adserta ac declarata sunt, prout ab ipsa proponuntur, praesertim ea quae respiciunt mysterium sanctae Ecclesiae Christi, eiusque Sacramenta et Missae Sacrificium atque Primatum Romani Pontificis.

Sollemnis Professio Fidei

Jacques Maritain & Paulus PP VI

30 June 1968

Paulus PP VI

Credimus in unum Deum, Patrem, Filium et Spiritum Sanctum, Creatorem rerum visibilium, cuiusmodi est hic mundus ubi nostram degimus vitam, rerumque invisibilium, cuius generis sunt puri spiritus, quos etiam angelos appellamus, itemque Creatorem, in unoquoque homine, animae spiritualis et immortalis.

Credimus in hunc unum Deum, qui ita absolute unus est in sua sanctissima essentia, ut in ceteris suis perfectionibus, in sua onnipotentia, in sua scientia infinita, in sua providentia, in sua voluntate et caritate. Ille est qui est, ut ipse Moisi revelavit, ille est amor, ut nos Ioannes Apostolus docuit, ita ut duo haec nomina, Esse et Amor, supra quam dici potest divinam eandem exprimant Illius veritatem, qui seipsum nobis manifestavit, quique lucem habitans inaccessibilem est in seipso super omne nomen, superque omnes res et intellegentias creatas. Deus unus potest nobis suipsius veram plenamque impertire cognitionem, seipsum revelans uti Patrem, Filium et Spiritum Sanctum, cuius nos per gratiam ad aeternam vitam participandam vocamur, hisce in terris in obscuritate fidei, et

post mortem in sempiterna luce. Mutua vincula, ex omni aeternitate Tres Personas constituentia, quarum unaquaeque est unum idemque Esse divinum, beatam efficiunt intimam sanctissimi Dei vitam, quae infinite omne id superat, quod nos uti homines intellegere possumus. Quam ob causam gratias divinae bonitati agimus, quod quam plurimi credentes coram hominibus nobiscum Unitatem Dei testari possunt, quamvis mysterium sanctissimae Trinitatis non cognoscant.

Credimus igitur in Deum, qui in omni aeternitate parit Filium, credimus in Filium, Verbum Dei, qui in aeternum gignitur, credimus in Spiritum Sanctum, Personam increatam, qui a Patre Filioque ut sempiternus eorum Amor procedit. Ita in tribus Personis divinis, quae sunt coaeternae sibi et coaequales, vita et beatitudo Dei plane unius quam maxime abundant et consummantur, summa cum excellentia et gloria propria Eius qui est neque creatus est, ita ut et unitas in Trinitate et Trinitas in unitate veneranda sit.

Credimus in Dominum nostrum Iesum Christum, qui est Filius Dei. Ipse est Verbum aeternum, natus ex Patre ante omnia saecula et consubstantialis Patri, seu homoousios to Patri, per quem omnia facta sunt. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine et homo factus est, aequalis ergo Patri secundum divinitatem, minor

Patre secundum humanitatem, unus omnino non confusione quae fieri non potest substantiae, sed unitate personae.

Ipse habitavit in nobis plenus gratiae et veritatis. Annuntiavit et constituit Regnum Dei, efficiens ut nos Patrem cognosceremus. Dedit nobis mandatum, ut nos invicem diligeremus, quemadmodum ipse dilexit nos. Docuit nos viam Beatitudinum evangelicarum, ex quibus essemus pauperes in spiritu, et mites, dolores toleraremus in patientia, sitiremus iustitiam, essemus misericordes, mundi corde, pacifici, persecutionem pateremur propter iustitiam. Passus est sub Pontio Pilato, Agnus Dei, suscipiens peccata mundi, mortuus est pro nobis Cruci affixus, sanguine redemptionis afferens nobis salutem. Postquam sepultus est, propria virtute resurrexit tertia die, ad consortium vitae divinae, quae est gratia, Resurrectione sua nos evehens. Ascendit in caelum, unde iterum venturus est ad iudicandos vivos et mortuos, unumquemque secundum merita, qui Amori et Pietati Dei responderunt, ibunt in vitam aeternam, qui vero ea usque ad exitum respuerunt, igni addicentur interituro numquam.

Et regni eius non erit finis.

Credimus in Spiritum Sanctum, Dominum et vivificantem, qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur. Qui locutus est per Prophetas, hic missus est nobis a Christo post eius Resurrectionem et Ascensionem ad Patrem, ipse illuminat, vivificat, tuetur ac regit Ecclesiam, cuius purificat membra, dummodo gratiam ne aversentur. Eius opera, quae ad intimum animum permanat, homo, in humilitate ex Christo hausta, fieri potest perfectus, sicut Pater, qui in caelis est, perfectus est.

Credimus Beatam Mariam virginali semper florentem honore, Matrem fuisse Verbi Incarnati, Dei nostri et Salvatoris Iesu Christi, eamque intuitu meritorum Filii sui sublimiore modo redemptam, ab omni originalis culpae labe praeservatam immunem et dono gratiae omnibus aliis creaturis longe antecellere.

Arcto et indissolubili vinculo mysterio incarnationis et redemptionis coniuncta, Beatissima Virgo Maria, Immaculata, expleto terrestris vitae cursu, corpore et anima ad caelestem gloriam est assumpta et Filio suo, qui resurrexit a mortuis, similis reddita, sortem omnium iustorum in antecessum accepit, credimus Sactissimam Dei Genitricem, novam Hevam, Matrem Ecclesiae, caelitus pergere materno munere fungi circa Christi membra, eo quod operam

conferat ad gignendam augendamque vitam divinam in animis hominum redemptorum.

Credimus in Adam omnes peccavisse, ex quo fieri, ut propter originalem culpam ab illo commissam natura humana, universis hominibus communis, ad eam adducatur condicionem, in qua damna inde secuta patiatur, hanc vero non eam esse, in qua primi parentes nostri sint versati, utpote in sanctitate et iustitia constituti et in qua homo expers fueri mali et mortis. Itaque humana natura lapsa, gratiae munere quo antea erat ornata, est destituta, atque in suae ipsius naturae viribus sauciata, mortis imperio est subiecta, quae in omnes homines pertransit, qua quidem ratione omnis homo nascitur in peccato.

Tenemus igitur, Concilium Tridentinum secuti, peccatum originale, una cum natura humana, transfundi propagatione, non imitatione, idque esse unicuique proprium.

Credimus Dominum nostrum Iesum Christum crucis sacrificio nos redemisse a peccato originali et ab omnibus peccatis personalibus, ab unoquoque nostrum admissis, ita ut vera extet Apostoli sententia, ubi autem abundavit delictum, superabundavit gratia.

Confitemur credentes unum baptisma a Domino nostro Iesu Christo in remissionem peccatorum institutum. Baptismum etiam infantibus esse conferendum, qui peccato personali contaminari non dum potuerint, ita ut, gratia supernaturali carentes in ortu renascantur ex aqua et Spiritu Sancto ad vitam divinam in Christo Iesu.

Credimus in unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam, a Iesu Christo super petram, qui est Petrus, aedificatam. Ea est mysticum Christi Corpus, societas aspectabilis, organis hierarchicis instructa, et communitas spiritualis, Ecclesia terrestris, Populus Dei hic in terris peregrinans, et Ecclesia caelestibus bonis ditata, germen et initium Regni Dei, quo opus et cruciatus redemptionis per hominum aetates continuantur, et quod totis viribus perfectam consummationem exoptat, post finem temporum in caelesti gloria assequendam. Ecclesiam suam Dominus Iesus per Sacramenta, quae ab ipsius plenitudine manant, conformat. His enim facit, ut membra sua mysterium Mortis et Resurrectionis Iesu Christi participent, gratia afflante Spiritus Sancti, qui illi vitam agendique facultatem impertit. Est igitur sancta, licet in sinu suo peccatores complectatur, nam ipsa non alia fruitur vita, quam vita gratiae, hac profecto si aluntur, membra illius sese sanctificant, si ab eadem se removent, peccata sordesque animi contrahunt, quae obstant, ne sanctitas eius radians diffundatur. Quare affligitur et paenitentiam agit pro

noxis, potestatem habens ex his Sanguine Christi et dono Spiritus Sancti filios suos eximendi.

Divinarum heres promissionum atque Abrahae filia secundum Spiritum, per illum scilicet Israel, cuius et sacros Libros amanter tuetur et Patriarchas Prophetasque pie veneratur, super fundamentum Apostolorum aedificata, quorum per saeculorum decursum sive verbum semper vivax sive proprias Pastorum potestates in Petri Successore et in Episcopis, communionem cum ipso servantibus, fìdeliter tradit, perpetuo denique Sancti Spiritus patrocinio fruens, Ecclesia munus obtinet illius servandae, docendae, explicandae atque pervulgandae veritatis, quam per Prophetas quadamtenus adumbratam Deus per Dominum Iesum perfecte absoluteque hominibus revelavit, Nos ea omnia credimus, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur et ab Ecclesia sive sollemni iudicio sive ordinario et universali magisterio tamquam divinitus revelata credenda proponuntur. Nos eam credimus infallibilitatem, qua Petri Successor perfruitur, cum omnium christianorum Pastor et Doctor ex cathedra loquitur, quaque Episcoporum etiam Corpus pollet, quando supremum cum eodem magisterium exercet.

Nos credimus Ecclesiam, quam Christus condidit et pro qua preces effudit, unam et fide et cultu et communi sacrae Hierarchiae vinculo indeficienter esse. Huiusce in sinu Ecclesiae sive uberrima liturgicorum rituum varietas sive legitima theologici spiritualisque patrimonii peculiarumque disciplinarum differentia, nedum eiusdem unitati obsint, eam vel luculentius demonstrant.

Nos item, hinc agnoscentes extra Ecclesiae Christi compaginem elementa plura sanctificationis et veritatis inveniri, quae ut dona ipsius Ecclesiae propria, ad unitatem catholicam impellunt, hinc credentes Sancti Spiritus actionem, qui in cunctis Christi discipulis desiderium huiusce unitatis suscitat, id fore speramus, ut christiani, qui nondum plena unius Ecclesiae communione fruuntur, in uno grege sub uno Pastore tandem uniantur.

Nos credimus Ecclesiam necessariam esse ad salutem. Unus enim Christus est Mediator ac via salutis, qui in Corpore suo, quod est Ecclesia, praesens nobis fit. Sed divinum propositum salutis universos amplectitur homines, qui enim Evangelium Christi eiusque Ecclesiam sine culpa ignorantes, Deum tamen sincero corde quaerunt, eiusque voluntatem, per conscientiae dictamen agnitam, adimplere sub gratiae influxu conantur, ii etiam, numero quidem

quem unus Deus novit, ad eius Populum, modo licet invisibili, pertinent et aeternam salutem consequi possunt.

Nos credimus Missam, quae a sacerdote in persona Christi, vi potestatis per sacramentum Ordinis receptae, celebratur, quaeque ab eo Christi et membrorum eius mystici Corporis nomine offertur, revera esse Calvariae Sacrificium, quod nostris in altaribus sacramentaliter praesens efficitur. Nos credimus, ut panis et vinum a Domino consecrata in ultima Cena in eius Corpus eiusque Sanguinem conversa fuerunt, quae mox pro nobis in Cruce erant offerenda, ita pariter panem et vinum a sacerdote consecrata converti in Corpus et Sanguinem Christi, in caelis gloriose assidentis, et nos credimus arcanam Domini praesentiam, sub specie illarum rerum, quae nostris sensibus eodem quo antea modo apparere perseverant, veram, realem ac substantialem esse.

In hoc igitur Sacramento Christus non aliter praesens adesse potest, nisi per conversionem totius substantiae panis in eius Corpus et per conversionem totius substantiae vini in eius Sanguinem, integris tantum manentibus, panis et vini proprietatibus, quas nostris sensibus percipimus. Quae arcana conversio convenienter et proprie a sancta Ecclesia transsubstantiatio appellatur. Quaevis porro theologorum interpretatio, quae huiusmodi mysterio aliquatenus

intellegendo studet, ut cum catholica fide congruat, id sartum tectum praestare debet, ut in ipsa rerum natura, a nostro scilicet spiritu distincta, panis et vinum, facta consecratione, adesse desierint, ita ut adorandum Corpus et Sanguinis Domini Iesu post ipsam vere coram nobis adsint sub speciebus sacramentalibus panis et vini, quamadmodum ipse Dominus voluit, ut sese nobis alimentum praeberet nosque mystici corporis sui unitate sociaret.

Una atque individua Christi Domini existentia, qua in caelorum claritate vivit, per Sacramentum non multiplicatur, sed praesens efficitur variis in terrarum orbis locis, ubi Eucharisticum sacrificium peragitur, en habemus illud Mysterium fidei atque eucharisticarum divitiarum, cui assentiamur sine ulla exceptione oportet. Eadem autem exsistentia, post celebratum Sacrificium, praesens manet in Sanctissimo Sacramento, quod in altaris aedicula, veluti in vivo quodam nostrorum templorum corde, asservatur. Quam ob rem suavissimo sane officio tenemur honore afficiendi atque adorandi in Sancta Pane, quem oculi nostri intuentur, Verbum ipsum incarnatum, quod iidem intueri non possunt, quodque tamen praesens coram nobis effectum est, neque tamen deseruit caelos.

Confitemur pariter Regnum Dei, quod hic in terris in Christi Ecclesia primordia habuit, non esse de hoc mundo, cuius figura praeterit,

itemque eius propria incrementa idem existimari non posse atque progressionem humanitatis cultus, vel scientiarum, vel technicarum artium, sed eo prorsus spectare, ut investigabiles divitiae Christi altius usque cognoscantur, ut spes in aeternis bonis constantius usque ponatur, ut Dei caritati flagrantius usque respondeatur, ut denique gratia atque sanctitudo largius usque diffundantur inter homines. At eodem huiusmodi amore Ecclesia quoque ducitur ad germanam hominum utilitatem, ad externa bona quod attinet, continenter procurandum. Etenim, etsi quotquot habet filios monere non cessat, eos hic in terris manentem civitatem non habere, eosdem tamen exstimulat ut, pro sua quisque vitae condicione atque subsidiis, propriae humanae civitatis incrementa foveant, iustitiam, pacem atque fraternam concordiam inter homines promoveant, atque pauperioribus et infelicioribus fratribus opportuna conferant adiumenta.

Quare impensa sollicitudo, qua Ecclesia, Christi Sponsa, hominum necessitates prosequitur, hoc est eorum gaudia et exspectationes, dolores et labores, nihil aliud censenda est nisi studium, quo ipsa vehementer impellitur, ut iis praesens adsit, eo quidem consilio, ut Christi luce homines illuminet, universosque in Illum, qui ipsorum unus Salvator est, congreget atque coniungat. Numquam vero haec aollicitudo ita accipienda est, quasi Ecclesia ad res huius mundi se

conformet, aut deferveat ardor, quo ipsa Dominum suum Regnumque aeternum expectat.

Credimus vitam aeternam. Credimus animas eorum omnium, qui in gratia Christi moriuntur sive quae adhuc Purgatorii igne expiandae sunt, sive quae statim ac corpore separatae, sicut Bonus Latro, a Iesu in Paradisum suscipiuntur, Populum Dei constituere post mortem, quae omnino destruetur Resurrectionis die, quo hae animae cum suis corporibus coniungentur.

Credimus multitudinem earum animarum, quae cum Iesu et Maria in Paradiso congregantur, Ecclesiam Caelestem efficere, ubi eaedem, aeterna beatitudine fruentes, Deum vident sicuti est atque etiam, gradu quidem modoque diverso, una cum Sanctis Angelis partem habent in potestatis divinae exercitio, quae ad Christum glorificatum pertinet, cum pro nobis intercedant suaque fraterna sollicitudine infirmitatem nostram iuvent.

Credimus multitudinem earum animarum, quae cum Iesu et qui in terris peregrinantur, qui vita functi purificantur et qui caelesti beatitudine perfruuntur, universosque in unam Ecclesiam coalescere, ac pariter credimus in hac communione praesto nobis esse amorem miserentis Dei eiusque Sanctorum, qui semper

precibus nostris pronas aures praebent, ut Iesus nobis asseveravit, Petite et accipietis. Hanc fidem profitentes et hac spe suffulti exspectamus resurrectionem mortuorum et vitam venturi saeculi.

Benedictus Deus, sanctus, sanctus, sanctus. Amen.

Ordo Admissionis Valide iam Baptizatorum

in Plenam Communionem Ecclesiae Catholicae

Sacred Congregation for Divine Worship

06 January 1972

Paulus PP VI

Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem caeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei Unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia saecula. Deum de Deo, Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de caelis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die, secundum Scripturas. Et ascendit in caelum, sedet ad dexteram Patris, et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos et mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum, Dominum et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit, qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur, qui locutus est per Prophetas. Et unam sanctam catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum, et vitam venturi saeculi. Amen.

Credo et profiteor omnia quae ut a Deo revelata credit, docet et annuntiat sancta Ecclesia Catholica.

Formula Deinceps Adhibenda in Casibus

in Quibus Iure Praescribitur Professio Fidei

Sacred Congregation for the Doctrine of the Faith

1 July 1988

Ioannes Paulus PP II

Ego N. firma fide credo et profiteor omnia et singula quae continentur in Symbolo fidei, videlicet,

Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem caeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium et in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia saecula, Deum de Deo, Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, consubstantialem Patri per quem omnia facta sunt, qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de caelis, et incarnatus est de Spiritu Sancto, ex Maria Virgine, et homo factus est, crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est, et resurrexit tertia die secundum Scripturas, et ascendit in caelum, sedet ad dexteram Patris, et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos et mortuos, cuius regni non erit finis, et in Spiritum Sanctum Dominum et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit, qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur qui locutus est per prophetas, et

unam sanctam catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum, et exspecto resurrectionem mortuorum, et vitam venturi saeculi. Amen.

Firma fide quoque credo ea omnia quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur et ab Ecclesia sive sollemni iudicio sive ordinario et universali magisterio tamquam divinitus revelata credenda proponuntur.

Firmiter etiam amplector ac retineo omnia et singula quae circa doctrinam de fide vel moribus ab eadem definitive proponuntur.

Insuper religioso voluntatis et intellectus obsequio doctrinis adhaereo quas sive Romanus Pontifex sive Collegium Episcoporum enuntiant cum Magisterium authenticum exercent etsi non definitivo actu easdem proclamare intendant.

Profession of Faith

of Sacred Congregation for the Doctrine of the Faith

for Tisa Balasurya

Sacred Congregation for the Doctrine of the Faith

May 1996

Ioannes Paulus PP II

With firm faith I believe everything contained in the Word of God, whether written or handed down in Tradition, which the Church, either in solemn judgment or by its ordinary and universal Magisterium, sets forth as divinely revealed and calling for faith. In particular,

I believe that by Divine Revelation God wished to manifest and communicate both Himself and the eternal decrees of His will concerning the salvation of mankind.

I believe in Jesus Christ, the only-begotten Son of God, generated from the Father before all ages, Light form Light, true God from true God, begotten not made, one in being with the Father. I confess one and the same Son, Our Lord Jesus Christ, the same perfect in divinity and perfect in humanity, two natures, without confusion or change, without division or separation. The distinction between the natures

was never abolished by their union but rather the character proper to each of the two natures was preserved as they came together in one person. For us men and for our salvation He came down from Heaven, by the power of the Holy Spirit He was born of the Virgin Mary and was made man. For our sake He was crucified under Pontius Pilate, suffered, died, and was buried. On the third day He rose again in fulfillment of the Scriptures, He ascended into Heaven and is seated at the right hand of the Father. He will come again in glory to judge the living and the dead, and His Kingdom will have no end.

I believe in one, Holy, catholic and apostolic Church, built by Jesus Christ on that rock which is Peter. She is the Mystical Body of Christ, at once a visible society hierarchically structured as well as a spiritual community. I believe that the Church, a pilgrim now on earth, is necessary for salvation, the one Christ is the mediator and the way of salvation. He is present to us in His Body which is the Church. Hence they cannot be saved who, knowing that the Catholic Church was founded as necessary by God through Christ, refuse either to enter it, or remain in it.

I believe as divinely revealed that Mary, ever Virgin, is truly Mother of God. I also believe that from the first moment of her conception,

by a singular grace and Privilege of Almighty God and in view of the merits of Christ Jesus the savior of human race she was preserved immune from all stain of original sin. And that when the course of her earthly life was finished, she was taken up body and soul into the glory of heaven.

I believe that the bishops have by divine institution taken the place of the apostles. Saint Peter and the rest of the apostles, in accordance with the Lord's decree constitute a unique apostolic college.

I believe that the successor of Peter with the assistance of the Holy Spirit jealously guard and faithfully explains the Revelation or deposit of faith that was handed down through the apostles. I believe, therefore, that the Roman Pontiff, when he speaks ex cathedra, that is, when acting in the office of shepherd and teacher of all Christians, and defines, by virtue of His supreme authority, a doctrine concerning faith or morals to be held by the universal Church, he possesses through the divine assistance promised to him in the person of Blessed Peter, the infallibility with which the divine Redeemer willed His Church to be endowed in defining doctrine concerning faith or morals. I believe that such definitions of the

Roman Pontiff are therefore irreformable of themselves, and not because of the consent of the Church.

I believe that what was handed on by the apostles is the Gospel which Christ commanded them to preach to all men as the source of all saving truth and moral discipline. That comprises everything which serves to make the People of God live their lives in holiness and increase their faith.

I believe that the divinely revealed realities, which are contained and presented in the text of Sacred Scripture, have been written down under the inspiration of the Holy Spirit. All the books of the Old and the New Testament, whole and entire, with all their parts, have God as their author, and have been handed on as such to the Church herself. I, therefore, acknowledge that the books of Scripture, firmly, faithfully and without error, teach that truth which God, for the sake of our salvation, wished to see confided to the Sacred Scriptures.

I believe as divinely revealed that in Adam all have sinned, which means that the original offense committed by him caused the human race, common to all, to fall to a state in which it bears the consequences of that offense. And so, it is human nature so fallen,

deprived from the gift of grace with which it had been first adorned, injured in its own natural powers and subjects to the dominion of death, that is communicated to all men, it is in this sense that every man is born in sin. Therefore I hold that original sin is transmitted with human nature by propagation, not by imitation, and that it is in all men, proper to each, it cannot be taken away by the powers of human nature. I believe that our Lord Jesus Christ by the sacrifice of the Cross redeemed us from original sin and all the personal sins committed by each one of us.

I believe in and confess one baptism instituted by our Lord Jesus Christ for the forgiveness of sins. Baptism should be administered even to little children who themselves cannot have yet committed any sin.

I also firmly accept and hold each and everything that is proposed by that same Church definitively with regard to the doctrine concerning faith and morals. In particular,

I acknowledge that Christ, in calling only men as His Apostles, He did not proceed from sociological or cultural motives peculiar to His time but rather He acted in a completely free and sovereign

manner. Therefore, I firmly accept and hold that the Church has no authority whatsoever to confer priestly ordination on women.

What is more, I adhere with religious submission of will and intellect to the teachings which either the Roman pontiff or the college of bishops enunciate when they exercise the authentic Magisterium even if they proclaim those teachings in an act that is not definitive.

Profession of Faith

of Sacred Congregation for the Doctrine of the Faith

for Robert Nugent

Sacred Congregation for the Doctrine of the Faith

December 1998

Ioannes Paulus PP II

With firm faith I believe that God, in creating human beings as male and female, has created them equal as persons and complementary as male and female. In marriage, they are united by God and become "one flesh", in a union that is by its very nature ordered to the procreation and education of offspring and to the good of the spouses.

I firmly accept and hold that every baptized person, "clothed with Christ", is called to live the virtue of chastity according to his particular state of life, married persons are called to live conjugal chastity, all others must practice chastity in the form of continence. Sexual intercourse may take place only within marriage.

I also firmly accept and hold that homosexual acts are always objectively evil. On the solid foundation of a constant biblical testimony, which presents homosexual acts as acts of grave

depravity, Tradition has always declared that homosexual acts are intrinsically disordered.

I adhere with religious submission of will and intellect to the teaching that the homosexual inclination, though not in itself a sin, constitutes a tendency towards behavior that is intrinsically evil, and therefore must be considered objectively disordered.

I also adhere with religious submission of will and intellect to the teaching that, while homosexual persons must be received with respect and protected from all unjust forms of discrimination, no one can claim any right to engage in homosexual behavior.

Moreover, I also adhere with religious submission of will and intellect to the teaching that homosexual persons, by the virtues of self-mastery which lead to inner freedom, by prayer and sacramental grace and other forms of assistance, can advance toward Christian perfection.

Affirmation of Personal Faith of Diocese of Baker

Robert Francis Vasa, Bishop of Baker

23 April 2004

Ioannes Paulus PP II

I believe and profess all that the holy Catholic Church teaches, believes and proclaims to be revealed by God. In particular,

I affirm and believe the Church's teaching about the inviolability of human life. In accord with that teaching, I affirm that human life is sacred and must be protected and respected from the moment of conception until natural death. I affirm that I reject direct, intentional abortion and I do not recognize the legitimacy of anyone's claim to a moral right to form their own conscience in this matter. I am not pro-choice. I further attest that I am not affiliated with, nor supportive of, any organization which supports, encourages, provides or otherwise endorses abortion or euthanasia.

I affirm and believe the Church's teaching about the sinfulness of contraception. I affirm, in accord with the teachings of the Church that "every action which, whether in anticipation of the conjugal act, or in its accomplishment, or in the development of its natural

consequences, proposes, whether as an end or as a means, to render procreation impossible" is intrinsically evil.

I affirm and believe that every person is called to chastity in accord with their present state of life and that it is only in marriage between man and woman that the intimacy of spouses becomes a sign and pledge of spiritual communion. I accept the Church's teaching that any extra-marital sexual relationships are gravely evil and that these include pre-marital relations, masturbation, fornication, the viewing of pornography, and homosexual relations.

I affirm and believe the teaching of the Church about the evil of homosexual acts. I accept the formulation in the Catechism which states, "Basing itself on Sacred Scripture, which presents homosexual acts as acts of grave depravity, tradition has always declared that "homosexual acts are intrinsically disordered." They are contrary to the natural law. They close the sexual act to the gift of life. They do not proceed from a genuine affective and sexual complementarity. Under no circumstances can they be approved."

I affirm and believe all that the Church teaches about the Reality and Presence of Christ in the Most Holy Eucharist. Specifically I believe that Jesus is present Body, Blood, Soul and Divinity under

each of the forms of bread and wine and that receiving either one is Communion with the whole Christ. I recognize that worship and adoration are appropriate, not only during Mass but also outside of Mass and that the Most Holy Eucharist must always be handled with the utmost care and devotion.

I affirm and believe the teachings of the Church regarding Mary, Mother of Christ and Mother of the Church. I accept with the Church that it is fitting and proper to honor the Blessed Virgin with special devotion.

I affirm and believe that it is possible for a person to choose to remain separated from God for all eternity and that "This state of definitive self-exclusion from communion with God and the blessed is called hell."

I affirm and believe that those who die in God's grace and friendship but are still imperfectly purified undergo additional purification so as to achieve the holiness necessary to enter the joys of heaven. I affirm that the Church's name for this final purification is Purgatory.

I affirm and believe in One, Holy, Catholic and Apostolic Church and embrace the teachings about that Church as enunciated in the Catechism of the Catholic Church.

I affirm and believe that the Church teaches with God-given authority and that the promise of Christ to remain with His Church always, until the end of time is a reality. I further acknowledge that those teachings pronounced in a definitive manner, even though not as an infallible definition, are binding on the consciences of the faithful and are to be adhered to with religious assent.

To these and to all the teaching of the Catholic Church I give my assent. I attest that I believe these things and, while I am aware of my own sinfulness and shortcomings, I strive in my beliefs and lifestyle to conform to this Affirmation of Personal of Faith.

APPENDIX

Professione Fidei Felix PP V

Felix V Antipope

1439

Eugenius PP IV

First Text

In nomine sanctae et individuae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Ego Felix electus in Papam, omnipotenti Deo, cuius ecclesiam suo praesidio regendam suscipio, et beato Petro Apostolorum Principi corde et ore profiteor, quamdiu in hac fragili vita constitutus fuero, me firmiter credere et tenere fidem catholicam, secundum traditionem Apostolorum, et generalium conciliorum, et aliorum sanctorum patrum, maxime autem sanctorum octo conciliorum universalium, videlicet primi Nicaeni, secundi Constantinopolitani, tertii Ephesini, quarti Chalcedonensis, quinti et sexti item Constantinopolitani, septimi item Nicaeni, octavi quoque Constantinopolitani, nec non Lateranensis, Lugdunensis, Viennensis, Constantiensis et Basileensis generalium etiam conciliorum.

Et illam fidem usque ad unum apicem inviolatam servare, et usque ad animam et sanguinem confirmare defensare et praedicare,

ritumque pariter sacramentorum ecclesiasticorum ecclesiae traditum, omnmode prosequi et observare.

Polliceor etiam fideliter laborare pro tuitione fidei catholicae et extirpatione haeresum et errorum, reformatione morum, executione et observatione decretorum Constantiensis et Basileensis conciliorum, ac pace in populo Christiano.

Iuro etiam prosequi celebrationem conciliorum generalium et confirmationem electionum iuxta decreta sacri Basileensis consilii.

Hanc autem professionem meam, manu subscripsi, et tibi omnipotenti Deo, cui in die tremendi iudicii redditurus sum de hoc et aliis meis operibus rationem, pura mente super altare offero, quam in primo publico consistorio solemniter repetam.

Second Text

In nomine sanctae et individuae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Ego Felix electus in Papam, omnipotenti Deo, cuius ecclesiam suo praesidio regendam suscipio, et beato Petro Apostolorum Principi corde et ore confiteor et profiteor, quamdiu in hac fragili vita

constitutus fuero, me firmiter credere et tenere fidem catholicam, secundum traditionem Apostolorum, et generalium conciliorum, et aliorum sanctorum patrum, maxime autem sanctorum octo conciliorum universalium, videlicet primi Nicaeni, secundi Constantinopolitani, tertii Ephesini, et quarti Chalcedonensis, quinti et sexti item Constantinopolitani, septimi item Nicaeni, octavi quoque Constantinopolitani, nec non Lateranensis, Lugdunensis, Viennensis, Constantiensis et Basiliensis generalium etiam conciliorum.

Et illam fidem usque ad unum apicem inviolatam servare et usque ad animam et sanguinem confirmare defensare et praedicare, ritumque pariter sacramentorum ecclesiasticorum ecclesiae traditum, omnino prosequi et observare.

Polliceor etiam fideliter laborare pro tuitione fidei catholicae et extirpatione haeresium et errorum, reformatione morum, executione et observatione decretorum Constantiensis et Basiliensis conciliorum generalium, et confirmationem electionum iuxta decreta sacri Basiliensis consilii.

Hanc autem professionem meam, manu subscripsi, et tibi omnipotenti Deo, cui in die tremendi iudicii redditurus sum de hoc

et aliis meis operibus rationem, pura mente et devota conscientia super altare offero, quam in primo publico consistorio solemniter repetam.

Confessio Novorum Catholicorum

ad Papatum Perversorum in Hungaria /

Confessio Romano Catholica

in Hungaria Evangelicis Publicae Praescipta et Proposita

Society of Jesus

1673

Clemens PP X

First Text

1. Fatemur et confitemur nos singulari cura supremi nostri magistratus spiritualis et saecularis, diligentia et ope Dominorum Patrum Societatis Iesu ab haeretica via, et fide ad veram Catholico Romanam salvificam deductos esse, eamque libere, sponte, omni remota coactione amplexos ore nostro et lingua universo mundo aperte ad notitiam velle dare.

2. Confitemur Papam Romanum caput esse Ecclesiae, nec errare posse.

3. Confitemur et certi sumus Papam Romanum Vicarium esse Christi, plenariamque habere potestatem, omnibus

hominibus, pro voluntate sua, peccata remittendi, retinendi, ad infernum detrudendi, excommunicandique.

4. Confitemur quicquid Papa instituerit novi, sive intra sive extra Scripturam, quicquid etiam demandaverit, esse verum, divinum et salvificum, ideoque a Laicis maioris aestimari debere, Dei vivi praeceptis.

5. Confitemur Papam Sanctissimum ab omnibus honore divino honorari debere, maiori cum genuflexione, ipsi Christo debita.

6. Confitemur et asserimus Papam ab omnibus, tamquam Patrem Sanctissimum, in omnibus esse audiendum sine omni exceptione, eius institutis dirigentibus contrafacientes, sine omni misericordia, tales haereticos non solum igne tollendos, sed et cum corpore et anima inferno tradendos.

7. Confitemur lectionem Scripturae Sacrae ortum esse haeresium et sectarum, scaturiginemque blasphemiae.

8. Confitemur mortuos Sanctos et Sanctas invocare, imagines eorum honorare, coram eis genua incurvare, ad eos

peregrinari, vestire, lumina eis accendere, bonum, pium, sanctum, utile et salutare esse.

9. Confitemur unumquemque Sacerdotem multo maiorem esse Deipara Beata Virgine Maria, quae semel solum peperit Christum, nec amplius parit. Sacerdos autem Romanus, non solum dum vult, sed et quandocumque vult, offert et facit Christum, imo et creatum absumit.

10. Confitemur pro mortuis Missas celebrare, eleemosynas distribuere, orare, utile ac salutare esse.

11. Confitemur Papam Romanum habere potestatem, Scripturam immutandi, pro voluntate augendi et minuendi sua.

12. Confitemur animas post mortem in Purgatorio purgari, ac Missas Sacerdotum eis auxilium cum eliberatione esse.

13. Confitemur sub una specie Eucharistiam percipere, bonum et salutare, sub utraque, haereticum et damnabile esse.

14. Confitemur et asserimus hos, qui sub una specie utuntur, totum Christum cum carne et sanguine, cum Deitate et ossibus, uti vel percipere, qui vero sub utraque, solo nudo pane frui et vesci.

15. Confitemur septem esse vera et realia Sacramenta.

16. Confitemur Deum in imaginibus honorari, ac per eas ab hominibus agnosci.

17. Confitemur Mariam, Beatam Virginem, maiore honore dignam ab Angelis et hominibus, ipso Christo, Filio Dei.

18. Confitemur Beatam Virginem Mariam esse Reginam Caeli, simulque cum Christo regnare, cui filium omnia ad eius voluntatem facere debere.

19. Confitemur ossa Sanctorum magnam habere virtutem, unde ab hominibus honoranda esse, ipsique sacella exstruenda.

20. Confitemur doctrinam Romanam esse Catholicam, puram, divinam, salvificam, antiquam, et veram, Evangelicam autem a qua benevole recedimus, falsam, erroneam, blasphemam,

maledictam, haereticam, damnosam, seditiosam, impiam, excogitatam ac fictam. Cum itaque in totum et plenarie, in omnibus explicationibus, Religio Romana sub una specie bona sit, et salutaris, ideo maledicimus omnibus illis, qui nos in haeresi adversa et impia sub utraque erudierunt. Maledictos pronuntiamus parentes nostros, in fide illa haeretica nos educantes, maledicimus quoque et illis, qui nobis Romano Catholicam fidem in dubium vocarunt, sicut et duobus illis, qui nobis maledicto illo calice subservierunt. Imo nobis ipsis maledicimus, maledictosque nos pronuntiamus, eo quod ex maledicto illo calice haeretico, ex quo nobis bibere non decebat participavimus.

21. Confitemur Scripturam Sanctam esse imperfectam et litteram mortuam, quousque a Summo Pontifice ea non fuerit explicate, et laicis ad legendum concessa.

22. Confitemur unam Missam Sacerdotis Romani utiliorem esse centum et pluribus concionibus Evangelicorum. Ex eo maledicimus libris illis, quos legimus, doctrinam illam haereticam et blasphemam comprehendentibus. Maledictionem etiam superinducimus super omnia opera nostra, in fide illa haeretica exsistendo patrata, ne in

extremo die coram Deo nobis aliquid mereantur. Haec omnia ex candido pectore facimus, asserentes, Romanam Ecclesiam in his et similibus articulis esse verissimam, cum solemni haereticae illius doctrinae, coram vobis, Reverendus Dominus Pater viri honorati, matronae honoratae, iuvenes et virgines praesentes renuntiatione. Iuramus insuper, numquam amplius nos ad haereticam illam sub utraque etiamsi licitum esset, vel fuerit, vita durante conversuros. Iuramus etiam, donec una gutta sanguinis in corpore nostro extiterit, doctrinam maledictam illam Evangelicam, nos omnimode, clam et aperte, violenter et fraudulenter, verbo et facto persecuturos, ense quoque non excluso. Ultimum iuramus immutatione fors in statu saeculari vel spirituali subsecutura, nos coram Deo, angelis et vobis praesentibus, neque metu aut gratia, ab hac salvifica Romano Catholica Ecclesia et divina discessuros unquam, et ad haeresin Evangelicam maledictam redituros et reversuros, vel amplexuros.

Second Text

1. Fatemur et confitemur nos singulari cura supremi nostri magistratus spiritualis et saecularis, diligentia et ope Dominorum Patrum Societatis Iesu ab haeretica via, et fide

ad veram Catholico Romanam salvificam deductos esse, eamque ore nostro et lingua universo mundo aperte ad notitiam velle dare.

2. Confitemur Papam Romanum caput esse Ecclesiae, nec errare posse.

3. Confitemur et certi sumus Papam Romanum Vicarium esse Christi, plenariamque habere potestatem, omnibus hominibus, pro voluntate sua, peccata remittendi, retinendi, ad infernum detrudendi, excommunicandique.

4. Confitemur quicquid Papa instituerit novi, sive intra sive extra Scripturam, quicquid etiam demandaverit, esse verum, divinum et salvificum, ideoque a Laicis maioris aestimari debere, Dei vivi praeceptis.

5. Confitemur Papam Sanctissimum ab omnibus honore divino honorari debere, maiori cum genuflexione, ipsi Christo debita.

6. Confitemur et asserimus Papam ab omnibus, tamquam Patrem Sanctissimum, in omnibus esse audiendum sine omni

exceptione, eius institutis dirigentibus contrafacientes, sine omni misericordia, tales haereticos non solum igne tollendos, sed et cum corpore et anima inferno tradendos.

7. Confitemur lectionem Scripturae Sacrae ortum esse haeresium, et sectarum, scaturiginemque blasphemiae.

8. Confitemur mortuos Sanctos et Sanctas invocare, imagines eorum honorare, coram eis genua incurvare, ad eos peregrinari, vestire, lumina eis accendere, bonum, pium, sanctum, utile et salutare esse.

9. Confitemur unumquemque Sacerdotem multo maiorem esse Deipara Beata Virgine Maria, quae semel solum peperit Christum, nec amplius parit. Sacerdos autem Romanus, non solum dum vult, sed et quandocumque vult, offert et facit Christum, imo et creatum absumit.

10. Confitemur pro mortuis Missas celebrare, eleemosynas distribuere, orare, utile ac salutare esse.

11. Confitemur Papam Romanum habere potestatem, Scripturam immutandi, pro voluntate augendi et minuendi sua.

12. Confitemur animas post mortem in purgatorio purgari, ac Missas Sacerdotum eis auxilium cum eliberatione esse.

13. Confitemur sub una specie Eucharistiam percipere, bonum et salutare, sub utraque, haereticum et damnabile esse.

14. Confitemur et asserimus hos, qui sub una specie utuntur, totum Christum cum carne et sanguine, cum Deitate et ossibus, uti vel percipere, qui vero sub utraque, solo nudo pane frui et vesci.

15. Confitemur septem esse vera et realia Sacramenta.

16. Confitemur Deum in imaginibus honorari, ac per eas ab hominibus agnosci.

17. Confitemur Mariam, Beatam Virginem, maiore honore dignam ab Angelis et hominibus, ipso Christo, Filio Dei.

18. Confitemur Beatam Virginem Mariam esse Reginam Caeli, simulque cum Christo regnare, cui filium omnia ad eius voluntatem facere debere.

19. Confitemur ossa Sanctorum magnam habere virtutem, unde ab hominibus honoranda esse, ipsique sacella exstruenda.

20. Confitemur doctrinam Romanam esse Catholicam, puram, divinam, salvificam, antiquam, et veram, evangelicam autem falsam, erroneam, blasphemam, maledictam, haereticam, damnosam, seditiosam, impiam, excogitatam ac fictam. Cum itaque in totum et plenarie, in omnibus explicationibus, Religio Romana sub una specie bona sit, et salutaris, ideo maledicimus omnibus illis, qui nos in haeresi adversa et impia sub utraque erudierunt. Maledictos pronuntiamus parentes nostros, in fide illa haeretica nos educantes, maledicimus quoque et illis, qui nobis Romano Catholicam fidem in dubium vocarunt, sicut et duobus illis, qui nobis maledicto illo calice subservierunt. Imo nobis ipsis maledicimus, maledictosque nos pronuntiamus, eo quod ex maledicto illo calice haeretico, ex quo nobis bibere non decebat participavimus.

21. Confitemur Scripturam Sanctam esse imperfectam et litteram mortuam, quousque a Summo Pontifice ea non fuerit explicate, et laicis ad legendum concessa.

22. Confitemur unam Missam Sacerdotis Romani utiliorem esse centum et pluribus concionibus Evangelicorum. Ex eo maledicimus libris illis, quos legimus, doctrinam illam haereticam et blasphemiam comprehendentibus. Maledictionem etiam superinducimus super omnia opera nostra, in fide illa haeretica exsistendo patrata, ne in extremo die coram Deo nobis aliquid mereantur. Haec omnia ex candido pectore facimus, asserentes, Romanam Ecclesiam in his et similibus articulis esse verissimam, cum solemni haereticae illius doctrinae, coram vobis, viri honorati, matronae honoratae, iuvenes et virgines praesentes renuntiatione. Iuramus insuper, numquam amplius nos ad haereticam illam sub utraque etiamsi licitum esset, vel fuerit, vita durante conversuros. Iuramus etiam, donec una gutta sanguinis in corpore nostro extiterit, doctrinam maledictam illam evangelicam, nos omnimode, clam et aperte, violenter et fraudulenter, verbo et facto persecuturos, ense quoque non excluso. Ultimum iuramus immutatione fors in statu saeculari vel spirituali subsecutura, nos coram Deo, angelis

et vobis praesentibus, neque metu aut gratia, ab hac salvifica Romano Catholica Ecclesia et divina discessuros unquam, et ad haeresin evangelicam maledictam redituros et reversuros, vel amplexuros.

Professio Orthodoxae Fidei

iuxta Formam a Summis Pontificibus Pio IV et Pio IX Praescriptam

…

20 January 1877

Pius PP IX

Nos N. firma fide credimus et profitemur omnia et singula, quae continentur in symbolo, quo sancta Romana ecclesia utitur, videlicet,

Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem caeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia saecula. Deum de Deo, Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de caelis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria virgine, et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est, et resurrexit tertia die, secundum scripturas, et ascendit in caelum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria, iudicare vivos et mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum, Dominum et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio

simul adoratur et conglorificatur, qui locutus est per prophetas. Et unam, sanctam, catholicam et apostolicam ecclesiam. Confitemur unum baptisma in remissionem peccatorum. Et expectamus resurrectionem mortuorum, et vitam venturi saeculi. Amen.

Apostolicas et ecclesiasticas traditiones reliquas que eiusdem ecclesiae observationes et constitutiones firmissime admittimus et amplectimur.

Item sacram scripturam iuxta eum sensum, quem tenuit et tenet sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione sacrarum scripturarum, admittimus, nec eam umquam nisi iuxta unanimem consensum patrum, accipiemus et interpretabimur.

Profitemur quoque septem esse vere et proprie sacramenta novae legis a Iesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis, necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Paenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium, illaque gratiam conferre, et ex his Baptismum, Confirmationem et Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque et approbatos

ecclesiae catholicae ritus in supradictorum omnium sacramentorum solemni administratione recipimus et admittimus.

Omnia et singula, quae de peccato originali et de iustificatione in sacrosancta Tridentina Synodo definita et declarata fuerunt, amplectimur et recipimus.

Profitemur pariter, in missa offerri Deo verum, proprium et propitiatorium sacrificium pro vivis et defunctis. Atque in sanctissimo Eucharistiae Sacramento esse vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem, una cum anima et divinitate Domini nostri Iesu Christi, fierique conversionem totius substantiae panis in corpus ac totius substantiae vini in sanguinem, quam conversionem ecclesia catholica transubstantiationem appellat. Fatemur etiam, sub altera tantum specie totum atque integrum Christum verum que sacramentum sumi.

Constanter tenemus, purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis iuvari. Similiter et sanctos, una cum Christo regnantes, venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas. Firmissime asserimus, imagines Christi ac Deiparae semper virginis,

necnon aliorum sanctorum habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem et venerationem compartiendam.

Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse affirmamus.

Sanctam, catholicam et apostolicam Romanam ecclesiam omnium ecclesiarum matrem et magistram agnoscimus, Romanoque Pontifici, Beati Petri apostolorum principis successori, ac Iesu Christi vicario, veram oboedientiam spondemus ac iuramus.

Cetera item omnia a sacris canonibus et oecumenicis conciliis, ac praecipue a sacrosancta Tridentina Synodo, et ab oecumenico Concilio Vaticano tradita, definita et declarata, praesertim de Romani Pontificis primatu et infallibili magisterio, indubitanter recipimus atque profitemur, simulque contraria omnia, atque haereses quascumque ab ecclesia damnatas et reiectas et anathematizatas, nos pariter damnamus, reicimus, et anathematizamus.

Hanc veram catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profitemur et veneraciter tenemus,

eandem integram, et inviolatam usque ad extremum vitae spiritum, constantissime, Deo adiuvante, retinere et confiteri, atque a nostris subditis, vel illis, quorum cura ad nos in munere nostro spectabit, teneri, doceri et praedicari, quantum in nobis erit curaturos. Nos iidem N. spondemus, vovemus ac iuramus. Sic nos Deus adiuvet et haec sancta Dei evangelia.

To these and to all the teaching of the Catholic Church

I give my assent.

(Affirmation of Personal Faith of Diocese of Baker)